



EPITOME

DOCTRINÆ

POLITICÆ ET ŒCONOMICÆ

ARISTOTELIS.

Aristotle

EPITOME

DOCTRINÆ

POLITICÆ ET ŒCONOMICÆ

QUARUM ILLA

EX OCTO LIBRIS POLITICORUM

ARISTOTELIS,

PER


M. THEOPHILUM GOLIUM:

ISTA

EX DUOBUS LIBRIS ŒCONOMICIS

ALIO AUCTORE COLLECTA.

Politica etiam multis in locis emendata et elegantissimis Aristotelis aliorumque Sapientum testimoniis aucta est, et in usum Gymnasiorum et Scholarum Marchiæ Brandenburgensis recens edita.



OXONII:

TYPIS ET SUMPTU MUNDAY ET SLATTER.

MDCCCXX.

TYPOGRAPHUS LECTORI

SALUTEM.



ACCIPE candide et benevole lector, jam alteram partem Practicæ Philosophiæ, a clarissimo viro Dn. M. Theophilo Golio (piæ recordationis) in quæstiones resolutam. Opusculum profectò cùm utilissimum, tùm maximè necessarium. Ex quo si quicquam utilitatis ceperis, percipies autem dubio procul quàm plurimum: illud omne authori, viro nunquam satis laudato, acceptum feres. Vale et cæteros in hoc genere conatus nostros benigne adjuva.

LECTORI POLITICO

SALUTEM.



SAPIENTER ut omnia, Peripati Architectus Aristoteles *σπουδαῖαν τῆς ψυχῆς διάθεσιν παράδειγμα πολιτείας ἀγαθῆς*, hoc est, animum bene compositum laudatæ reipublicæ imaginem, nominabat *lib. de Virtutibus sub fin.*; ut enim in præclarè constituta republica, magistratuum et civium officiorumque omnium: ita in animo partium seu functionum *ἁρμονία*, útrinque *παναρμονία* requiritur. Ordine proinde apposito cum Ethica, Politicæ doctrinæ Epitome connectitur, non ob hanc saltem quam Philosophus signabat utriusque convenientiam, verùm quod ut illa *Virum*, ista *Civem* reddere bonum institutis suis ad laborat. Accedit jure optimo Œconomica institutio, quæ non minorem operam in efficiendo *Patrefamilias* bono impendit.

Politicam collegerat M. Theophilus Golius Professor Argentinensis eximiæ Vir industriæ, hanc tot fædatam fœdis Impressorum erroribus, singulis profectò pagellis non semel illitis, summa perpurgavimus industria, aureas Aristotelis gnomas Latino et Græco idiomate, et non pauca ut animadvertes, antiquitatis testimonia evolvimus, adjecimus, atque ne qua parte *Practicæ Philosophiæ Systema Aristotelicum* truncatum videretur, ἐρωτηματικῶς eodem filo *Œconomicorum libros* pertractavimus. Prudentiam in sese majorem habent hi fontes Aristotelici quam quæ hodie magno exhibentur numero inde per curipos quosdam convocatæ cisternæ temporariæ; id sine nostro præconio te usus non sine fœnore docebit, etenim non modo dulcius secundum Poëtam: sed et

Tutius ex ipso fonte bibuntur aquæ.

Vive feliciter atque his utere et fruere.

QUÆSTIONES

IN

PROLEGOMENA POLITICORUM ARISTOTELIS.

Quid est ἡ Πολιτικη?

POLITICA est ars seu facultas rectè constituendi et administrandi Rempub. Plato in Erastis, ἡ πολιτικη εστιν επιστημη, καθ' ἣν αἱ πολεις ευ οικουνται. Cic. lib. 1. de Divin. Politica est ratio, prudentiaque gerendæ Reipublicæ. Casus, lib. 1. Sphær. civ. cap. 1. Doctrina Politica nihil aliud quam justè ac sapienter administrandæ civitatis scientia.

Unde dicta est ἡ Πολιτικη?

Απο της πολεως, à civitate, quæ est proprium ejus subjectum circa quod versatur: unde etiam dicitur ὁ πολιτης, civis; ἡ πολιτεια, h. e. ipsa forma, secundum quam civitas administratur: quæ à Cicer. plerunque Respublica nominatur: hinc etiam dicuntur αἱ πολιτικαι πραξεις, civiles actiones: item οἱ πολιτικοι, homines qui in Reipub. administratione rectè versantur, aut hac civili scientia præditi sunt. Hinc est verbum πολιτευεσθαι, h. e. gerere vel capessere Rempub. Denique hi ipsi libri inscribuntur πολιτικοι qui continent παραγγελματα πολιτικα, præcepta constituendi, et administrandi Rempublicam.

Quot modis vocabulum της πολιτικης usurpatur?

Vocabulum της πολιτικης, bifariam à Platone et Aristotele usurpatur: vel n. generatim, κατ' ἐξοχην pro tota Philosophia practica accipitur, quæ omnes

omnium actiones in civitate gubernat: unde etiam Aristoteles eam in lib. 1. Eth. cap. 2. αρχιτεκτονικην και κυριωτατην nominat; et à Platone in Dialogo politico definitur, quod sit επιστημη αρχουσα άπασων πραξεων, και επιμελουμενη των νομων, και ξυμπαντων των κατα την πολιν, h. e. Scientia, quæ omnes actiones gubernat, et curam gerit legum, omniumque eorum quæ ad civitatem pertinent. Vel accipitur *specialiter* pro tertia parte philosophiæ practicæ, de qua præcipuè in his libris Aristoteles agere constituit.

Quis est scopus, quis finis, quæ utilitas hujus doctrinæ?

Aristotelis propositum est in his libris tradere doctrinam de ratione benè constituendi, administrandi, amplificandi, et conservandi civitatem, aut Rempub. aliquam, in eum finem, ut cives possint inter se tranquillè et amicè, h. e. bene beateque vivere.

De hoc scopo et fine Aristoteles, lib. 1. Eth. c. 7. hæc scribit: το γαρ της πολιτικης τελος αριστον ετιθεμεν· αὑτη δε πλειστην επιμελειαν ποιειται, του ποιους τινας και αγαθους τους πολιτας ποιησαι, και πρακτικους των καλων. Et Cic. lib. 5. de Repub. Ut gubernatori cursus secundus, Medico salus, Imperatori victoria: Sic huic moderatori Reipub. beata civium vita proposita est: ut opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honesta sit.

Quot libris Aristoteles hanc doctrinam complexus est?

Diogenes Laërtius in Catalogo Scriptorum Aristotelicorum commemorat plures libros, quos Aristoteles de hoc argumento fertur scripsisse: quemadmodum etiam Cicer. lib. 5. de Finib. affirmat, Aristotelem omnium ferè civitatum non Græciæ solùm, sed etiam Barbariæ mores, instituta, et disciplinas descripsisse: Verùm ex omnibus illis tantùm hi octo libri ad nostra tempora pervenerunt. Qui etiamsi videantur μειουροι, h. e. aliquo modo decurtati, et imperfecti: tamen multiplicem et variam in se continent doctrinam, lectione et cognitione dignam, utilem atque necessariam omnibus iis, qui ali-

quando rectè et utiliter in Reipub. negotiis administrandis versari voluerint.

Quâ methodo utitur Aristoteles in hac doctrina explicanda?

Quoniam Aristotelis propositum est ostendere, quo pacto civitas sive Respub. aliqua, quæ est totum quoddam, rectè sit constituenda: ideò etiam conveniente utitur ad eam rem methodo: nempè μεθοδῳ συνθετικῃ, qua ex minimis partibus tanquam primis principiis totum aliquod constituitur. Primùm enim ostendit, quo pacto singulorum hominum conjunctione extiterint familiæ et domus; deinde ex familiarum et domorum conjunctione effecti sint pagi, seu vici: tandem verò ex multorum pagorum seu vicorum conjunctione integræ civitates sint constitutæ.

Quæ sunt præcipua κεφαλαια, capita omnium eorum, quæ in his libris explicantur?

Quinque sunt præcipua capita, ad quæ ferè omnia, quæ in his octo libris traduntur, possunt referri. *Primum caput* est de materia, h. e. de partibus civitatis, ex quibus ea initio constituitur. *Alterum caput* est de forma civitatis, quæ πολιτεια, h. est, Respub. nominatur: ubi agitur de sex præcipuis Rerumpub. formis, earumque differentiis et proprietatibus. *Tertium caput* est περι των αιτιων φυλακτικων και φθαρτικων, de causis, per quas civitates et Respub. vel conservantur vel mutantur et intereunt. *Quartum caput* est de quibusdam civitatibus et rebuspub. ab aliis vel descriptis, vel constitutis præcipuè verò de Repub. Platonis. *Quintum caput* est de educatione infantum, puerorum, et adolescentum, à tempore nativitatis usque ad annum vigesimum primum.

Ex his quinque capitibus facilè intelliguntur argumenta singulorum librorum: de quibus etiam in fine Ethicorum sic scribit: πρωτον μεν ουν πειραθωμεν επελθειν ειτι κατα μερος ειρηται καλως ὑπο των προγενεστερων· ειτα εκ των συνηγμενων πολιτειων θεωρησαι τα ποια σωζει, και φθειρει τας πολεις και τα ποια ἑκαστοις των πολιτειων

καὶ διὰ τινας αἰτίας αἱ μεν καλως, αἱ δε τεναντιον πολιτευονται. Primum si quid à veteribus rectè dictum est, id conabimur recensere: deinde ex collectis rebus publicis, quænam sint ea considerabimus, quæ civitates et singulas Respub. et corrumpunt et conservant, quasque ob causas, aliæ benè, aliæ è contrario administrentur.

LIBER PRIMUS.

Quod est argumentum, et quæ sunt partes Primi libri?

QUONIAM Aristotelis propositum est in his libris ostendere, quo pacto civitas aliqua sit et constituenda, et administranda: ideò in primo hoc libro κατα την μεθοδον συνθετικην agit de primis principiis, h. e. minimis partibus, ex quibus initiò civitates fuerunt constitutæ: simul etiam explicat quæstionem de origine civitatis, et civilis societatis. Potest autem hic liber commodè distribui in duas partes: in Exordium, quod continetur duobus primis capitibus: Et in εκθεσιν, Expositionem præceptorum politicorum.

Quid agit in Exordio?

Exordium hoc continet συςασιν, hoc est, commendationem scientiæ politicæ, et civilis societatis: quod nimirum sit res bona: idque probat duobus præcipuis argumentis: *primùm* ab ejus fine: quia spectat, et propositum sibi habet bonum quoddam. *Deindè* ab ejus origine sive causa efficiente, quia originem habet à natura. Nàm ut Cicero in Catone Majore ait: Omnia quæ secundam naturam sunt, ea habenda sunt in bonis. Et in lib. 1. Tuscul. Nihil censeamus esse malum: quod est aut à Diis immortalibus constitutum, aut à natura hominibus datum.

Quid agitur in altera hujus libri parte?

Post exordium sequitur εκθεσις, h.e. ipsius doctrinæ politicæ enarratio, quæ per omnes libros con-

tinuatur: eorum autem quæ in hoc libro à tertio capite usque ad finem habentur, sunt tres præcipuæ partes. Quarum *prima pars est de* societate domestica, quæ omnium prima fuit inter homines: atque continet prima initia et fundamenta civilis societatis: de hac agitur in 3. et 4. capitibus, hujus verò societatis sunt tres quasi species: nempè ἡ δεσποτικη, societas herilis, quæ est inter dominum et servum; ἡ γαμικη, societas conjugalis, quæ est inter maritum et uxorem; et ἡ πατρικη, societas paterna, quæ est inter parentes et liberos. Etenim ex his tribus societatibus initio constitutæ fuerunt domus et familiæ, οἱ οικοι, vel αἱ οικιαι, unde etiam οικονομικαι nominantur: quæ cùm paulatim augerentur et multiplicarentur, excreverunt in pagos, et tandem in integras civitates.

Quæ est altera pars της εκθεσεως?

Altera pars hujus enarrationis est περι της κτητικης, de ratione, et modis acquirendi victum et ea quæ ad vitæ sustentationem sunt necessaria: sine quibus prædictæ societates non possent diu consistere: de hac agitur in 5. 6. et 7. capitibus.

Quæ est tertia pars της εκθεσεως?

In tertia parte hujus enarrationis, nempè in octavo capite explicantur duæ quæstiones œconomicæ: una est de imperio mariti in uxorem, et patris in liberos. Altera, de virtute et officio domini et servi, mariti et uxoris, et parentum et liberorum, h. e. eorum, qui in domestica societate aliis vel imperare vel obedire debent.

CAPUT I.

Unde auspicatur Aristoteles doctrinam Politicam? Επειδη πασαν πολιν ορωμεν.

A QUÆSTIONE de fine, quemadmodum etiam fecit in Ethicis: quoniam ambæ hæ doctrinæ sunt practicæ, h. e. referuntur ad actionem: Finis autem præcipuè in omni actione est considerandus, quemadmodum dicitur:

Quicquid agis prudenter agas, et respice finem.

Nam finis informat actiones, à quo ipsæ reguntur et bonæ vel malæ, utiles vel inutiles esse judicantur. Unde etiam finis dicitur habere triplicem considerationem in actionibus: nempè principii quo ad agentis intentionem et susceptionem: medii quo ad actionis gubernationem: et extremi quo ad usum et affectionem operis attinet.

Quis est iste finis, quem civilis societas sibi propositum habet?

Το αγαθον, bonum. Sic enim scribit Aristoteles: πασα πολις, και πασα κοινωνια αγαθε τινος ἑνεκα συνεςηκε; omnis civitas, et omnis societas boni alicujus gratia constituta. In quibus verbis Aristoteles argumentatur à Genere ad Speciem hoc modo. Omnis societas boni alicujus gratia constituitur: Civitas est societas. Ergo. Majorem probat ex definitione Boni: etenim Bonum illud esse definitur, cujus gratia omnes omnia agunt: οὗ χαριν παντα πραττεσι παντες. Vel ut in Ethicis dicitur, Bonum est id, quod omnia appetunt. 1. Eth. 1.

Quale autem est istud Bonum?

Μαλιςα δε και τε κυριωτατε.

Est omnium præstantissimum bonum, κυριωτατον αγαθον: non solùm quia præstantissima scientia et facultate, quæ est ἡ πολιτικη 3. Polit. 8. expetitur: verùm etiam quia latissimè patet, et ad plures sese extendit: et suo ambitu omnia reliqua humana bona complectitur: teste Aristotele, lib. 1. Ethicorum c. 2. ubi etiam το της πολεως αγαθον dicit esse μειζον, και τελειοτερον, ετι δε καλλιον, και θειοτερον.

In qua autem re bonum istud consistit?

In ratione bene beateque vivendi, εν τῳ ευ, και καλως ζῃν, quæ ab Aristotele της πολεως ευδαιμονια και αυταρκεια nominatur, h. e. beatitudo civitatis, et sufficiens copia omnium eorum quæ ad vitam honestè degendam sunt necessaria. Sic Apostolus Paulus in priore Epistola ad Timoth. cap. 2. ver. 2. præcipit Christianos ideò debere pro regibus, principibus, et magistratibus orare: ut placidam et quietam vitam degere possint, cum omni pietate, et honestate.

Quæ sunt partes ex quibus civitates initio fuerunt constitutæ?

Ει δη τις εξ αρχης τα πραγματα.

Partes ex quibus civitas, seu civilis societas constituitur, aliæ sunt Simplices, et primæ: aliæ Compositæ et secundariæ, ὥσπερ γαρ εν τοις αλλοις το συνθετον μεχρι των ασυνθετων αναγκη διαιρειν· (ταυτα γαρ ελαχιστα μορια τυ παντος·) οὕτω και πολιν εξ ὧν συγκειται, σκοπουντες οψομεθα· ut enim in aliis compositum ad simplices usque partes dividere oportet, (eæ namque totius sunt minimæ), ita et civitatem ex quibus componatur, videntes considerabimus.

Quæ sunt Simplices et primæ societates?

Eæ quæ primò inter singulos homines necessitatis causa ad constituendam domum sive familiam fuerunt susceptæ, quæ etiam propterea οικονομικαι nominantur. Harum sunt tres species: una dicitur δεσποτικη, *herilis*, quæ est inter dominum et servum; altera est γαμικη, *conjugalis*, quæ est inter marem et fœminam, seu maritum et uxorem; tertia nominatur πατρικη, *paterna*, quæ est inter parentes et liberos. Hinc rectè inquit Hesiodus, lib. 2. Εργ. v. 23.

Οικον μεν πρωτιστα, γυναικα τε, βουν τ' ἀροτηρα.
Sit domus imprimis, uxorque, et taurus arator.

Bos namque tenuibus servi est loco. Repetit hunc versum Aristot. 1. Œcon. 2.

Quomodo sunt hæ tres species inter se distinctæ?

Aristoteles distinguit has tres societates fine. Nam duæ primæ societates constitutæ sunt ἑνεκα της γενεσεως, hoc est, causa procreationis hominum, et propagationis familiarum. Tertia verò societas est δια την σωτηριαν, h. e. propter mutuam salutem et conservationem utrorumque, domini scilicet et servi: sicut enim dominus sua prudentia prospicit servo de victu et amictu, reliquisque vitæ sustentandæ subsidiis: ita servus suis laboribus acquirit domino ea, quæ ad alendam familiam et augendam rem domesticam sunt necessaria: ἑνεκα της κτησεως των προς τον βιον, και την οικονομιαν αναγκαιων.

Quæ sunt Conjunctæ et secundariæ societates?

Conjunctæ seu compositæ societates dicuntur, quæ exprimis societatibus defluxerunt, et ex pluribus constant hominibus. Harum sunt tres species, domus, pagus, et civitas: quæ differunt ut totum et partes. Nam civitas est totum, domus et pagus sunt partes, ex quibus civitas constituitur.

Quot hinc existunt societatum species?

Tres: quarum una dicitur οικονομικη, *domestica*, quæ est unius alicujus domus seu familia: altera κωμικη, *pagana*, quæ est plurium domorum et familiarum conjunctarum: tertia πολιτικη, *civilis*, quæ ex multis domibus et pagis in eodem loco extructis, est conflata.

Quæ est origo, et causa efficiens prædictarum societatum?

Omnes hæ societates primam originem, et quasi causam efficientem habent την φυσιν, id est, naturam.

Quo pacto istud probas de societate maris et fœminæ?

Primùm de societate mariti et uxoris, parentum et liberorum, quæ generationis, et propagandæ atque educandæ sobolis gratia instituta est, quod ea sit naturæ maximè convenieus, apparet ex tribus signis. *Primùm* ex appetitu procreandi sibi simile, qui non solùm hominibus, sed etiam omnibus animantibus naturaliter insitus est: φυσικον το εφιεσθαι, οιον αυτο, τοιουτον καταλειπειν ἑτερον· naturale est, cupere sui simile alterum relinquere. *Deindè* ex amore qui naturaliter inest non solùm hominibus, sed etiam omnibus animalibus, ut generans et generatum parentes et liberi sese mutuò ament: quem amorem seu affectum naturalem Græci στοργην solent appellare. *Tertiò*, ex naturæ necessitate. Nam quia natura expetit sui conservationem, individua autem quotidiè unum post alterum vel morbo, vel senio, vel vi intereunt et corrumpuntur: ideò per istam societatem, qua unumquodque secundum speciem sibi simile generat, et post se aliud individuum re-

linquit, efficitur, ut species ipsæ conserventur, et efficiantur quodammodo perpetuæ et immortales.

Quomodo probas societatem domini et servi esse secundum naturam?

Ex loco adjunctorum. Quia natura utrique tribuit ea adjumenta, per quæ possunt ac debent sibi mutuò opitulari ac prodesse: ita ut neuter sine alterius opera commodè possit vivere, et seipsum sustentare. Domino enim tribuit talem mentem, rationem, et prudentiam, qua possit non sibi solùm, verùm etiam servo prospicere et consulere ea, quæ ei ad vitam sustentandam sunt utilia et necessaria. Servo autem tribuit tale corpus, et ejusmodi robur corporis, quo possit labores perferre, et domini mandata atque negotia expedire. (ούτω γαρ αποτελοιτο καλλιστα των οργανων έκαστον, μη πολλοις εργοις, αλλ' ενι δουλευον· sic optimè perficiantur singula organa; non pluribus operibus, sed uni deservientia. ή γαρ φυσις ουδεν ποιει τοιουτον, οίον χαλκοτυποι την Δελφικην μαχαιραν πενιχρως, αλλ' έν προς έν nihil enim natura efficit tale, quale fabri ferrarii delphicum gladium ex inopia, sed unum ad unum.) Proinde quia dominus naturaliter ingenio et consilio excellit, robore autem et viribus corporis servo est inferior: ideò opus habet servo tanquam administro: et rursus, quia servus ingenio minus valet, ut possit sibiipsi prospicere et consulere ideò opus habet domino veluti consiliario. Atque hoc modo utrique parti, et domino et servo naturaliter utilis et necessaria est hæc conjunctio atque societas. Unde meritò dolet dominus, quando amittit fidelem servum: et servus quando amittit benignum dominum. Est ergo hujus loci argumentum tale. Quæ societas utrique parti naturaliter prodest, ea est secundum naturam. Sed societas quæ est inter dominum et servum, naturaliter utrique prodest. Ergo.

Quomodo probas societatem civilem esse a natura?

Quoniam homo τη φυσει εστι ζωον κοινωνικον και πολιτικον, hoc est, animal aptum ad congregationem et

civilem societatem factum, magis quàm ullum aliud animal eorum quæ simul vivunt et pascuntur, veluti sunt apes, formicæ, grues, columbæ, et similia animalia, quæ propterea a Græcis αγιλαια nominantur, quia, ut Cicer. lib. 2. de Finibus loquitur, congregatione cœtum quodammodo civitatis imitantur. Atque ob hanc causam etiam Jurisconsulti dicunt urbium constitutiones esse juris gentium.

Quæ est causa formalis harum societatum?

Εκ μεν ουν τουτων των δυο κοινωνιων.

Forma harum societatum ex earum definitionibus intelligitur. Nam *Domus* est societas hominum naturalis ad quotidianum vitæ usum constituta. οικος εστι κοινωνια κατα φυσιν, εις πασαν ἡμεραν συνεστηκυια.

Quare domus dicitur κοινωνια, *communio seu societas?*

Quia domestici multa habent communia, nempè locum, et domum quam inhabitant, tectum sub quo cubant: focum, ignem, et fumum apud quem se calefaciunt: Mensam in qua cibum capiunt: Fontem vel puteum unde aquam ad potum hauriunt: unde etiam apud Græcos ex iterum istæ appellationes, quòd nominantur συνοικοι, ὁμοεστιοι, ὁλοκαπνοι, ὁμοσιτιοι, ὁμοσιπυοι, ὁμογαλακτες, qui ab Ulpiano collectanei dicuntur.

Quare domus dicitur esse constituta in usum diurnum seu quotidianum?

Respectu civilis societatis: quæ non propter unius, aut alterius solùm hominis, aut exigui temporis usum constituitur: sed quæ totius alicujus civitatis, vel etiam regni, et nationis commune et perpetuum bonum respicit: quemadmodum scribit Aristoteles in lib. 8. Eth. cap. 9. ου γαρ του παροντος συμφεροντος ἡ πολιτικη μονον εφιεται αλλ᾽ εις ἁπαντα τον βιον. Quo nomine etiam bonum politicum præstantius esse dicitur bono œconomico, in lib. 1. Ethic. cap. 2.

Quid est pagus?

Pagus, est prima communio seu societas naturalis ex pluribus domibus non quotidiani solùm usus gratia constituta. ἡ κωμη εστιν εκ πλειονων οικιων κοινωνια πρωτη κατα φυσιν χρησεως ἑνεκεν μη εφημερου συνεστηκυια.

Quare Pagus dicitur esse prima societas?

Ad differentiam civitatis, quæ est altera communio seu conjunctio plurium domorum: est enim pagus quasi αποικια colonia quædam illorum ους καλυσι τινες παιδας τε και παιδων παιδας, per quam una domus rursum in plures domus est diducta, et propagata: unde apud Euripidem in Oreste, filiæ quæ nuptum collocantur, dicuntur αποικιζεσθαι, i. e. ex una domo in alteram transferri.

Quare in definitione adjicitur hæc particula χρησεως μη εφημερυ?

Ad differentiam domus seu domesticæ societatis, in qua domestici quotidiè simul et unà conversantur, laborant, victum quærunt, cibum capiunt, eodem foco et igni utuntur, colloquuntur et operas suas, aliaque negotia inter se mutuò singulis ferè horis communicant.

Quare dicitur esse societates secundum naturam?

Quia proficiscitur ex societatibus quæ sunt a natura, ut est societas mariti et uxoris, domini et servi, parentum et liberorum: de quibus paulò antè dictum fuit.

In domestica societate qualis est forma gubernationis?

Regia. Nam quod est Rex in regno, id est, paterfamilias et dominus in sua domo: Et quemadmodum paterfamilias imperat suis domesticis ita in pagana societate is qui ætate, prudentia, et auctoritate cæteris præstat: etiam potestatem habet illis imperandi, quem hodiè barbaro vocabulo *Scultetum*, 'Schultheissen,' solent nominare. πασα, γαρ οικια βασιλευεται υπο τυ πρεσβυτατυ, ὡςε καὶ αποικιαι, omnis domus regitur à seniore, sicut et coloniæ. Et hoc est quod ait Homerus: Odyss. 9. v. 114. θεμιςευει δε ἑκαςος Παιδων ηδ' αλοχων· natis dat et conjugibus leges quisque.

Hinc apparet Regiam gubernationis formam esse antiquissimam, et per consequens etiam optimam: si modò Rex talis sit virtute, prudentia et auctoritate, qualis meritò esse debet.

CAPUT II.

Quomodo definitur Civitas?

Ἡ δε εκ πλειονων κωμων.

CIVITAS est perfecta societas seu communio secundum naturam ex pluribus pagis constans, omnibusque rebus ad vitam necessariis instructa: non solùm vivendi, sed etiam benè vivendi causâ constituta. ἡ πολις εςι κοινωνια εκ πλειονων κωμων τελειος κατα φυσιν, εχουσα περας της αυταρκειας· γενομενη μεν του ζην ενεκα, ουσα δε του ευ ζην· et lib. 3. cap. 1. ἡ πολις συνολον τι πληθος εςιν· civitas civium est multitudo. Vel εςι το των τοιουτων πληθος ικανον προς αυταρκειαν ζωης est talium multitudo, cui ad vitæ usus necessarios satis suppeditat; et cap. 4. κοινωνια των ελευθερων εςι· est liberorum societas.

DEFINITIONIS EXPLICATIO.

Genus in hac definitione est idem cum duabus præcedentibus speciebus, nempè ἡ κοινωνια, communio. Qui enim ejusdem civitatis sunt incolæ, multa habent communia, nempè locum ipsum civitatis, regionem circa civitatem, templa, fora, palatia, curiam, mœnia, aggeres, fossas, propugnacula, magistratum, jura, leges, libertatem, religionem et plurima alia commoda.

Differentiæ sunt quatuor, *prima* est causæ materialis: nam constat civitas ex pluribus pagis, quemadmodum pagus ex pluribus domibus.

Altera differentia est causæ formalis, seu qualitatis, in qua dicitur quod sit perfecta communio: habet enim omnium rerum ad vitam necessariarum αυταρκειαν, id est, sufficientiam.

Tertia differentia est causæ efficientis, dicitur enim quòd etiam sit κατα φυσιν; hanc differentiam posteà fusius explicat.

Quarta differentia pertinet ad causam finalem, quarum duas ponit, unam generalem, του ζην ενεκα, vivendi gratia: ut nimirum homines per hanc societatem ea quæ sunt necessaria ad vitam, possint sibi mutuò communicare: ita ut quod quis per se

non habet, id possit ab altero accipere: quam indigentiam, *χρειαν*, Aristoteles in lib. 5. Eth. cap. 5. dicit primam fuisse causam propter quam homines initio permoti fuerunt, ut inter se societatem facerent. *Altera causa* finalis est magis specialis, *του ευ ζην ενεκα*, benè beateque, hoc est, honestè et ex virtute vivendi gratia, quam vitam infra in septimo libro nominat *ευδαιμονιαν της πολεως*, beatitudinem et felicitatem civitatis.

Nota. Hic finis de quo loquitur Aristoteles est *politicus*, et *philosophicus*: est verò adhuc alius finis magis principalis, et *theologicus*: nempè institutio, propagatio, et conservatio veræ religionis, et divini cultus: de quo fine extat præclarum distichon Poetæ Stigelii:

> Utque alios alij de Religione docerent:
> Contiguas pietas jussit habere domos.

Quibus argumentis probat Aristoteles originem seu causam efficientem civitatis esse à natura?

Tribus, quorum primum sumitur ex lòco totius et partium. Cujus partes sunt *τῃ φυσει*, id ést, secundum naturam, id ipsum quoque est *τῃ φυσει*. Sed partes civitatis, nempè domus et pagus sunt *τῃ φυσει*: sicut suprà est ostensum. Ergò etiam ipsa civitas est *τῃ φυσει, η κατα την φυσιν*.

Διο πασα πολις φυσει εϛι.

Quod est alterum argumentum?

Alterum argumentum sumitur à proprietate rerum naturalium. Quæ perfecta sunt et finem suum assecuta: ea maximè sunt secundum naturam. *Οἱοι γαρ εκαϛον εϛι της γενεσεως τελεσθεισης, ταυτην φαμεν την φυσιν ειναι εκαϛε·* quale enim quidque est ortu perfecto, talem dicimus naturam esse cujusque. Quia natura in generando tendit ad finem et perfectionem: neque quicquam relinquit imperfectum, nisi impediatur. Sed civitas est finis, et perfectio primarum societatum, domesticæ scilicet et paganæ: continet enim in se *την αυταρκειαν*, quemadmodum in ejus definitione dictum est, et infra lib. 6. cap. 8. dicitur;

Τελος γαρ αὐτη εκεινων· ἡ δε φυσις, τελος εϛιν.

δι' αυταρκειαν δοκουσιν εις μιαν πολιτειαν συνελθειν, propter rerum copiam videntur homines in unam Rempub. convenisse. Ergo civitas maximè est secundum naturam.

Quod est tertium argumentum?

Ετι το ὁ ἑνεκα. Tertium argumentum sumitur à naturali appetitu hominum. Ea quæ homines naturali instinctu expetunt, etiam sunt secundum naturam: sed homines naturali instinctu expetunt civilem societatem, hoc est, civitatem. Unde etiam homo dicitur hîc et 9. Ethic. 9. et 1. eor. 7. τη φυσει ζωον πολιτικον. Ergo civitas est secundum naturam.

Quomodo probas minorem propositionem, quòd homo naturâ sit animal politicum, id est, amans civilis societatis?

Aristoteles duobus argumentis hoc probat. Primùm à contrario, ὁ γαρ απολις δια φυσιν, και ου δια τυχην, η τοι φαυλος εστιν, η κρειττων η ανθρωπος· ὡστε η θηριον, η θεος. Nam qui non naturaliter amans est civilis societatis: is revera neque homo simpliciter, neque pars civitatis dici potest: sed est aut præstantior homine tanquam Deus aliquis, aut deterior homine, et instar belluæ alicujus, quæ solitudinem amat: cujusmodi sunt inter quadrupeda, leones, tigrides, ursi, apri, lupi, &c. inter volucres, aquilæ, accipitres, vultures, harpyiæ, et aliæ similes quæ ex rapto vivunt. Talis propterea nominatur apud Græcos απολις, hoc est, carens civitate: item à Nestore apud Hom. lib. 5. Il. v. 63. appellatur αφρητωρ, sine tribu; αθεμιστος, sine jure et legibus; ανεστιος, sine foco et Penatibus.

Quod est alterum argumentum, quo Aristoteles probat, quòd homo naturâ sit animal politicum?

Alterum argumentum sumitur à proprio hominis, hoc est, sermone: qui præcipuè in hunc usum hominibus datus est, ut possint animi sui sensa sibi mutuo indicare, et explicare, quod bonum, vel malum: quid honestum, vel turpe: quid expetendum, vel fugiendum in vita sit: et sic inter se societatem

constituere atque conservare: ὁ λογος ἐπι τῳ δηλων ἐστι το συμφερον και το βλαβερον, ὡστε και το δικαιον και το αδικον· sermo datus est ad significandum utile et inutile: ideoque et justum et injustum: Aristoteles: quod nisi esset, videretur sermo homini frustrà à natura esse tributus. Unde ἡ φωνη, του ἡδεος και λυπηρου ἐστι σημειον· vox molesti et jucundi est argumentum: et à Cic. in lib. 1. de Leg. Sermo dicitur esse interpres mentis. De qua re idem eleganter 1. Offic. sic scribit: vinculum communitatis, et societatis humanæ est Ratio et Oratio: quæ docendo, discendo communicando, disceptando, judicando, conciliat inter se homines, conjungitque naturali quadam societate; neque ulla alia re longius absumus à naturâ ferarum, quæ sunt rationis, et orationis expertes.

Cùm autem civitas constet ex pluribus domibus et pagis tanquam partibus: quare Aristoteles dicit civitatem esse priorem domo?

Aristoteles non dicit civitatem simpliciter esse priorem domo, sed adjicit particulam τῃ φυσει, hoc est, natura, seu intentione naturæ, et ipsa dignitate atque præstantia. Siquidem omne totum ratione sui finis, et perfectionis prius et præstantius est naturæ ordine, quàm sint ejus partes: το ὁλον προτερον αναγκαιον του μερους· licet, quoad compositionem attinet, sit posterius suis partibus. Etenim sublato toto, omnes quoque partes simul intereunt, et nomen suum unà cum facultate, quam habebant ad proprium suum munus perficiendum, amittunt. Αναιρουμενου γαρ του ὁλου, ουκ ἐσται πους, ουδε χειρ, ει μη ὁμωνυμως, ὡσπερ ει τις λεγει την λιθινην. διαφθαρεισα γαρ ἐσται τοιαυτη. παντα δε τῳ ἐργῳ ὡρισται και τῃ δυναμει· nam sublato toto non est pes neque manus, nisi æquivocè, ut si quis dicat lapideam: hæc enim interiit. Omnia autem opere definiuntur et facultate. Hinc Aristoteles, in lib. 1. de Cœlo, scribit, cap. 2. text. 12. perfectum prius est imperfecto τῃ φυσει. Et lib. 8. Phys. cap. 7. t, 58. et 1. Metaphys.

Και προτερον δη τῃ φυσει πολις,

c. 7. t. 14. et 2. de Part. Anim. c. 1. Quod ortu posterius est, id naturâ est prius.

Quid ex iis, quæ hactenus de civitatis initiis dicta fuerunt, Aristoteles infert?

Ὁ δε πρωτος συστησας μεγιστων αγαθων.

Eos qui initio civitátes constituerunt maximorum bonorum auctores generi humano fuisse. Ratio sumitur ex loco effectorum per αντιθεσιν contrariorum. Nam quemadmodum homo per hanc societatem politicam, quæ legibus et jure regitur et continetur, quodammodo perficitur: et optimum atque præstantissimum omnium animalium efficitur: ita si est extra hanc societatem sine legibus et justitia, efficitur pessimum omnium animalium. Ὡσπερ γαρ τελεωθεν, βελτιστον των ζωων ανθρωπος εστιν. ούτω και χωρισθεν νομου και δικης, χειριστον παντων· rationis approbatio sumitur à vi et natura injustitiæ. Etenim injustitia, hoc est, injustus, malus et improbus, si armis sit instructus, pessimus est, et magis noxius quàm quævis ferocissima bellua. Χαλεπωτατη γαρ αδικια εχουσα όπλα· ὁ δ' ανθρωπος όπλα εχων φυεται φρονησει και αρετη. οἱς επι τ'αναντια εστι χρησθαι μαλιστα· nam injustitia armis instructa maximè est malefica: homo autem cum armis nascitur, prudentia et virtute: quibus in contrariam partem uti maximè licet. Quemadmodum etiam in lib. 5. Eth. cap. 6. scribitur. Et in proverbio dici solet, *quòd homo homini sit lupus,* Plautus in Asinar. act. ii. sc. 4. v. 88. Hæc etiam ferocitas quæ naturaliter plerisque hominibus inest, per arma justitiæ, hoc est, per leges et judicia politica est coërcenda et corrigenda. Propter quam causam etiam homines civitates extruxerunt, mœnibus cinxerunt: non solum ut tuti essent à bestiarum incursionibus: verùm etiam ut ipsi sese mutuò contra malorum injurias et vim possent defendere.

CAPUT III.

Hactenus habuimus Exordium horum librorum, quid jam sequitur?

IPSA εκθεσις enarratio et explicatio doctrinæ politicæ. Επει δε φανερον.

Unde auspicatur Aristoteles istam εκθεσιν?

A prima specie domesticæ societatis, quæ δεσποτικη, id est, herilis nominatur: est enim inter herum sive dominum, et servum.

Quare ab hac societate initium facit?

Quia ratio methodi compositoriæ id postulat. Εν τοις ελαχιστοις πρωτον εκαστον ζητητεον. Prima quæque in minutissimis sunt perquirenda. Nam quoniam ei propositum est præcepta tradere, quo pacto ipsum totum, hoc est, civitas sit constituenda: ideò necessariò à primis et simplicissimis ejus partibus initium facit: hæ autem in domestica societate continentur.

Quæ sunt hujus societatis prima fundamenta et simplicissimæ partes?

Duæ, nempè ipsi homines qui hanc societatem constituunt: *Deindè αἱ κτησεις*, opes et facultates, quæ sunt instrumenta et causæ, sine quibus hæc societas neque rectè constitui, neque diu conservari potest. Eodem modo etiam Aristot. lib. 1. Oecon. cap. 2. scribit: μερη της οικιας δυο, ανθρωπος και κτησις.

Circa homines quæ sunt consideranda?

Duo. *Primùm:* Quinam sint illi homines, ex quibus hæc societas constituitur. *Deindè,* quibus virtutibus præditi esse debeant, si velint in œconomia administranda rectè suo officio fungi. De qua re infrà in postremo capite agitur.

Circa τας κτησεις, hoc est, possessiones et opes quid præcipuè considerandum est?

Duo. *Primùm ἡ κτητικη,* ratio et modus acquirendi: de quo infrà in quinto capite. *Deindè ἡ χρηστικη,* ratio acquisitis rectè utendi: de qua infrà cap. septimo.

Qui sunt igitur illi homines, qui societatem domesticam constituunt?

Πρωτα δε και ελαχιστα μερη. Mas et fœmina: sive vir et mulier: hæ autem personæ considerantur vel respectu dominii et imperii, quod habent, et nominantur dominus et servus: vel respectu conjugii, ut est maritus et uxor: vel respectu procreationis et propagationis familiæ: ut sunt parentes et liberi. Atque hinc existit triplex societas in œconomia: una δεσποτικη, herilis, quæ est inter dominum, et servum: altera γαμικη, conjugalis, quæ est inter maritum et uxorem: tertia πατρικη, paterna, quæ est inter parentes et liberos.

Quis dicitur dominus vel servus?

Hæ duæ personæ sunt in numero relativorum itaque simul considerantur, etse mutuò explicant. Ου γαρ ενδεχεται φθειρομενου του δουλου, σωζεσθαι την δεσποτειαν. neque enim sit, ut servi interitu herilis conservetur potestas, lib. 3. Polit. cap. 4. Proinde, dominus dicitur is, qui habet servum: et servus dicitur is, qui habet dominum. Est ergo dominus persona domestica, idonea ad imperandum servo. Servus autem est persona domestica idonea ad exequendum mandata sui domini. Vel ut Jurisconsulti definiunt. Servus est, qui sui juris non est, sed alterius dominio est subjectus. Nam servitutem Justinianus definit constitutionem juris gentium qua quis dominio alieno contra naturam subjicitur. Instit. lib. 1. tit. 3. §. 2.

Aristoteles quomodo in hoc definit servum?

Servus est instrumentum sui domini animatum, ratione præditum, aptum ad aliquid agendum, naturâ quidem in ejus potestate existens, sed tamen ab eodem separatum. Δουλος εστιν οργανον του δεσποτου εμψυχον, λογικον, τη φυσει μεν κτητον, αλλα χωριστον.

Quare servus dicitur esse οργανον, instrumentum?

Primum, quia quemadmodum in omnibus artibus in quibus aliquid vel agendum, vel efficiendum est, quod ad certum aliquem finem et usum est desti-

natum, necessaria sunt quædam instrumenta, quibus in agendo, vel officiendo opere utimur. *Ανευ γαρ των αναγκαιων αδυνατον και ζην και ευ ζην*· nam sine necessariis impossibile est et vivere et bene vivere: ita etiam in arte domestica dominus seu paterfamiliâs utitur operâ et ministerio servi tanquam instrumento ad negotia domestica expedienda. *Ὁ γαρ ὑπηρετης εν οργανου ειδει ταις τεχναις εστιν*· minister n. organi species est in artibus domesticis. *Deindè* quoniam cum opes et possessiones sint instrumenta administrandæ rei familiaris, servi autem etiam numerentur inter possessiones: igitur meritò quoque dicuntur esse instrumenta. *Το κτημα οργανον προς ζωην εστι· και ἡ κτησις πληθος οργανων εστι, και ὁ δουλος κτημα τι εμψυχον και ὡσπερ οργανον προ οργανων, πας ὁ ὑπηρετης*· rei familiaris membrum ad vitam est organum, et res familiaris multitudo est organorum: et servus, rei familiaris membrum est quoddam animatum, et tanquam organum præter organa alia est omnis minister.

Quare dicitur instrumentum animatum?

Quia duplicia sunt instrumenta, quibus homines in laboribus et operibus suis perficiendis utuntur. Quædam enim sunt animata, *εμψυχα*, quæ vita, sensu et motu prædita sunt, ac seipsa, dum illis utuntur, movere possunt: ut sunt servi, boves, equi, asini, et similia jumenta. Quædam verò sunt inanimata, *αψυχα*, quæ per se nec moventur, nec quicquam agere possunt, sed necesse habent ut ab alio moveantur. Veluti sunt, aratrum, ligo, malleus, serra, securis, culter, calamus, &c.

Cur dicitur esse instrumentum πρακτικον?

Hac differentia servi domestici separantur à ministris opificum, qui propriè sunt *οργανα ποιητικα*, quorum ministerio *εν πρακτικοις*, in operibus efficiendis uti solent: ut sutor in efficiendo calceo, figulus in formanda olla, pistor in pinsendo pane, &c. Servi autem domestici inserviunt usui vitæ quotidianæ, in administranda re familiari. *Ὁ δε βιος πραξις ου ποιησις εστι διο και ὁ δουλος ὑπηρετης των προς την*

πραξις vita actio, non effectio est: quare et servus eorum, quæ ad actionem, minister.

Cur dicitur esse instrumentum λογικον, rationale?

Quia servus non minus est homo, quàm ipse dominus: ideoque etiam ratione præditus, per quam potest heri sui mandata intelligere, in memoria retinere, et rectè expedire.

Cur dicitur esse instrumentum κτητον, quod à suo domino possidetur?

Primùm quia servus non est sui juris, sed alterius dominio est subjectus: ut Jurisconss. eum definiunt. Est enim totus in potestate sui domini. Ὁ μη αυτου φυσει, αλλ' αλλου, ανθρωπος ὢν, οὗτος φυσει δουλος εστι· qui natura non suus, sed alterius est, cum sit homo, hic natura est servus. *Deindè* quia servi etiam numerantur inter τα κτηματα, possessiones, quæ sunt in potestate possidentis: quemadmodum infrà capite 5. ait, ὁ δουλος μερος τι εστι της κτησεως. Unde olim licebat servos vendere et emere non minus, quam reliqua jumenta et pecora, per quam venditionem et emptionem transibant in alterius dominium et possessionem.

Cur dicitur esse instrumentum χωριστον, separabile?

Ad differentiam membrorum corporis, et reliquorum instrumentorum: quæ resecta à suo corpore, aut remota à suo magistro vel opifice, qui ea movere et regere solebat, nihil amplius per se possunt agere, aut efficere. Servus verò postquam mandatum à domino accepit, potest etiam absente et remoto domino laborare, et negotia sibi commissa expedire.

Cur dicis servum τῃ φυσει, hoc est, jure naturali esse sub domini sui potestate?

Quia duplices sunt servi: alii τῃ φυσει και ἁπλως, naturâ et simpliciter: alii τῳ νομῳ, hoc est, lege et secundum quid. Unde etiam duplex dicitur esse servitus, una naturalis, altera (legitima) legalis.

Qui dicuntur esse naturâ servi?

Naturâ servi sunt, qui propter rationis, et ingenii

imbecillitatem neque sibiipsis ea quæ utilia sunt prospicere, neque etiam seipsos, aut alios rectè regere possunt: eo verò corporis robore et viribus præditi sunt, ut et labores perferre, et aliorum mandata exequi possint. Qui hoc modo servi sunt, à serviendo sunt dicti: et sunt revera ubique et semper servi: atque his utilis est servitus.

Qui dicuntur lege servi?

Lege servi sunt: qui vel in bello capti, vel propter certas causas aliorum potestati sunt subjecti: ad quorum nutum et arbitrium vivere, seseque accommodare coguntur.

Quam hinc colligis divisionem?

Ex his colligitur duplex servitus, una naturalis, altera legalis.

Quid est servitus naturalis?

Servitus naturalis est subjectio, qua quis alterius consilio et arbitrio volens, cum suo commodo regitur.

Quibus argumentis probat Aristoteles aliquos esse natura servos?

Quatuor, quorum primum sumitur ex loco adjunctorum. Quicquid necessarium et utile est generi humano in vita quotidiana, illud est secundum naturam. Quoniam natura in omnibus rebus producendis hæc duo potissimum spectat, utilitatem scilicet et necessitatem. Sed ut inter homines aliqui sint domini, aliqui servi, utrinque est utile et necessarium: quemadmodum in præcedente capite fuit monstratum. Ergò quòd aliqui sunt domini, aliqui verò servi, id est secundum naturam.

Πότερον δ' ἐστί τις φύσει.

Quod est alterum argumentum?

Alterum argumentum sumitur à diversitate animorum et ingeniorum, quæ à natura hominibus sunt tributa: quorum aliqui ea valent prudentia, et ingenii dexteritate, ut benè et utiliter possint non solùm sibiipsis, sed etiam aliis consulere et præesse: ea quoque animi magnitudine sunt præditi, ut non facilè possint aliorum imperium ferre. Contrà sunt aliqui ita naturâ comparati: ut licet non

Καὶ εὐθὺς ἐκ γενετῆς.

possint propter ingenii imbecillitatem ea quæ recta et utilia sunt ex seipsis perspicere et intelligere: tamen facilè patiuntur se ab aliis regi et doceri. Proindè quemadmodum illis propter præclaras animi et ingenii dotes, quas à naturâ acceperunt, videtur jure dominium esse concedendum: ita etiam hi propter naturæ defectum videntur jure illis debere esse subjecti. Qua de causa etiam illi naturâ liberi, hi verò naturâ servi possunt nominari.

Quod est tertium argumentum?

Οσα γαρ εκ πλειονων. Tertium argumentum sumitur à diversâ constitutione et habitu corporum. Quibus natura tribuit corpora apta vel ad dominandum, vel ad serviendum: hi etiam naturâ domini, vel servi possunt nominari. Natura enim nihil temerè aut frustrà facit: sed omnia ad certum finem destinat. Sed natura quibusdam hominibus tribuit corpora apta ad dominandum, aliquibus verò apta ad serviendum: ergo homines aliqui naturâ sunt domini, aliqui autem naturâ servi. Minor, confirmatur primùm ab experientia quotidiana: videmus enim naturam aliquibus hominibus tribuisse corpora robusta, crassa, dura, callosa, et quasi compacta et depressa laboribus perferendis, et oneribus gestandis aptissima. Aliis verò corpora dedisse erecta quidem et speciosa, veruntamen tenera, mollia et imbecillia, ad perferendos labores minus nata. (Συμβαινει δε πολλακις τουναντιον, τους μεν τα σωματ' εχειν ελευθερων, τους δε τας ψυχας· sæpè verò contrà accidit, ut hi quidem liberorum habeant corpora, illi verò animos.) *Deindè* à communi hominum judicio et consensu: qui omnes ita judicant, eos qui aliis imperare et dominari volunt, debere etiam forma et præstantia cæteris corporis antecellere: quemadmodum Homerus commendat Agamemnonem, Achillem, Hectorem, Ulyssem, et alios heroas atque Græcorum proceres. Et Virgilius de Ænea scribit, lib. 4. Æn. v. 11.

Quem sese ore ferens, quam forti pectore et armis.

Αλλ᾽ ουχ ὁμοιως ῥᾳδιον ιδειν το τε της ψυχης καλλος, και το του σωματος. sed non similiter facile videre et animi pulchritudinem et corporis.

Tertiò, ex fabulis Poëtarum, qui fingunt Deos aliquando in terris humana forma ambulâsse, et habuisse venustissima, et procera corpora: sicut eorum statuæ, picturæ et simulachra, quæ in templis, collocata fuerunt, testantur.

Quod est quartum argumentum?

Βουλεται μεν ουν ἡ φυσις.

Quartum argumentum sumitur ab èxemplis similibus omnium eorum, quæ ex diversis partibus sunt composita, in quibus semper apparet pars aliqua quæ eminet, et quodammodo cæteras partes regit atque gubernat. Exempli gratia: Corpus cœleste ex pluribus sphæris et stellis est compositum, quæ singulæ habent suum certum motum: sed tamen primum mobile omnes reliquas sphæras secum rapit. Sic inter omnes stellas et planetas Sol obtinet principatum. Homo constat ex animo et corpore: Animo autem potiùs debetur dominium, quàm corpori. Animi plures sunt potentiæ, inter quas principem locum meritò habet ratio. Ἡ μεν γαρ ψυχη, του σωματος αρχει δεσποτικην αρχην. ὁ δε νους, της ορεξεως, πολιτικην και βασιλικην· anima namque corpori impérat herili imperio: mens autem cupiditati, civili et regali. De hac re Cic. in lib. 1. de Naturâ Deorum sic scribit: Omnem naturam quæ non simplex, sed cum alio conjuncta et connexa est, necesse est habere aliquem in se principatum: ut in homine mentem, in bellua quiddam simile mentis, unde oriantur rerum appetitus: in arborum autem et earum rerum, quæ gignuntur è terra, radicibus, inesse principatus putatur. Principatum autem id dico, quo nihil in quoque genere nec potest, nec debet esse præstantius.

CAPUT IV.

Quæ est altera species servitutis?

Ὅτι δὲ καὶ οἱ τἀναντία.

ALTERA species servitutis dicitur δȣλεια νομικος vel νομικη, servitus legalis, sic dicta, quia τῳ νομῳ, hoc est, lege, consuetudine, et instituto hominum est introducta et recepta.

Quid est servitus legalis?

Servitus legalis à Justin. lib. 1. Instit. cap. 3. § 2. sic definitur: Servitus est juris gentium constitutio, qua contrà naturam aliquis alieno domino subjicitur. Vel ut alii definiunt: Servitus legalis est, qua aliquis jure belli, unà cum suis facultatibus, potestati victoris subjicitur. Εςι γαρ τις κατα νομον δȣλος, και δȣλευων. ὁ γαρ νομος ὁμολογια τις εςιν. εν ᾡ τα κατα πολεμον κρατȣμενα των κρατȣντων ειναι φασι· Est enim quidam instituto servus et serviens. Lex enim pactum quoddam est, quo bello victa victorum esse aiunt. Qui hoc modo servi sunt, revera non sunt servi, sed tantùm à servando ita sunt dicti: quia cum ab hoste potuissent occidi, servati sunt ad vitam. l. cit. §. 3.

Est ne talis servitus justa?

Τȣτο δε το δικαιον.

Hæc quæstio ab Aristotele in utramque partem disputatur. Ac primum pro parte affirmativa tria adferuntur argumenta, quod hæc servitus videatur esse justa. Quorum primum sumitur à causa efficiente. Quod virtute est acquisitum, ejus possessio est justa. Sed servitus legalis, qua quis alterius dominio jure belli subjicitur, virtute, hoc est, fortitudine victoris est acquisita. Ergo servitus hæc est justa.

Alterum argumentum sumitur ex loco comparatorum. Qui potentior est, ei jure imperium debetur in minus potentem. Και εςιν αει το κρατȣν. εν ὑπεροχῃ αγαθȣ τινος· atque quod superat semper est in præstantia boni alicujus. Quemadmodum Legati Atheniensium apud Thucydidem, in lib. 1. testantur dicentes: Semper justum habitum fuit, ut imbecil-

liores à potentioribus coërcerentur. Et Solomon Prov. 12. cap. v. 24. Manus fortium dominabitur: ignavorum autem tributis serviet. Sed qui victores sunt in bello ii potentiores sunt victis. Ergò victoribus jure debetur imperium in victos: et per consequens, si eorum dominium est justum, etiam Servitus bello acquisita erit justa.

Tertium argumentum sumitur ex loco Adjunctorum. Quod legibus est constitutum, et usu receptum, id est, justum: nam lex nihil aliud est, quàm jus scriptum. Vel ut hoc loco habet: Lex est ὁμολογία, id est, consensus, seu pactum. Et Cic. Legem naturæ nominat consensum omnium hominum. Sed bellica Servitus legibus est comprobata: Ergò bellica servitus est justa. Minor probatur ex lib. 2. Instit. tit. 1. paragr. 12. ubi sic scribitur: Ea quæ ex hostibus capimus, jure gentium statim nostra fiunt: adeò quidem, ut et liberi homines in servitutem nostram deducantur.

Quomodo probatur, quòd hæc servitus non sit justa?

Duobus argumentis: quorum primum sumitur à causa efficiente. Dominium, quod per solam vim est acquisitum, id non est justum. Ratio, quia verum dominium niti debet benevolentia et voluntate eorum, qui se ultrò propriæ suæ salutis et utilitatis causa aliis subjecerunt. Sed dominium quod bello est acquisitum est violentum. Nam in bello omnia vi et armis geruntur. Ergò tale dominium non est justum: et per consequens etiam servitus bellica non est justa.

Quod est alterum argumentum?

Alterum argumentum sumitur ex repugnantibus. Quia in servitute bellica multa sæpè contingunt, quæ justitiæ et æquitati repugnant. Etenim sic fieri potest, ut in bello ab hostibus barbaris, agrestibus, et sceleratis capiantur viri illustres, generosi, nobiles, virtutibus, eruditione et illis animi dotibus excellentes: quos profectò iniquum esset, et à ratione alienum, cogere, ut barbaris illis et impiis

hostibus, à quibus victi sunt, servirent. Hûc accedit, quòd sæpenumero bella non propter justas causas suscipiuntur et geruntur: in talibus autem bellis etiamsi hostes existunt victores, tamen eorum victoria est injusta: imò si belli causa non est justa, etiam omnia, quæ in eo ab hoste occupantur, injustè possidentur. Proinde etiam talis servitus, quæ hoc modo est acquisita, non poterit dici esse justa.

Si igitur non omnes ii, qui videntur esse servi, sunt revera servi: quæ est vera nota, secundum quam libertas, aut servitus debent æstimari?

Και τοι ὁταν τυτο λεγωσιν.

Quemadmodum sola virtus revera potest hominem nobilitare, et clarum reddere: vitia autem eundem deformant et obscurum reddunt: Ita eadem hæc duo, nempè virtus et vitium sunt veræ libertatis, et servitutis propriæ notæ: ita ut is in quo virtus inest, verè et rectè possit dici liber, ubicunque sit: etiam si quo ad externam vitæ conditionem videatur esse captivus servus. Ut apud Theodectum Helena inquit:

Θειων δ᾽ απ᾽ αμφοιν εκγονοιν ῥιζωματων,
Τις αν προσειπειν αξιωσειεν λατριν;

Utrinque verò è stirpe Divorum satam
Quis jure appellare servam possit?

Αξιουσι γαρ εξ αγαθων αγαθον γινεσθαι· ἡ δε φυσις βυλεται μεν τυτο ποιειν πολλακις, υ μεν τοι δυναται· nam ex bonis bonum nasci volunt: natura à vult quidem hoc facere sæpenumero, sed non potest, et 3. Polit. 8. Βελτιυς εικος τυς εκ βελτιονων· verisimile est meliores ex melioribus. Rursum verò qui vitiis est contaminatus, is revera est servus, etiamsi secundum externam faciem videatur esse liber, et magnus dominus.

Quod facit hoc loco Aristoteles discrimen inter eos, qui naturâ, et qui lege sunt servi?

Διο και συμφερον εστι τι.

Qui naturâ sunt servi, hi verè et ἁπλως, simpliciter semper et ubique sunt servi: eorum quoque servitus est aliquo modo voluntaria, et tàm ipsis, quàm eorum dominis utilis: unde etiam utrinque

inter eos potest esse mutuus amor, et vera amicitia. Qui autem lege sunt servi, hi non verè et simpliciter, neque semper et ubique sunt servi : sed solùm κατα τι, secundum quid, et aliquo respectu dicuntur servi : eorum quoque servitus est violenta, et coacta, ipsisque magis noxia et calamitosa, quam utilis. Unde etiam inter ipsos, et eorum dominos non est mutuus amor, aut vera benevolentia: sed potius odium et metus : quemadmodum in proverbio dicitur :—*Quot servi, tot hostes.* Idem, *oderunt quem metuunt.*

Quid ex jam dictis infert Aristoteles?

Aristoteles ex iis quæ de duobus generibus servorum dixit, infert manifestum esse, quod imperium herile seu domesticum non sit idem cum imperio civili seu politico. Quibus verbis videtur velle refutare Platonis opinionem, qui in dialogo suo politico scripsit, imperium herile et civile non differre inter se specie, sed tantum τῳ πληθει, hoc est, multitudine sive numero eorum in quos exercetur: Exempli gratia, si imperium est solùm erga unum aut paucos qui dicuntur servi, tunc illud imperium nominari δεσποτικον, herile : si verò imperium est in multos qui dicuntur cives, tunc imperium, illud appellari πολιτικον, civile. Hanc opinionem Aristoteles hoc loco refutat, et tribus argumentis probat ista imperia etiam specie inter se differre. Φανερον δε και εκ τουτων.

Quod est primum argumentum?

Primum argumentum sumitur à materia, seu objecto. Quæ versantur circa objecta specie diversa, ea ipsa quoque specie inter se differunt. Sed imperium herile et civile versantur circa objecta specie diversa : illud nam exercetur in homines servos hoc verò in homines liberos: servus autem ab homine libero specie differt. Ergò imperium herile à civili specie differt.

Quod est alterum argumentum?

Alterum argumentum sumitur à forma imperandi. Imperium herile est tantùm penes unum, qui solus et semper imperat suis servis. Imperium

autem civile est penes plures, qui neque semper, neque soli, sed per vices imperant et parent. Ergò ista duo imperia specie inter se differunt.

Quod est tertium argumentum?

Tertium argumentum sumitur à proprio. Dominus proprie æstimatur, τῃ φυσει, ex sua natura, quatenus naturali quadam dexteritate ingenii ad dominandum et imperandum servo præditus est. Politicus autem æstimatur τῃ επιϛημῃ: quatenus scientiam administrandæ Reipub. habet. Atqui hæc duo nempè ἡ φυσις, και επιϛημη, natura et scientia sunt res specie differentes: Ergò etiam imperia sunt specie diversa.

Nullane igitur est scientia dominandi aut serviendi?

Est, etiamsi ex ea propriè dominus, aut servus, non æstimentur, aut definiantur.

Quid est scientia herilis, επιϛημη δεσποτικη?

Scientia herilis est facultas rectè utendi servis, εϛι δυναμις χρηϛικη των δȣλων. Ratio autem rectè utendis servis consistit in duobus: *primùm* ut dominus sciat servis rectè imperare, et mandare: non solùm quid, sed etiam quomodo aliquid ab iis fieri velit. *Deindè* ut etiam possit ea quæ mandavit, tempestivè ab iisdem exigere, deque illis, utrum benè facta sint, rectè judicare.

Quid est scientia servilis, επιϛημη δȣλικη?

Δȣλικη μεν ȣν. Scientia servilis est facultas rectè obeundi servilia ministeria, quæ ad quotidianum usum rei domesticæ sunt necessaria: ea quæ ab Aristotele hoc loco nominantur εγκυκλια διακονηματα, cum inquit: εν Συρακȣσαις λαμβανων τις μισθον εδιδασκε τα εγκυκλια διακονηματα τȣς παιδας· Syracusis mercede quis accepta pueros docebat quotidiana ministeria.

Quæ est distinctio servilium officiorum?

Magna est eorum varietas; possunt autem ferè duabus comprehendi distinctionibus. Quarum prima est ratione qualitatis per comparationem. Quòd ministeria servilia alia sunt honestiora, εντιμοτερα, alia magis necessaria, αναγκαιοτερα: unde natum

est proverbium, quo dicitur: δουλος προ δουλου, δεσποτης προ δεσποτου· servus servo, dominus domino præstantior est.

Alia distinctio est ratione finis seu usus: Quod ministeria servilia alia sunt οικονομικα, quæ inserviunt administrationi rei familiaris: alia sunt γεωργικα, quæ pertinent ad culturam agrorum: alia verò μηχανικα η τεχνικα, quibus varia opificum opera, instrumenta, aliaque vasa utensilia efficiuntur atque elaborantur.

CAPUT V.

Quod est alterum fundamentum domesticæ societatis?

ALTERUM fundamentum domesticæ societatis sunt αἱ κτησεις, vel τα κτηματα, possessiones, opes, et facultates, quæ sunt, ut paulò ante dictum est, quasi instrumenta, et adjumenta, sine quibus societas domestica non potest vel constitui, vel conservari. Ὁλως δε περι πασης.

Quæ sunt hîc consideranda?

Duo: *Primùm* ἡ κτητικη, ratio acquirendi. *Deindè* ἡ χρηστικη, ratio utendi: ουδεν γαρ εστι κτησις, αν μη χρησις προσῃ· nihil enim prosunt divitiæ, nisi accesserit earum usus. Sic infrà in cap. 7. ait, circa τα κτηματα consideranda esse duo, primùm την γνωσιν, η θεωριαν, deindè την πραξιν, quæ consistit εν τῃ χρησει, και εμπειρια.

Quid est ἡ κτητικη?

Ἡ κτητικη, est scientia seu facultás acquirendi ea quæ ad victum et vitæ sustentationem sunt necessaria. Aristoteles, ἡ κτητικη εστιν επιμελεια περι την τροφην. Item, ἡ κτητικη εστι θησαυρισμος των χρηματων προς ζωην αναγκαιων, και χρησιμων εις κοινωνιαν πολεως, η οικιας.

Quid est ἡ χρηστικη?

Ἡ χρηστικη, est facultas et ratio rectè utendi quæsitis, ad necessarios vitæ quotidianæ usus in rei domesticæ administratione.

Quare ἡ κτητικη etiam ab Aristotele appellatur χρηματιστικη?

Hujus rei videntur esse duæ causæ. Prima est, quia τα χρηματα, id est, pecuniæ et nummi sunt commodissimum et maximè usitatum medium atque instrumentum, per quod ea, quæ nobis necessaria sunt, comparamus. Quemadmodum Horatius ait, lib. 2. sat. 3. v. 95.

——— Divina humanaque pulchris
Divitiis parent: quas qui construxerit, ille
Clarus erit, fortis, justus, sapiens, etiam rex,
Et quicquid volet.———

Et Petronius Arbiter,

Quisquis habet nummos securâ naviget aura:
Fortunamque suo temperet arbitrio.

Quidvis nummis præsentibus opta, et veniet.

Altera causa ex priore dependet. Quia enim homines vident pecuniarum beneficio omnia necessaria posse comparari, ideò maximè occupati sunt in congerendis et cumulandis pecuniis, sequentes illud Horatii dictum. lib. 1. epist. 1.

O cives, cives, quærenda pecunia primùm,
Virtus post nummos.———

Estne ἡ κτητικη eadem cum facultate œconomica an vero est solum ejus aliqua pars, aut ejus administra?

Ὁτι μεν ουν ουχ ἡ αυτη.

Quoniam ἡ κτητικη non est simplex, sunt enim plures species et modi acquisitionis: ideò antequam ad hanc quæstionem respondeatur, prius per divisionem explicandi sunt modi et species της κτητικης.

Quotuplex est ergò ἡ κτητικη?

Triplex, quarum una est φυσικη seu κατα φυσιν, quam natura hominibus monstravit necessitate sic urgente. Hæc etiam ab Aristotele αναγκαια, και οικειοτατη, id est, necessaria, et maximè propria nominatur.

Altera est artificiosa, et μη φυσικη, non naturalis, nec necessaria: quæ hominum industria et studio est inventa.

Tertia est mixta, per quam partim ex rebus naturalibus, partim verò arte affectis, victus acquiritur: ut cum ex lapidibus, lignis, metallis, ex terra, luto, et similibus materialibus, quæ naturâ suppeditat, varia ab artificibus efficiuntur opera, vasa supellectilia, et omnis generis utensilia et instrumenta, quibus in quotidiana vita et administratione rei domesticæ tàm necessarius est usus, ut sine illis homines commodè vitam traducere, aut sua negotia exequi non possent. Hûc quoquè pertinent omnia instrumenta rustica, bellica, fabrilia, et similia.

Circa quas res præcipuè versatur naturalis κτητικη?

Circa ea quæ ad victum pertinent.

Quare acquisitio victus dicitur naturalis?

Non solùm quia naturæ necessitas eum postulat Ποτερον δε
sine quo nullum animal diu potest vitam suam μερος αυ-
sustentare: ου γαρ οἱον τε ζην ανευ τροφης: Sed etiam της.
quia hæc acquisitio imitatur naturæ providentiam, quæ omni animali simul ac est in hanc lucem editum, de victu seu alimento videtur prospexisse. Ἡ μεν ουν τοιαυτη κτησις υπ' αυτης φαινεται της φυσεως διδομενη πασιν, ὡσπερ κατα πρωτην γενεσιν ευθυς, ὑτω και τελειωθεισι· Talis igitur res ab ipsa natura omnibus dari videtur, ut statim à primo ortu ita, et perfectis. *Primùm* quidem quòd omnibus animalibus illum affectum indidit, ut suum fœtum seu prolem suam cupiant alere, et nutrire. *Deindè* quod aliquibus prospexit de lacte materno, aliquibus verò aliam quandam materiam adnasci fecit: Unde possint ad aliquod tempus se sustentare: donec ipsa sibi cibum quærere possint. Παντι γαρ εξ ὑ γινεται, τροφη το λειπομενον εςι· omni nam ex quo gignitur, reliquum est victus, cap. 7. Præterea ipsa natura omnibus tam recens natis, quàm adultis, quotidiè è terra producit varias herbas, semina et fructus: unde nutrimentum quærant, quo se et suas proles alere possint. Ipsis denique; hominibus non solùm omne genus animalium, δια την χρησιν και τροφην, ad cibum et victum concessit: verùm etiam eam industriam, et ingenii

sagacitatem largita est: ut varias excogitarent artes, quarum beneficio possent sibi victum, et alia vitæ subsidia comparare. Hinc ita Philosophus: ει ουν ἡ φυσις μηθεν, μητε ατελες ποιει, μητε ματην, αναγκαιον των ανθρωπων ἑνεκεν αυτα παντα πεποιηκεναι την φυσιν· si igitur natura nihil neque imperfectum facit, neque frustra: necesse est, hominum causa hæc omnia fecisse naturam. Τα τε φυτα των ζωων ἑνεκα, και τα αλλα ζωα των ανθρωπων χαριν· stirpes animantium sunt causa, et cæteræ animantes hominum causa.

Hæc naturalis acquisitio quotuplex est?

Duplex, alia enim est simplex, alia mixta: Simplex acquisitio dicitur, qua uno aliquo certo vitæ genere victum nobis acquirimus, veluti ex sola agricultura, aut venatione, aut piscatione, aut uno aliquo artificio. Mixta autem est, per quam non una solum ratione, sed diversis modis et rationibus victum nobis comparamus, ut sunt qui simul et mercaturam et opificium aliquid exercent: item qui simul et agriculturæ, et venationi, et aucupio operam dant.

Estne unius modi hæc simplex victus acquisitio?

Minimè: Nam pro varietate ciborum et alimentorum, etiam variæ sunt species acquirendi victum: quarum Aristoteles hoc loco quatuor præcipuas enumerat. Ου γαρ ταυτο ἑκαστῳ ἡδυ κατα φυσιν, αλλ᾽ ἑτερα ἑτεροις· non enim idem singulis natura est jucundum, sed alia aliis.

Quæ est prima species acquirendi victum?

Prima et præcipue species est, ἡ γεωργια, agricultura, per quam victus quæritur ex terra, et iis quæ è terra nascuntur: ut sunt herbæ, semina, fruges, legumina, fructus arborum, radices, et his similia, quæ esui hominibus sunt accommodata.

Quæ est altera species?

Altera species est, qua ex pastura animalium mansuetorum et cicurum victus quæritur, ut sunt boves, equi, asini, oves, capræ, sues: vocatur hæc ratio νομαδικη, pastoritia.

Quæ est tertia species?

Tertia species acquirendi victum est aliquo modo violenta et bellica. Quando ex prædatione hostium victus quæritur. Nominatur πολεμικη, και ληστρικη, prædatoria.

Quæ est quarta species?

Quarta species est, qua ex venatione bestiarum, et animalium agrestium victus quæritur. Hæc ratio nominatur αγρευτικη, et est triplex, juxta præcipuas differentias bestiarum: quarum aliæ sunt terrestres, aliæ volatiles, aliæ aquatiles: hinc existunt hæ tres species, θηρευτικη, id est, venatio: ορνιθοθηρα, aucupium: et ἁλιευτικη, piscatio.

Nota. Ex his quatuor speciebus et modis acquirendi victum, Aristoteles colligit etiam quatuor vitæ genera: nempè βιον γεωργικον, βιον νομαδικον, βιον πολεμικον η ληστρικον, et βιον αγρευτικον. Quas rursum sic distinguit, quod quædam vita est sine labore: ut est vita pastoralis: quæ propterea etiam ab eo βιος θεωρητικος nominatur: quædam verò est cum labore conjuncta, qui labor vel est sine periculo, ut βιος γεωργικος, vel est cum periculo conjunctus, eoque vel honesto, ut βιος θυρευτικος, vel turpis, ut βιος ληστρικος.

Quare Aristoteles inter naturales modos acquirendi etiam recenset την πολεμικην, cùm tamen iste modus sit violentus, et quasi contra naturam?

Aristoteles videtur loqui de hominibus barbaris et agrestibus, qui quoniam naturâ sunt servi, et ad serviendum facti, quemadmodum supra dictum fuit: ideò justum est, si in bello capiuntur, eos cogere ad serviendum iis, à quibus capti sunt. Quod si verò hoc justum est, ideò etiam est secundum naturam. Prætereà si non est contra naturam feras capere ad hominum usum, etiam non est contra naturam barbaros hujusmodi homines capere, et cogere ut nobis serviant.

Quoniam hactenus explicâsti de variis modis et speciebus της κτητικης; responde etiam ad quæstionem tibi supra propositam, quænam κτητικη sit pars œconomicæ facultatis?

Εν μεν ουν ειδος κτητικης.

Ea κτητικη est pars œconomicæ facultatis, quæ in acquirendo victu et alimento eum servat modum, quem naturæ necessitas postulat, et hominibus monstravit.

Quibus rationibus hoc probatur?

Duabus. Prima est talis. Quæ necessaria sunt ad alicujus rei conservationem, ea etiam sunt pars ejus rei. Sed victus et alimenta sunt necessaria ad conservandam œconomiam. Ergò acquisitio victus et alimentorum sunt pars œconomiæ.

Altera ratio. Quæ sunt veræ divitiæ, earum acquisitio est pars œconomiæ. Sed virtus et alimenta sunt veræ divitiæ. Ergò victus et alimentorum acquisitio est pars œconomiæ. Minor probatur rationibus. Prima. Quæ divitiæ in se habent tantum, quantum satis est ad benè vivendum, illæ sunt veræ divitiæ. Sed acquisitio victus et alimentorum habet in se tantum, quantum satis est ad benè vivendum. Αυταρκεια προς αγαθην ζωην ουκ απειρος εστι· copia enim quæ satis sit ad benè vivendum non infinita est. Ergò victus et alimenta sunt veræ divitiæ. Altera ratio. Divitiæ quæ sunt finitæ, hoc est, quæ habent certum modum, finem, et usum: hæ sunt veræ divitiæ. Sed victus et alimenta sunt finita. Ergo sunt veræ divitiæ. Minor probatur. Quæ sunt instrumenta et media ad aliquid efficiendum destinata, ea debent esse finita. Ουδεν γαρ οργανον, απειρον ουδεμιας εστι τεχνης, ουτε πληθει ουτε μεγεθει· nullius enim artis organa sunt infinita aut multitudine aut magnitudine. Sed victus et alimenta sunt instrumenta et media ad administrandum rem familiarem destinata. Ergò victus et alimenta sunt finita.

Objectio. At Solon in quodam carmine scripsit, divitiarum nullum esse certum terminum?

Solutio. Hæc Solonis sententia, qua inquit: Και εοικεν ὁγ' αληθινος.

Πλουτου δ' ουθεν τερμα πεφασμενον ανδρασι κειται:
Nulla homini finis defixa est divitiarum:

non est intelligenda de naturali appetitu victus et alimentorum. Iste enim appetitus facilè potest satiari: siquidem natura paucis est contenta: sed de inordinato appetitu earum rerum, quæ non necessariæ sunt, sed tantùm sunt administræ maximarum voluptatum: ut Cic. ait: Talium enim cupiditas est inexplebilis, et in infinitum progreditur, ac subindè crescit, ideò comparatur hydropi: in quo morbo, quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ, teste Ovidio 1. Fastor. v. 216. sicut etiam dicitur:

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.
Juv. Sat. xiv. v. 139.

Hanc κτητικην Aristoteles in sequente capite reprehendit, et ait, eam meritò nominari χρηματιστικην δι' ἡν ουδεν δοκει περας ειναι πλουτου, και κτησεως.

CAPUT VI.

Quæ est altera acquirendi ratio, quam dixisti non esse naturalem, sed artificiosam: δια τεχνης και εμπειριας?

NON naturalis κτητικη est, qua victum et alias res acquirimus per commutationem: δια την αλλαγην και μεταβολην: unde etiam αλλακτικη, και μεταβλητικη, permutatoria, et commerciaria nominatur. Ετι δε γενος αλλο κτητικης.

Si hæc κτητικη *non est naturalis, estne contra naturam?*

Minimè. Quoniam si legitimo modo exercetur, tum non repugnat naturæ: sed potius defectum ejus supplet, et tanquam ministra succurrit naturæ.

Quo pacto hæc differt à priore?

Quatuor potissimùm modis: *Primùm* origine seu causa efficiente. Nam priorem rationem docuit,

et postulat naturæ necessitas: hæc verò hominum industria et arte est inventa. Itaque prior est necessaria, hæc autem adventitia.

Quod est alterum discrimen?

Deinde differunt causa formali: quia prior est finita, certis nimirùm terminis ab ipsa natura circumscripta: quæ sicut paucis est contenta, ita etiam facilè potest ei satisfieri. Nam ut Cic. ait: Tantum solummodò cibi et potionis adhibendum est, ut vires naturæ reficiantur, non opprimantur. Hæc autem posterior ratio acquirendi est infinita, prosecta nimirum ab hominum cupiditate, quæ insatiabilis est. *Ὥσπερ ἡ ἰατρικὴ τοῦ ὑγιαίνειν εἰς ἄπειρόν ἐστι, καὶ ἑκάστη τῶν τεχνῶν τοῦ τέλους εἰς ἄπειρον· ὅτι μάλιστα γὰρ ἐκεῖνο βούλονται ποιεῖν·* ut ars medendi ad sanandum infinite fertur, et ars quæque ad finem infinitè: hunc enim quam maximè efficere volunt. Ac de ea rectè Solonis dictum, cujus supra mentio facta est, accipiendum est.

Quod est tertium discrimen?

Tertiò differunt causa materiali et objectis, circa quæ utraque ratio acquirendi versatur. Nam prior solùm versatur circa victum et alimenta, quæ ad vitam sustentandam hominibus sunt necessaria. Hæc autem non solùm circa victum et alimenta, sed etiam circa alias quascunque res est occupata: quarum acquisitio ad vitam hanc commodius transigendam videtur esse accommodata.

Quod est quartum discrimen?

Quartò differunt causa finali. Prior enim acquisitio ad supplendam naturæ indigentiam et necessitatem refertur. Hæc autem posterior ab hominibus excogitata est ad splendorem, voluptatem et luxum.

Quot modis fit rerum permutatio?

Λαβόμεν δὲ περὶ αὐτῆς. Duobus. Vel enim permutatio fit simpliciter sine aliquo medio: ut cum res permutantur pro rebus: merces pro mercibus: frumentum pro vino: vinum pro oleo: zingiber pro pipere: ferrum pro lana, &c. Vel permutatio fit per aliquod medium,

per quod res permutandæ prius æstimantur certo aliquo pretio: ut cum pro frumento, vel vino, vel re alia, datur pecunia. Quemadmodum fieri solet in emptionibus et venditionibus.

Quomodo vocatur hæc permutatio?

Χρηματιστικη, pecuniaria, partim quia fit per τα χρηματα, quæ sunt medium et instrumentum hujus permutationis: το γαρ νομισμα, στοιχειον και περας της αλλαγης εστι· nummus enim primum et ultimum est in permutatione: partim quia majore ex parte ferè tota hæc permutandi ratio dirigitur προς την συλλογην και συναυξησιν των χρηματων, ad coacervandas et cumulandas pecunias.

Quare inventa est hæc ratio permutandi?

Ut facilior esset permutatio et conquisitio earum rerum, quibus indigemus: quarum transportatio alioquin fuisset difficillima. Ου γαρ ευβαστακτον ἑκαστον των κατα φυσιν αναγκαιων· nam res singulæ ad naturam necessariæ non facilè huc illuc comportari possunt.

Quotuplex est hæc χρηματιστικη?

Duplex. Una honesta, licita, et in hac civili vita ut plurimum necessaria atque utilis: per quam res æquo pretio æstimantur, ut inter ementes et vendentes, aut alio modo permutantes, justa utrinque et utilis possit fieri permutatio. Altera autem est turpis et prohibita neque necessaria: cujus etiam duo sunt modi, unus est, quando ipsæ RES permutandæ majore pretio æstimantur ac permutantur, quàm æquum et justum est: atque hæc ratio permutandi nominatur καπηλικη, cauponaria. Alter modus est, quando ipsa pecunia pro pecunia commutatur: idque rursum duobus modis fit: primus est, quando pro sola permutatione lucrum aliquod exigitur: "da man etwas weiters fur den Auffwechsel geben muk," quæ ratio vocatur ab aliis κολλυβιστικη, hoc loco οβολοστατικη, nummularia. Deindè quando pecunia ad certum aliquod tempus pro fœnore elocatur, ut ex se aliam pecuniam successu

temporis pariat: quæ ratio vocatur fœneratio, usura, Græcè τοκισμος, et τοκος, απο τυ τικτειν, à pariendo: quasi pecuniæ fœtus et partus: ὁμοια γαρ τα τικτομενα τοις γεννωσιν αυτα εςιν· genita enim similia sunt gignentibus ipsa, cap. 7. Quæ ratio acquirendæ pecuniæ, est omninò contra naturam pecuniæ, quæ solum inventa fuit, ut esset medium permutátionis: non autem ut ipsa ex se altam pareret pecuniam.

Quomodo definitur ab Aristotele καπηλικη?

Εκ μεντοι ταυτης εγινετο.

Ἡ καπηλικη εςι δυναμις θεωρητικη, ποθεν εςαι πληθος χρηματων· Cauponaria est facultas excogitandi et inquirendi modum et rationem, unde possit haberi magna vis pecuniæ.

Qualis est καπηλικη?

Est turpis et sordida. *Primùm* quia est contra naturam, ut paulò ante dictum est. *Deindè* quia ipsa pecunia, quæ debebat esse solum medium et instrumentum facilioris permutationis, jam ab hominibus habetur pro fine et scopo permutationis: quatenus homines student per hanc rationem adhuc plures alias pecunias cumulare. *Tertiò* quia hæc hominum cupiditas extenditur in infinitum: quemadmodum etiam paulò antè dictum est: unde Aristoteles hoc loco ait: ταυτης της χρηματιςικης ουκ ειναι του τελυς πεςας, id est, finem hujus pecuniariæ rationis nullum habere extremum, in quo consistat.

Quomodo differt hæc καπηλικη ab illa priore pecuniæ permutatione?

Primùm in eo differt, quod illa prior est aliquo modo secundum naturam, quatenus per eam indigentiæ et necessitati naturæ succurritur: Hæc autem naturæ repugnat. *Deindè* quòd illa inservit œconomiæ, estque ejus cognitio œconomo aliquo modo utilis et necessaria: hæc autem propriè ad œconomum non pertinet, ideoque ad œconomiam non est necessaria. Neque enim œconomi, quatenus œconomus est, proprium officium est conquirere et augere opes et pecunias: sed opibus et pecuniis rectè in administranda re domestica uti. *Tertiò,*

quòd per priorem rationem acquirúntur veræ et honestæ divitiæ: per hanc verò acquiruntur opes, quæ cum probro aliquo et dedecore acquirentis sunt conjunctæ. *Quartò* quod prior ratio acquirendæ pecuniæ est finita: respicit enim verum finem, nempe utilitatem domesticorum: *προς δε το τελος ἁπαντα δεον απανταν*, ad finem verò omnia oportet referre. Hæc autem non est finita, hoc est, non respicit certum et verum finem œconomiæ: sed in infinitum cogitat pecunias cumulare, non utendi, sed solùm possidendi gratia. Κτησις autem non est verus divitiarum finis, sed *χρησις*.

Sunt ne pecuniæ veræ divitiæ?

Plerique quidem homines existimant, *τον πλυτον*, id est, divitias nihil aliud esse quàm *πληθος νομισματων*, copiam et multitudinem pecuniarum: ideoque in illis conquirendis et cumulandis tantoperè sunt occupati. Verùm Aristoteles hanc eorum opinionem nominat *ληρον*, id est, nugas: quia per eam homines vehementer decipiuntur et errant: quod confirmat duabus rationibus. *Prima ratio:* Quæ divitiæ sunt incertæ, hæ non sunt veræ divitiæ. Sed divitiæ ex solis pecuniis congestæ, sunt incertæ: quoniam pecuniarum seu nummorum valor ex hominum voluntate et arbitrio pendet: qui possunt valorem aut retinere, aut mutare, aut omninò abrogare. *Altera ratio* est: veræ divitiæ sunt, quarum præsentia et beneficio homo potest se suamque vitam sustentare. Atqui sōlis pecuniis seu nummis, licet in magna copia adsint, non potest homo se, vitamque suam sustentare. Ergò pecuniæ non sunt veræ divitiæ. Minor probatur exemplo Midæ, regis Phrygiæ, de quo fabulantur Poëtæ, ut est apud Ovid. lib. ii. fab. 4. qui cum ex nimia avaritia precatus esset Jovem, ut quicquid attingeret, illud in aurum converteretur, atque hujus sui voti compos factus esset, tandem omnes cibi quos comedere volebat, in aurum sunt conversi, ita ut illis frui non posset, ut sic coactus fuerit in summa pecuniarum abundantia fame perire.

Και γαρ τον πλυτον τον πολλακις.

Si pecuniæ non sunt veræ divitiæ: quæ sunt igitur causæ propter quas homines tanto studio, tantaque aviditate in illis conquirendis et cumulandis sunt occupati?

Hujus rei Aristoteles videtur tres causas adferre. *Prima causa* est ipsa affinitas et cognatio, quæ est inter œconomiam et χρηματιστικην: Nam ad œconomiam benè et feliciter administrandam omninò opus est pecuniis: sine quibus ea quæ necessaria sunt ad alendam familiam: difficulter haberi aut conquiri possunt: itaque qui bonus vult videri œconomus, etiam studet, quo pacto possit colligere pecunias ad emenda necessaria. *Altera causa* est innatus amor, et studium vitæ conservandæ et prolongandæ: Quia autem pecuniarum beneficio vitæ præsidia, et subsidia comparantur: ideò etiam homines tantoperè laborant in conquirendis pecuniis. *Tertia causa* est, nimia voluptatum cupiditas: qua major hominum pars laborat. Εις απειρον ουν εκεινης της επιθυμιας ουσης, και των ποιητικων απειρων επιθυμουσιν· Ea igitur cupiditas quia est infinita, et efficientia infinita cupiunt. Quia autem pecuniæ magnum adferunt adjumentum ad voluptatum desiderium explendum: ideò etiam eam ob causam tantoperè ab hominibus expetuntur. De utraque jam dicta causa inquit Cic. lib. 1. Off. Expetuntur autem divitiæ, cum ad usus vitæ necessarios: tùm ad perfruendas voluptates. Et lib. 2. de fin. Pecunia est effectrix multarum et magnarum voluptatum.

CAPUT VII.

Quoniam præcipuos modos et species της κτητικης hactenus explicasti: responde jam ad quæstionem tibi supra in quinto capite propositam: Est ne ἡ κτητικη, eadem cum facultate œconomica, an verò est aliqua ejus pars: aut ejus administra?

Δηλον δε και το — AD hanc quæstionem primùm generatim respondeo negando, nempè: quòd κτητικη non eadem sit cum

facultate œconomica. Atque hoc probo tali argumento. Quarum facultatum diversus est finis, et diversum munus, hæ non sunt eædem. Sed prædictarum duarum facultatum diversus est finis et diversum munus. Ergò duæ hæ facultates non sunt eædem. Minor declaratur: Quoniam της κτητικης, finis et munus est acquirere opes: της οικονομικης verò finis, et proprium munus est, posse rebus acquisitis rectè in administratione rei familiaris uti: unde etiam Xenophon œconomum definit esse eum: ὅςις αριςα χρηται τῳ οικῳ. απορυμενον εξ αρχης.

Quomodo hoc ipsum Aristoteles amplius declarat?

Tribus exemplis similibus. Primum simile. Quemadmodum scientia politica non facit homines: sed aliundè eos sumit, eorumque opera in administranda Repub. utitur: ita œconomiæ munus non est, acquirere opes: sed solùm acquisitis rectè in domestica administratione uti.

Alterum simile. Quemadmodum textor non ipse facit lanam aut fila: sed ex illis, aliundè sibi allatis, telam et pannum texit: ita œconomus non acquirit opes: sed acquisitis rectè in administratione rei domesticæ utitur.

Tertium simile. Quemadmodum ars medica non propterea eadem est cum politica: etiamsi magistratus politici ὡς τυ οικονομυ και τυ αρχοντος officium sit, in civitate etiam eorum curam habere, quæ pertinent ad valetudinem et sanitatem civium: ita neque κτητικη, propterea eadem est cum facultate œconomica: quia boni œconomi officium est, etiam providere de iis rebus, quæ ad administrandam domum, et alendam familiam sunt necessariæ.

At si κτητικη, non est eadem cum facultate œconomica: Estnè aliqua ejus pars, aut administra?

Quia κτητικη, non est simplex, quemadmodum hactenus est explicatum: ideò ad quæstionem hanc etiam per distinctionem sic respondeo. Ea κτητικη, naturalis et necessaria est: per quam indigentiæ, et necessitati naturæ, honesta et justa ratione suc-

curritur: ea, inquam, maximè pertinet ad œconomiam ratione cognitionis: estque non solùm ejus administra, sed etiam aliqua ejus pars. Cujusmodi est prima illa species, quæ μεταβλητικη και χρηματιςικη nominatur. Ea autem κτητικη, quæ neque naturalis, neque necessaria est: sed solùm ad explendam hominum avaritiam, aut ad perfruendas voluptates est inventa: eá ad œconomiam non modo non pertinet: verùm etiam est turpis, et fugienda: qualis est ea, quæ καπηλικη, cauponaria, et οβολοςατικη, nummularia, fœneratoria, et usuraria appellatur. Ευλογωτατα μισειται ἡ οβολοςατικη δια το απ' αυτου του νομισματος ειναι την κτησιν, και ουκ εφ' όπερ εποριςθη μεταβολης γαρ εγινετο χαριν· ὁ δε τοκος αυτο ποιει πλεον· Meritissimo odio habetur ars fœnerandi: quia est quæstus ex ipso nummo, non ex eo cujus gratia est repertus, permutationis namque gratia existit: fœnus autem ipsum auget.

Explicasti hactenus unum caput, quod circa τα κτηματα, opes et facultates, est considerandum, nempè την κτητικην, rationem acquirendi. Quod est alterum caput, quòd hîc quoque considerandum est?

Επει δε τα προς την γνωσιν. Alterum caput quod circa τα κτηματα, id est, opes, et facultates in œconomia considerandum, est περι της χρηςικης, de ratione utendi, quo pacto nimirum opibus acquisitis rectè in administratione rei domesticæ sit utendum. Παντα δε τα τοιαυτα, την μεν θεωριαν ελευθερον εχει, την δε εμπειριαν αναγκαιαν· Hæc autem omnia cognitionem quidem habent liberalem, exercitationem verò necessariam. Ac quemadmodum prius caput pertinebat προς την θεωριαν και γνωσιν, ita hoc refertur, προς την πραξιν και εμπειριαν. Ejus definitio suprà in 5. cap. fuit tradita.

Quæ traduntur ab Aristotele de hac parte præcepta?

Aristoteles in hoc loco solum quatuor generalia præcepta tradit, quæ circa rectum divitiarum usum œconomo sunt servanda. Nam de singulis seorsim et accuratius præcipere, propriè ad scientiam politicam non pertinet. Est autem primum præceptum

tale. Qui bonus vult esse œconomus, debet habere peritiam earum rerum, quæ ad familiæ sustentationem maximè sunt utiles et necessariæ, unde, quando, quomodo, et in quem usum sint comparandæ. Αλλα γαρ εν αλλαις ευθηνει χωραις· Alia enim aliis in regionibus florent, vel alia alibi potiora gignuntur. Hoc præceptum præcipuè pertinet ad primam κτητικην, quæ est secundum naturam, quæ ex rebus, quas natura nobis subministrat, victum quærimus: ut ex agricultura, pastura, et venatione.

Quod est alterum præceptum?

Alterum præceptum pertinet ad κτητικην artificiosam, quæ fit permutando. Circa rerum permutationes œconomum nosse oportet species sive modos secundum quos permutationes fiunt: et quinam ex illis sint honestiores, utiliores, magisque necessarii.

Quæ sunt præcipuæ species permutationum?

Tres: Mercatura, Fœneratio, et Mercenaria locatio: εμπορια, τοκισμος, μισθαρνια. Mercatura est ratio, qua vel per mercium commutationem, vel per emptionem et venditionem interveniente pecunia res acquirimus.

Quæ sunt ejus species?

Tres hoc loco enumerantur ab Aristotele mercaturæ species: una ναυκληρια, mercatura nautica, seu maritima, qua merces navibus per mare et flumina hinc inde transvehuntur. Altera φορτηγια subvectoria aut terrestris, qua jumentis vel curribus merces per terram ex una urbe vel regione ad aliam transportantur. Tertia, παραστασις, stataria, vel institoria, qua domi mercatura exercetur, quemadmodum institores facere solent. Differunt autem hæ tres species mercaturæ etiam in eo, quod aliæ aliis sunt tutiores, minusque periculosæ: et quòd aliæ aliis sunt fructuosiores.

Quid est fœneratio?

Fœneratio est pecuniæ pro pecunia cum lucro aliquo commutatio. De hac in præcedente cap.

dictum est, quòd sit contra naturam pecuniæ, ideoque turpis et sordida.

Quid est μισθαρνια?

Μισθαρνια est opera mercenaria: quando aliquis suos labores, et suas operas alteri pro mercede addicit, et quasi vendit: Græcè μισθαρνια εϛιν ἡ επι μισθῳ γενομενη εργασια, est opera mercenaria.

Quæ sunt talium εργασιων, operarum differentiæ?

Εισι δε τα τεχνικω-τατα μεν των εργα-σιων. *Primùm* εργασιαι, id est, operæ illæ vel præstantur ex certa aliqua arte: ut sunt operæ fabrorum, sartorum, textorum, et aliorum opificum: vel præstantur solo corporis robore et viribus: ut sunt operæ bajulorum, lignatorum, fossorum, agricolarum, tabellariorum, &c. *Deindè*, quædam operæ sunt τεχνικωταται, artificiosissimæ: in quibus vel nihil, vel admodum parum fortunæ dominatur, ut sunt operæ pictorum, statuariorum, scribarum. Quædam sunt βαναυσοταται, sordidissimæ: εν αἱς τα σωματα λωβωνται μαλιϛα, per quas corpora laborantium inquinantur: veluti sunt operæ cerdonum, coriariorum, ferrariorum, tinctorum, coquorum, laniorum, et similium opificum. Quædam sunt δουλικωταται, maximè serviles: ὁπου του σωματος πλειϛαι χρησεις, in quibus præstandis tantùm corporis robur, nullæ autem vires animi et ingenii requiruntur: ut sunt operæ bajulorum, fossorum, et similium, de quibus in priore distinctione etiam dictum est. Quædam denique operæ sunt αγεννεϛαται, vilissimæ, et maximè ignobiles: ὁπου ελαχιϛον προσδει αρετης, in quibus peragendis minimum virtutis requiritur: veluti sunt operæ scopariorum, unctorum, balneatorum, janitorum, mediastinorum, et similium.

Quod est tertium præceptum?

Tertium præceptum pertinet ad eam κτητικην, quam suprà nominavit Mixtam, per quam ex rebus naturalibus quidem, sed artificiosè elaboratis et fabricatis, pecuniæ et opes acquiruntur. De his Aristoteles hoc tradit præceptum. Bonum œconomum nosse oportet, ad quæ opera et instrumenta

efficienda unaquæque materia maximè sit accommodata: quo pacto etiam, quando, et unde materia illa sit comparanda, ac præparanda, ut inde opus artificiosum et utile effici possit.

Quod est quartum præceptum?

Debet etiam bonus œconomus non solùm aliorum scripta legere, qui tàm de naturali, quàm de artificiosa ratione acquirendi aliquid scripserunt: verùm etiam eorum exempla et facta observare et imitari: qui in conquirendis opibus novas et peculiares rationes excogitarunt. Τα λεγομενα σποραδην, δι' ὧν επιτετυχηκασιν ενιοι χρηματιζομενοι, δει συλλεγειν, παντα γαρ ωφελιμα ταυτ' εςι τοις τιμωσι την χρηματιςικην· Quæ sparsim dicuntur, per quæ quidam quæstui dediti, rem benè gesserunt, colligenda sunt, omnia namque hæc artem rei quærendæ colentibus sunt utilia. Cujus rei duo commemorat exempla: unum Thaletis Milesii, insignis Astronomi, qui cum ex sua arte prævidisset fore eo anno magnam ubertatem olearum: ipse omnes officinas olearias parvo pretio conduxit: postea, cum jam tempus advenisset exprimendi, et colligendi oleum: easdem iterum pro magna pecunia aliis elocavit: et hac ratione multum pecuniæ lucrifecit. Ὁτι ῥᾳδιον εςι πλυτειν τοις φιλοσοφοις αν βυλονται· αλλ' υ τυτ' εςι περι ὁ σπυδαζυσι· Facile namque est philosophis ditescere, si velint: sed hoc non est, in quo eorum est studium.

Alterum exemplum est de quodam Syracusano: qui ex quinquaginta talentis apud se depositis, omne ferrum coëmit, et sic monopolium instituit: ut quicunque ferrum habere vellit, cogeretur ab ipso emere: qua ratione ex quinquaginta illis talentis centum lucrifecit.

CAPUT VIII.

Quid in hoc postremo capite agitur?

ARISTOTELES in hoc capite redit ad societatem domesticam, de qua in tertio et quarto capite cœpe- Επει δε τρια.

rat agere: præcipuè autem agit de personis et virtutibus eorum, per quos œconomia et res familiaris est administranda.

Quæ est eorum differentia?

Qui œconomiam administrant, hi aut sunt αρχοντες, id est, imperant, et præsunt aliis: aut sunt αρχομενοι, id est, parent, et imperata faciunt: ut dominus imperat servo, maritus uxori, pater filio.

Quotuplex est istorum imperium?

Triplex, juxta tres species domesticæ societatis: unum dicitur imperium herile, δεσποτικον: alterum imperium conjugale, γαμικον: tertium paternum, πατρικον.

Estne eadem forma imperii in omnibus his tribus speciebus?

Minimè. Nam paternum imperium est quodammodo βασιλικον, regium: siquidem pater non solùm auctoritate, ætate, et prudentia, verum etiam benevolentia et beneficentia ita se habet erga suos liberos, quemadmodum bonus rex se habere debet erga suos subditos. Quare Homerus rectè inquit de Jove: Πατηρ ανδρωντε Θεωντε, hominum pater atque Deorum, sic appellans horum omnium Regem. Φυσει γαρ τον βασιλεα δια φερειν μεν δει, τῳ γενει δ' ειναι τον αυτον· Natura namque Regem differre quidem oportet, genere verò esse eundem.

Quale est conjugale imperium quod habet maritus in uxorem?

Imperium mariti in uxorem est πολιτικον, civile: quia est inter æquales, et refertur ad utriusque commune commodum, habet etiam quandam vicissitudinem: quatenus conjuges inter se communicant consilia, et communiter rem domesticam administrant: ac familiæ imperant.

Quale est imperium herile, quod habet dominus in servum?

Imperium herile est quodammodò Tyrannicum, maximè verò tùm, quando dominus est homo durus et severus. Nam in hoc imperio omnia non solùm

ad unius, nempè domini, arbitrium et voluntatem fiunt, verùm etiam ad illius commodum et utilitatem referuntur.

Jurene imperat dominus servo, maritus uxori, pater liberis?

Maximè. Nam quod ad herile imperium attinet, supra in quarto capite probatum fuit, aliquorum servitutem esse justam: unde etiam à contrario sequitur, imperium in tales servos etiam esse justum Quod verò imperium mariti in uxorem, et patris in liberos sit justum, probatur ex eo, quia et naturæ et justitiæ est consentaneum, ut qui à natura aptiores et digniores ad imperandum facti sunt, hi etiam imperium habeant in eos, qui minus sunt apti et digni: atqui maritum et parentes à natura aptiores et digniores ad imperandum factos esse, quàm uxorem et liberos: per se manifestum est. Το τε γαρ αρρεν φυσει του θηλεος ἡγεμονικωτερον, ει μη που συνεστηκε παρα φυσιν· και το πρεσβυτερον και τελειον, του νεωτερου, και ατελους· Mas namque, quàm fœmina, ad imperandum natura est aptior (nisi sicubi est contra naturam): atque ætate superans, et perfectum, quàm id quod ætate superatur, et imperfectum.

In jam commemoratis personis œconomicis, requirunturne etiam aliquæ virtutes, per quas possint suo officio in administranda œconomia rectè fungi?

Maximè. Omnis enim bona et perfecta actio à virtute aliqua proficiscitur, et perficitur.

Quæ sunt igitur illæ Virtutes?

Primùm, Omnes virtutes Ethicæ, quæ commu- Πρωτον
niter in omnibus iis requiruntur, qui cupiunt pro μεν ουν περι
bonis et honestis viris haberi: tales autem quoque δουλων.
esse debent domestici: nam à malis et improbis hominibus nunquam poterit res domestica benè administrari. *Deindè* requiruntur etiam in illis certæ quædam virtutes, quæ peculiariter et propriè ad domestica negotia rectè perficienda pertinent: et propterea œconomicæ virtutes appellantur. Exempli gratia, et in domino et patrefamiliâs requiruntur

peritia rei familiaris, et prudentia, qua possit servis et familiæ rectè præcipere, et mandare ea negotia, quæ illis sunt peragenda. In marito autem et patrefamiliâs requiritur gravitas et auctoritas, cum amore et humanitate conjuncta, erga uxorem, liberos, et reliquam familiam. In uxore, reverentia erga maritum, pudicitia, taciturnitas. Hinc Sophocles ait in Ajace: γυναικι κοσμον ἡ σιγη φερει· Mulieri decus affert silentium. Αλλ' ανδρι ουκετι τουτο· Sed non jam hoc in viro. In servo, fidelitas, diligentia, et industria, in exequendis mandatis sui domini. In liberis et pueris, obedientia, modestia, et verecundia. Παιδος γαρ αρετη, επι ατελης, ουκ αυτου προς αυτον εστιν, αλλα προς τον τελειον και τον ἡγουμενον· Cum enim puer sit imperfectus, et hujus virtus non ipsius est ad ipsum, sed ad perfectiorem, et eum qui præest.

Quotuplices facit Aristoteles hoc loco virtutes?

Duplices, quarum aliæ sunt αρχικαι, quasi imperantes et præcipientes: quæ conveniunt iis personis, quæ in administratione rei domesticæ aliis imperare debent: ut domino, marito, patri: aliæ sunt ὑπηρετικαι, hoc est, ministrantes: quæ conveniunt iis, qui aliis debent parêre et imperata facere: ut servo, uxori, liberis.

Estne eadem, quoad speciem attinet, virtus του αρχοντος, και του αρχομενου, id est, ejus qui imperat, et ejus qui paret?

Φανερον τοινυν οτι αναγκη. Aristoteles hanc quæstionem prolixè in utramque partem disputat. Summa autem hujus disputationis videtur hæc esse. Quoniam το αρχειν, και το αρχεσθαι, imperare, et imperium pati, seu imperata facere, specie differunt: sunt enim diversorum prædicamentorum: ideò etiam proficiscuntur à virtutibus specie differentibus. Et sic του αρχοντος και αρχομενου, quod infimam speciem attinet, non est eorum planè eadem prudentia, fortitudo, justitia, temperantia, aut alia aliqua virtus moralis: licet videantur genere ipso convenire: et tantùm gradibus secundum magis et minus differre: nimirùm

quòd hæ in aliis sunt excellentiores, et perfectiores: in aliis verò minus perfectæ: pro diversitate conditionis, et dignitatis personarum, à quibus œconomia administratur.

Quomodo Aristoteles hoc discrimen declarat?

Duobus exemplis similibus. Unum sumitur à duabus potentiis animi humani: quarum una imperat, nempè Ratio: altera obtemperare debet rationi, videlicet Appetitus, seu Cupiditas. Utriusque autem potentiæ sunt propriæ quædam, ac specie differentes virtutes. Nam ad rationem pertinent virtutes διανοητικαι, intellectuales: ad appetitum verò referuntur virtutes ηθικαι, morales. Illæ omnibus insunt, αλλὰ διαφερoντως, sed dissimiliter. Ὁ μεν γαρ δουλος, ὅλως ουκ εχει το βουλευτικον· το δε θηλυ εχει μεν, αλλ᾽ ακυρον· ὁ δε παις, εχει μεν, αλλ᾽ ατελες· Nam servus quidem prorsus non habet vim consultandi: fœmina verò habet illam quidem, sed infirmam; puer verò habet illam quidem, sed imperfectam. Alterum exemplum sumitur ab Architecto, et reliquis fabris: quorum operâ ipse Architectus in extruendo ædificio utitur. Architectus est is, qui gubernat totum opus: et imperat cæteris fabris, quid singuli facere debeant: qui sunt quasi ejus ministri, ad cujus præscriptum omnia faciunt. Etsi verò architectus, et reliqui fabri versentur circa idem opus: tamen ars architecti specie differt ab arte reliquorum fabrorum: ipsumque opus architecto potius ascribitur, quàm cæteris fabris, licet ipse quantum ad labores attinet, fortasse minus quàm cæteri in eo efficiendo laborasse videatur.

Requiriturne in servo aliqua virtus moralis?

In servo, quatenus est homo ratione præditus et debet domini sui mandata rectè expedire: in eo virtus moralis quoque locum habet, et requiritur: alioquin enim videretur ei ratio à natura frustrà esse tributa. Quatenus verò est naturâ servus, id est, homo rudis et agrestis: ac simpliciter domini sui imperio ita subjectus, ut ex propria sua voluntate

nihil ei suscipere, aut facere liceat: sed totus ex nutu et arbitrio sui domini pendet: catenus eximia aliqua virtus moralis non admodum in eo requiritur. Alioquin enim, si virtute aliqua excelleret, indignus esset servitute.

Quales sunt servi virtutes?

Sunt ὀργανικαί, instrumentariæ: dominus enim, ut suprà cap. 3. in definitione servi dictum fuit, utitur servo tanquam instrumento animato. Sunt etiam διακονικαί, hoc est, per quas servi sua διακονήματα, hoc est, ministeria et obsequia præstant suis dominis in administranda re familiari. Sunt denique σωματικαί, corporales, quoniam ut plurimum robore, et viribus corporis præstantur. Atque ex his rursum aliæ sunt δουλικαί, serviles: quæ propriè in servo ad ministeria servilia præstanda requiruntur: aliæ sunt τιμιώτεραι, honoratiores: quæ etiam in homine libero et ingenuo requiruntur: ut sunt virtutes morales.

Si in servo etiam requiritur aliqua virtus, à quo est ad virtutem instituendus?

Φανερὸν τοίνυν ὅτι τῆς τοιαύτης.

Institutio servi propriè ad dominum pertinet: cui debet servire, et cujus mandata debet exequi: nam servi virtus, non ad ipsum servum refertur, sed ad dominum: siquidem tùm bonus dicitur servus et laudatur: non quando alterius negotia rectè administrat: sed quando domino suo fideliter et rectè servit.

Requiriturne etiam in artifice virtus aliqua moralis, ad opera suæ artis melius efficienda: quemadmodum in servo ad sua ministeria exequenda?

Ἀπορήσειε δ' ἄν τις τὸ νῦν εἰρημένον.

Nequaquam: quia non est eadem ratio artificis quæ servi: etiamsi artificis operâ mercenariâ nobis quoque frequenter in quotidiana vita sit utendum.

Quomodo igitur differt artifex à servo?

Variis modis. Nam in artifice quod opus ipsum, quod ei efficiendum est, attinet, solùm requiritur peritia ejus artis, quam exercet: qua si præditus est, potest præclarum opus efficere, et propter artem

suam laudari, ac bonus artifex dici: quibuscunque tandem moribus sit præditus: ita ut etiam malus et improbus homo, possit propter artis suæ peritiam, et opera, quæ ex arte facit, bonus artifex nominari. In servo autem ad ministeria sua rectè expedienda etiam requiritur amor erga dominum, fidelitas et industria in expediendis negotiis sui domini, et vitæ probitas: quæ si in eo non sunt, non poterit domino suo fideliter et rectè servire: imò ab improbo et malo servo, sæpe magis metuendum nobis est, quàm ab hoste; quemadmodum in proverbio dicitur: *Quot servi, tot hostes.* Atque hoc est unum discrimen inter servum et artificem, cujus hoc loco obiter mentionem facit Aristoteles.

Quod est alterum discrimen?

Servus est socius et particeps vitæ sui domini: quia simul cohabitat, cibum capit, et conversatur cum suo domino: estque quasi pars sui domini; quatenus numeratur inter ejus possessiones: Artifex verò nulla vitæ quotidianæ societate nobis est conjunctus, imò potest esse remotus, et nobis ignotus: ὁ δουλος κοινωνος εστι ζωης, και οργανον πρακτικον προς ζωην, ut suprà cap. 3. dictum fuit, ὁ δε τεχνιτης πορρωτερον.

Quod est tertium discrimen?

Servus ad omnia officia et obsequia obeunda est obstrictus, quæ à domino suo mandantur. Artifex verò solùm ad certum aliquod opus efficiendum nobis est obligatus, ὁ μεν βαναυσος τεχνιτης αφωρισμενην τινα εχει δουλειαν· Sordidus namque opifex finitam servit servitutem.

Quod est quartum discrimen?

Servi aliqui sunt τη φυσει, ideoque etiam inviti coguntur servire. Nullus autem est τη φυσει artifex: quia nemo nascitur artifex: sed necesse est, ut artem aliquam discat.

Quod est quintum discrimen?

Servus omnia facit ex mandato et præscripto sui domini: artifex autem suum opus facit, non

ex alterius præscripto, sed secundum suæ artis præcepta.

Quare Politici officium est, etiam de virtutibus prædictarum personarum considerare?

Περι δ' ανδρος, και γυναικος, και τεκνων, και πατρος.

Quia plurimum interest ad felicitatem civitatis: ut etiam tales personæ sint virtutibus præditæ: per quas possint rectè suo munere in domestica administratione fungi: et sic benè beateque inter se mutuò vivere. Cum enim civitas constet ex pluribus domibus seu familiis: ideò non potest ipsa esse felix et beata: nisi etiam domestici sint felices et beati: hæc autem felicitas illis absque virtute contingere non potest. Την δε του μερυς προς την τυ όλυ δει βλεπειν αρετην· Partis autem virtutem ad totius virtutem spectare oportet. Prætereà plus quàm dimidia pars liberorum hominum in civitate, constat partim ex mulieribus, partim ex pueris, quibus ubi ad virilem ætatem pervenerint, Respublica administranda debet committi: qui nisi rectè ad virtutem fuerint instituti, nunquam poterunt eam benè administrare. Αναγκαῖον παιδευειν και τυς παιδας και τας γυναικας, ειπερ τι διαφερει πρός το την πολιν ειναι σπυδαιαν, και τυς παιδας ειναι σπυδαιυς, και τας γυναικας σπυδαιας. Αναγκαιον δε διαφερειν. Αἱ μεν γαρ γυναικες, ἡμισυ μερος των ελευθερων. Εκ δε των παιδων οἱ κοινωνοι γινονται της πολιτειας· Instituere et liberos et uxores necessarium est, si quid interest ad hoc, ut civitas sit bona, liberos quoque esse bonos et uxores bonas. Interesse autem necesse est. Nam fœminæ quidem pars dimidia sunt liberorum capitum. Ex liberis autem participes civitatis oriuntur. Proinde legumlatori et politico in constituenda Repub. diligenter de horum virtutibus est considerandum.

LIBER SECUNDUS.

Quod est argumentum, et quæ sunt partes Secundi Libri?

QUONIAM Aristoteles in præcedente libro agit de materia, hoc est, de partibus, ex quibus civitas constituitur: consequens jam erat, etiam agere de forma civitatis, quæ est ipsa πολιτεια, id est, Respublica, quam infrà in libro quarto nominat βιον της πολεως, vitam et quasi animam civitatis: quo pacto ea sit constituenda. Antequam verò accedat ad hanc doctrinam et præceptionem, prius examinat alias quasdam Respub. quæ tùm temporis vel reipsa et actu jam olim erant constitutæ: vel ab aliis quibusdam politicis scriptoribus, et legumlatoribus literis mandatæ et descriptæ, ut ex eorum consideratione eò facilius cognosci possit, quid in benè constituenda Republ. sequendum aut fugiendum sit. Ac in primâ quidem parte hujus libri, quæ continetur primis quatuor capitibus, examinat utramque Platonis Rempubl. eam scilicet, quæ in decem libris de Repub. et eam, quæ in duodecim libris de legibus ab eo fuit descripta. In altera verò parte, quæ quinque sequentibus capitibus continetur, examinat quinque alias Respubl. quarum duæ etiam solum fuerunt literis consignatæ, à quodam Phalea Chalcidonio, et Hippodæmo Milesio: tres verò jam anteà re ipsa constitutæ, ut Spartana seu Laconica, Cretensis et Carthaginensis. Quibus ad finem annectit catalogum quorundum veterum legumlatorum: ut Solonis, Zaleuci, Charondæ, Onomacriti, Philolai, Platonis, Draconis, Pittaci, Androdamantis.

CAPUT I.

Dixisti Aristotelem in hoc libro examinare et refutare aliorum opiniones, qui de Repub. aliquid scripserunt: unde igitur facit initium?

Επει δε περο αιρουμεθα θεωρησαι.

A SCRIPTIS Platonicis, quia eorum tunc maxima fuit auctoritas.

Quot sunt præcipua volumina à Platone de hoc argumento conscripta?

Duo: quorum unum inscribitur περι πολιτειων, de rebus politicis, continens decem libros: quod volumen Aristoteles solet nominare πρωτην πολιτειαν, primam Platonis rempub. partim ratione ordinis: quòd fuerit primo loco ab eo conscripta: partim ratione præstantiæ et dignitatis: quia in illis libris describitur idea perfectæ Reipub. quæ quia magis optari, quàm constitui potest, in hac humanarum rerum incónstantia, ideò etiam eam nominat πολιτειαν κατ' ευχην, Rempubl. ex voto. Alterum volumen inscribitur περι των νομων, η της νομοθεσιας, de legibus, aut ratione ferendarum legum: continens duodecim libros: in quibus describitur, quo pacto possit communiter medioeris aliqua forma bonæ Reipub. constitui: quæ quotidianis usibus hujus vitæ sit accommodata. Hanc Aristoteles nominat δευτεραν πολιτειαν, alteram Remp. Platonis, et κατα το δυνατον, secundum id, quod fieri potest, constitutam.

Quæ sunt partes examinis, vel refutationis Platonicæ reipublicæ?

Tres: *Una* pertinet communiter ad utrumque volumen: eam autem breviter solum attingit in quarto capite: *Altera* pertinet ad decem libros de Repub. Ea continetur in tribus primis capitibus. *Tertia* pertinet ad duodecim libros de legibus: hæc habetur in quarto capite.

Quid communiter in duobus jam dictis voluminibus, Aristoteles præcipuè reprehendit?

Duo: *Primùm,* Quòd multa quidem acutè, eleganter, et copiosè oratorio more in illis libris disputat: quæ tamen ad propositum et institutum non videntur pertinere: imò magis sunt αλλοτρια, aliena à materia politica, et quodammodo παρεργα, supervacanea: cujusmodi sunt ea, quæ hinc inde dis-

putat de ideis, de numeris, de animæ immortalitate, de affectibus, de Musica et Musicis, de Poetis, de rebus Physicis, et similibus aliis, quarum tractatio et cognitio planè ad rectè constituendam Rempublicam nihil prodest, neque etiam requiritur. *Deindè* quod in istis libris multa necessaria, et propriè ad doctrinam publicam pertinentia, aut omnino prætererit: aut non satis plenè et perspicuè explicarit, cap. 4.

Quid verò peculiariter in decem libris de Repub. reprehendit?

Quinque sunt capita, quæ Aristoteles in decem libris Platonis de Repub. reprehendit: ex quibus præcipuum caput est de communione conjugum, liberorum, et bonorum seu facultatum. Εχει γαρ ὁ Σωκρατης φησι.

Quot sunt partes refutationis de communione Platonica?

Duæ. *Primùm* enim refutat communionem uxorum et liberorum. *Deindè* refutat communionem bonorum et possessionum.

Sed quibus rationibus Plato adductus fuit, ut existimaret communionem omnium rerum in civitatem esse introducendam?

Duabus potissimùm: quarum prima fuit, Quia existimavit, per hanc communionem, civitatem maximè posse uniri, seu ad unitatem redigi: per quam possit esse diuturna et stabilis. Nam quæ UNUM sunt ea minus sunt interitui, et corruptioni obnoxia, quàm quæ sunt MULTA. Ex hac ὑποθεσει, Plato si argumentabatur. Quicquid facit ut civitas maximè sit una, illud civitati est utile, et per consequens etiam est in civitatem introducendum. Sed communio conjugum, liberorum, et omnium aliorum bonorum facit, ut civitas maximè sit una, vel unita. Ergò communio hæc in civitatem est introducenda.

Quid ad hoc argumentum respondit Aristoteles?

Aristoteles in hoc capite negat majorem propositionem, seu ὑποθεσιν Platonis, qua statuit unitatem

civitati maximè esse utilem. Deindè in sequentibus duobus capitibus examinat minorem propositionem.

Quo pacto probat istam Platonis unitatem non posse utilem esse civitati?

Και τοι φανερον εστιν. Tribus argumentis hoc probat. Quorum primùm sumitur à contrario effectu. Unitas Platonica destruit civitatem. Ergò non est utilis civitatibus. Antecedens probatur ex definitione civitatis suprà in lib. 1. cap. 2. tradita, in qua dicitur, quòd civitas sit communio constans ex pluribus pagis, domibus, familiis et hominibus: quæ omnia adeò inter se et specie, et accidentibus differunt, ut non possint ad simplicem aliquam unitatem redigi. Imò si civitas ad ejusmodi unitatem reduceretur, non amplius esset civitas: sed potius una domus, quæ si rursum ad majorem unitatem restringuenda esset, tandem fieret unum solùm homo. Και τοι τογε ἑκαστῳ αγαθον σωζει ἑκαστον. Atqui cujusque rei bonum quodque conservat.

Quod est alterum argumentum?

Ου μονον δ' εκ πλειονων ανθρωπων. Alterum argumentum sumitur ab impossibili, ex natura partium. Cujus partes sunt specie dissimiles: id non potest ad talem unitatem redigi, per quam omnis dissimilitudo tollatur: sed partes civitatis sunt inter se specie differentes. Ergò civitas non potest ad simplicem unitatem reduci. Minor declaratur primùm distributione, et enumeratione diversarum partium, ex quibus civitas constat. Constat enim ex pluribus pagis, domibus, et familiis, constat etiam ex diversis hominum ordinibus, et vitæ conditionibus: quorum alii sunt αρχοντες, id est, in magistratu constituti alii αρχομενοι, subditi: alii nobiles, alii ignobiles: alii patricii, alii plebeii: alii literati, alii idiotæ: alii opifices, quorum rursum sunt variæ differentiæ, alii mercatores, alii agricolæ: alii senes, alii divites: et sic de cæteris hominum differentiis. Deinde declaratur minor per comparationem civilis societatis, cum societate confœderato-

rum et nationum: nam in hac spectatur multitudo hominum, solùm quoad numerum: qui quò plures sunt, eò sunt potentiores. Βοηθειας γαρ χαριν ἡ συμμαχια πεφυκεν και τῳ ποσῳ χρησιμος, ὡσπερ αν ει σταθμος πλειον ἑλκυσῃ· auxilii enim gratia est, societas belli, et quantitate utilis est, ceu si pondus plus attrahat: in illa autem requiritur multitudo hominum, quorum vitæ conditio specie diversa esse debet, si modo altera alterius indigentiæ velit succurrere. Tertiò probatur minor à natura partium corporis compositi: quæ in omnibus rebus tàm naturalibus, quàm artificialibus, specie inter se sunt dissimiles. Εξ ὧν δε δει ἑν γενεσθαι, ειδει διαφερει· ex quibus unum fit specie differunt. Quartò probatur minor à jure Talionis, per quod Aristoteles in quinto Ethicorum cap. 5. asserit ipsas civitates contineri et consistere: unde sic videtur concludere. Jus Talionis est inter dissimiles, qui sunt per proportionem vel Arithmeticam, vel Geometricam ad æqualitatem revocandi. Atqui jus Talionis necessarium est in civitatibus. Το ισον γαρ το αντιπεπονθος σωζει τας πολεις· Quia æqualitas mutua et reciproca tuetur civitates. Ergò in civitatibus sunt dissimiles personæ.

Quod est tertium argumentum?

Tertium argumentum sumitur à fine civitatis, qui est ἡ αυταρκεια, hoc est, rerum ad vitam necessariarum sufficiens copia: sicut in definitione civitatis dictum est. Argumentum est tale. Quicquid impedit, quo minus civitas finem suum possit assequi: id non est utile civitati. Sed Platonica unitas impedit finem civitatis, nempè την αυταρκειαν. Ergò. Minor probatur, Quoniam civitates initiò propterea fuerunt constitutæ: ut homines possent mutuis auxiliis sibi invicem succurrere, in iis rebus quibus ad vitam commodius degendam indigebant: quæ quoniam variæ sunt et multiplices: ideò etiam à diversis hominibus sunt conquirendæ. Nam si omnes qui civitatem aliquam inhabitant, essent ejusdem conditionis: veluti si omnes essent pistores, aut tex-

Και τοι τογε ἱκαςῳ αγαθον.

Το λιαν ἑνουν ζητειν την πολιν, ουκ εςιν αμεινον.

tores, aut pictores, aut sartores, aut ejusdem alterius alicujus opificii: non possent sese mutuò multum juvare. Hanc ob causam Aristoteles in lib. 5. Eth. cap. 5. scribit, Civitas non constat ex medico, et medico, sed ex medico et agricola. Et Plato in lib. 2. de Leg. inquit, Nisi omnis generis opifices in unam eandemque civitatem conveniant: nunquam poterit ea finem suum assequi: ut nimirum sit αὐτάρκης, hoc est, omnibus rebus necessariis satis instructa.

CAPUT II.

Quæ fuit altera ratio, quæ Platonem permovit: ut existimaret communionem omnium rerum in civitatem esse introducendam?

Αλλα μεν ουδ' ει. PLATO usus est argumento desumpto ab effectu; quod tale fuit. Per quam rem tollitur causa omnium discordiarum inter cives, ea civitati maximè est utilis. Sed per communionem omnium rerum, tollitur causa omnium dissidiorum inter cives. Ergò. Minorem probat; Quoniam si omnia sint communia, nemo poterit amplius privatim et pro se solo dicere, το εμον και το μη εμον· Hoc est, MEUM, vel, hoc non est MEUM, sed TUUM. Item, hoc non est TUUM, sed MEUM. Sed omnes communiter poterunt dicere, hoc est MEUM: atque hoc modo tollentur ex civitatibus hæ duæ voces, MEUM et TUUM; ex quibus omnes propè inter homines existunt discordiæ, lites et controversiæ, tàm in foro et judiciis, quàm privatim extra judicia in quotidiana vita. Quibus sublatis, necesse est inter cives esse summum animorum consensum, et in civitate summam unitatem et concordiam.

Quid Aristoteles ad hoc argumentum respondet?

Το γαρ παντος, διττον. Aristoteles primùm negat totum argumentum tanquam falsum et sophisticum; deinde respondet ad ipsam communionem Platonicam, ostendendo illam minimè utilem esse civitatibus.

Quare argumentum Platonis dicit esse sophisticum?

Quia laborat ὁμωνυμίᾳ, æquivocatione, et propterea nihil certi concludit. Nam vocabulum πάντες, OMNES est ὁμώνυμον: solet enim duobus modis accipi et usurpari. Collectivè nimirum, et distributivè. Quando collectivè accipitur, tunc idem significat, quod συμπάντες id est, omnes simul comprehensi et intellecti: atque hi non possunt dicere, hoc est MEUM, sed debent dicere, hoc est NOSTRUM: verum ita loqui, non multum facit ad unitatem civitatis constituendam. Sin verò distributivè accipitur, tunc vocabulum OMNES etiam ex omnibus singulos complectitur, et intelligit: sed singuli illi non possunt verè et propriè de uno aliquo dicere, hoc MEUM: Nam hac ratione unius ejusdemque rei plures constituerentur in solidum domini, quod est absurdum jure etiam civili, ut patet ex l. si ut certo. 5. §. ult. ff. commodati.

Quo argumento Aristoteles improbat communionem rerum Platonicam?

Ab effectu. Quæ res multa adfert civitatibus incommoda, ea non est in civitatem introducenda. Sed Platonica rerum communio, multa secum adfert incommoda. Ergò. Minorem probat enumeratione incommodorum, quæ videntur ex communione illa consequi. Et primo loco in hoc capite enumerat incommoda, quæ existunt ex communione uxorum et liberorum: In sequente verò capite enumerat incommoda quæ oriuntur ex communione bonorum, facultatum, et possessionum.

Quot sunt incommoda circa uxorum et liberorum communionem?

Octo. Quorum Primum est, quod ista communio secum adfert negligentiam circa educationem et institutionem liberorum. Partim quia plerumque ea negligentius peraguntur, quæ pluribus communiter sunt demandata. Ἥκιςα ἐπιμελείας τυγχάνει τὸ πλείςων κοινόν· τῶν γὰρ ἰδίων μάλιςα φροντίζουσι, τῶν δὲ κοινῶν ἧττον, ἢ ὅσον ἑκάςῳ ἐπιβάλλει· πρὸς γὰρ τοῖς ἄλλοις ὡς ἑτέρου φροντι-

ζοντος, ολιγωρουσι μαλλον, ὥσπερ εν ταις οικετικαις διακονιαις οἱ πολλοι θεραποντες ενιοτε χειρον ὑπηρετουσι των ελαττονων· Suas namque res maximè curant, communes verò non minus, aut quantum cujusque intersit. Nam præter alia, tanquam alio curante, magis negligunt, ut in servilibus ministeriis multi sæpe famuli pejus deserviunt, quàm pauci. Partim verò, quia in tanta multitudine, et incertitudine liberorum, non potest singulorum adeò accurata et recta esse educatio et institutio.

Alterum incommodum est, quod hæc communio abolet gradus cognationum et affinitatum, ac tollit discrimina familiarum, licet non totaliter. Κατα γαρ τας ὁμοιοτητας αἱ γινονται τοις τεκνοις προς τες γεννησαντας αναγκαιον λαμβανειν περι αλληλων τας πιστεις· Nam ex similitudinibus, quæ liberorum sunt cum parentibus, necessariò capiuntur ipsorum inter se argumenta.

Tertiò parit hæc communio ignorantiam parentum, propriorum liberorum, fratrum, sororum, agnatorum, cognatorum, affinium.

Unde consequitur Quartum incommodum, quòd per istam ignorantiam sæpè perpetrantur maxima scelera in consanguineos, ut parricidia, incestus, adulteria, stupra.

Ex quibus sequitur Quintum incommodum : quòd quia ista scelera per ignorantiam admittuntur : etiam non solent justo modo ab hominibus castis puniri aut expiari : undè necesse est, ut etiam divinitus publicis calamitatibus, bello, fame, peste, et similibus malis vindicentur : ex quibus tandem consequuntur imperiorum, regnorum, et rerumpub. ruinæ, eversiones, atque interitus.

Sextum incommodum est, quòd per istam communionem amor, qui debeat esse summus inter conjuges, parentes, liberos, minuitur, quatenus cogitur se extendere ergà tàm multos, et sic redditur, ut Aristoteles inquit, quodammodo ὑδαρης, aquosus, instar vini aut mellis, cui nimium aquæ est admixtum.

Ὥσπερ γαρ μικρον γλυκυ εις πολυ ὑδωρ μιχθεν, αναισθητον ποιει την κρασιν, ὑτω συμβαινει και την οικειοτητα την προς αλληλυς την απο των ονοματων τυτων. Ut enim dulce exiguum multæ aquæ admixtum temperationem reddit, quæ sub sensum non cadat: ita evenit et propter necessitudinem ipsorum inter se ex his nominibus. Δυο γαρ εϛιν ἁ μαλιϛα ποιει κηδεσθαι τυς ανθρωπυς και φιλειν, το τε ιδιον, και το αγαπητον· Duo namque sunt, quæ faciunt, ut homines curam gerant et ament: et suum et carum: seu proprium et affectio.

Septimum incommodum est, quod necesse est ex ista communione consequi confusionem ordinum et tribuum in Platonis Repub. Siquidem ipse statuit, liberos sic natos, pro ingeniorum diversitate nunc in hanc, nunc in aliam tribum esse transferendos.

Postremo et octavo loco reprehendit Aristoteles, quòd Plato communionem istam conjugum et liberorum solis magistratibus, et custodibus urbis, hoc est, militibus præsidiariis concessit: reliquorum autem civium, ut agricolarum, opificum, mercatorum et aliorum, nullam, quod ad hanc communionem attinet, quo pacto se habere debeant, fecit mentionem.

CAPUT III.

Quæ est altera pars reprehensionis circa communionem Platonicam?

EA pertinet ad communionem bonorum, seu possessionum et facultatum. Εχομενον δε τυτων εϛιν.

Quotuplex hoc loco circa hanc communionem se offert quæstio?

Triplex: partim quoad κτησιν, partim quoad χρησιν, partim quoad utrunque. Vel enim quæritur, utrum bono debeant esse propria, fructus verò communes: Vel utrum bona debeant esse communia, fructus verò sint distribuendi singulis in suos privatos usus: Vel utrum et bona, et fructus debeant esse communia. Quæ sententia videtur Platoni placuisse:

quam propterea Aristoteles hoc loco impugnat et refutat.

Quo argumento refutat Aristoteles communionem bonorum Platonicam?

Δηλωσι και δ' αἱ των συναποδημων κοινωνιαι.

Quæ res multa et magna in se habet incommoda, ea non est in civitatem introducenda. Sed communio bonorum Platonica, multa et magna habet incommoda. Ergò. Minor probatur à contrario. Proprietas bonorum multa habet commoda: Ergò communio bonorum habet multa incommoda.

Quæ sunt commoda proprietatis bonorum?

Quatuor. Primùm, quia majore studio diligentia, et fide administrantur et peraguntur ea, quæ sunt propria, quàm ea quæ sunt communia aut aliena.

Deindè, quia circa eorum administrationem, rarò existunt querelæ: quia labores sunt distincti per certas personas.

Tertiò, quia de propriis bonis possumus erga alios exercere liberalitatem, et beneficentiam erga amicos, hospites, egenos, et alios quoscunque.

Quartò, quia proprietas bonorum in se habet et voluptatem et utilitatem. Siquidem propria magis nos oblectant nobisque prosunt: quàm aliena, aut communia. Μη γαρ ȣ ματην την προς αὑτον αυτος εχει φιλιαν ἑκαςος, αλλ' εςι τουτο φυσικον· Neque enim frustra quisque secum ipse amicitiam habet, sed est hoc natura insitum.

Quæ sunt autem illa incommoda communionis bonorum, quæ ab Aristotele in hoc capite recensentur?

Ἑτερων μεν ουν των γεωργουντων.

Primum incommodum, seu prima difficultas, existit circa distributionem laborum, et fructuum in colendis communibus agris, et percipiendis eorum fructibus: in qua distributione non potest semper ea servari æqualitas, quæ omnibus placet: propterea quòd habendus est in hac distributione respectus personarum, secundum proportionem Geometricam. Hinc autem ab hominibus imperitis variæ solent oriri querelæ: quando vident interdum eos qui plurimum laborant, minus accipere: quàm

eos, qui (ut ipsi arbitrantur) parum, aut nihil laborant.

Alterum incommodum est, quod in omni communione plerunque frequentes sunt lites et contentiones: propter diversitatem ingeniorum eorum, qui inter se communicant. Unde natum est apud Germanos proverbium, quod dici solet, "Gemein, ward nie rein." Δηλουσι δ' αἱ των συναποδημων κοινωνια. Σχεδον γαρ οἱ πλειστοι διαφερομενοι εκ των εν ποσι, και εκ μικρων προσκρουοντες αλληλοις. Ετι δε των θεραποντων τουτοις μαλιστα προσκρουομεν, οἷς πλειστα προσχρωμεθα προς τας διακονιας τας εγκυκλιους· Cui argumento sunt communitates una peregrinantium. Plerique enim de rebus ante pedes, seu in medio positis dissentiunt, et parvis de rebus inter se inimicitias suscipiunt. Præterea et ex famulis cum his maximè litigamur, seu offendimur, quibus ad ministeria quotidiana potissimum utimur.

Tertium incommodum est, quòd communio Platonica tollit è civitate duas virtutes, nempe Temperantiam, quæ jubet abstinere ab alterius conjuge: Hoc autem communio Platonica concedit. Deindè tollit Liberalitatem, quæ præcipit, ut dè propriis nostris bonis aliis benefaciamus: in Platonis verò Repub. tollitur bonorum proprietas: igitur simul etiam tollitur Liberalitas. Qui enim de alienis, aut communibus bonis alicui benefacit: is propriè, et verè non dici potest liberalis.

Και προς τουτοις αναιρουσιν.

Quartum incommodum est, quòd hæc bonorum communio sit quodammodo εκ των αδυνατων, ex numero eorum, quæ non possunt haberi, aut revera constitui: ὥσπερ καν ει τις την συμφωνιαν ποιησειεν ὁμοφωνιαν, η τον ρυθμον βασιν μιαν· Quemadmodum et si concentum quis reddere vellet, unius vocis, aut versum pedem unum: quæ etiam videtur esse causa, cur per tot secula, antè et pòst Platonem, à tàm multis et prudentissimis legum latoribus in nullam civitatem fuerit introducta: neque etiam ab ullis populis recepta, et usurpata.

Μαλιστα δ' αν γενοιτο.

Ου μην αλλ' ουδε ο τροπος.

Quintum incommodum est, quòd Plato hanc bonorum communionem non satis dilucidè, distinctè, et plenè explicarit: quo pacto in singulis civium ordinibus sit instituenda. Videtur enim tantùm de bonis et facultatibus magistratuum, et custodum urbis locutus esse: reliquorum autem civium, ut agricolarum, opificum, mercatorum, nullam facit mentionem: ex quo etiam patet hanc ejus doctrinam in hac parte esse mancam, et imperfectam, atque ideò rejiciendam.

Atqui videtur hæc Platonica communio esse ευπροσωπος, hoc est, splendida, και φιλανθρωπος, hoc est, plena humanitatis?

Ευπροσωπος μεν ουν.

Verum quidem hoc est, præsertim si velimus considerare, quot et quantæ passim existant controversiæ, lites, et contentiones, circa bonorum et possessionum proprietates, tàm publicè in foro et judiciis: quàm privatim extrà judicia in contractibus et commerciis hominum in quibus committuntur tot doli, fraudes, perjuria, furta, rapina, et multa alia scelera: quorum nullum videtur posse locum habere in communione bonorum. Sed sciendum est, istorum jam enumeratorum malorum propriè causam non esse την ακοινωνησιαν των κτηματων, id est, bonorum negatam communionem, sed potius την μοχθηριαν και πλεονεξιαν, perversitatem et avaritiam hominum: quorum cupiditates circa ejusmodi externa bona sunt απληστοι, nunquam possunt expleri: unde fit, ut non contenti suis propriis bonis, etiam cupiant aliorum bona ad se, per fas et nefas attrahere.

Nullane igitur prorsus communio bonorum in civitate potest locum habere?

Maximè. Sed est aliqua alia communio bonorum, multò honestior, laudabilior, et commodior: plena virtutis et humanitatis, per quam nimirum proprietas, et distinctio bonorum retinetur: usus verò et fructus eorum efficiuntur communes, hac

nimirum ratione: quando de nostris propriis bonis, etiam aliorum civium inopiæ et egestati succurrimus, eaque in re animi nostri benevolentiam, et beneficentiam erga concives nostros declaramus: atque hoc modo bona nostra simul et propria manent, et fiunt communia: *δει μεν ειναι κτησεις κοινας, όλως δ' ιδιας· αἱ μεν γαρ επιμελειαι διηρημεναι, τα εγκληματα ϖρος αλληλους ε ϖοιησεσι·* Nam communia quidem esse oportet quodammodo, omnia verò propria, nam curæ quidem distributæ querelas inter se non gignent, quemadmodum de veris amicis dici solet: *δι' αρετην ϖρος το χρησθαι, κοινα τα φιλων·* Virtute, ad usum quod attinet, amicorum omnia esse communia. De qua re Solomon in Proverb. cap. v. v. 15, 16. hoc tradit præceptum: Bibe aquam in fontibus: rivuli tui foras deriventur in plateas: at tu dominus esto horum solus.

Habent prætereà, qui in eadem civitate habitant, multa alia communia: videlicet, Templa, religionem, libertatem, curiam, judicia, jura, suffragia, forum, portus, flumina, pascua, et his similia: quibus communiter omnes uti ac frui possunt: per quæ civitas etiam aliquo modo communis, et una efficitur, citrà Platonicam communionem, et unitatem.

Hactenus explicasti, quo pacto Aristoteles refutat communionem Platonicam: suntne etiam quædam alia, quæ in Platonis Republica reprehendit?

Aristoteles in hoc loco adhuc quatuor alia capita attingit, quæ videntur à Platone in suis libris de Repub. non usque adeò bene esse constituta: quorum primum pertinet ad agricolas: alterum est de officio virorum et mulierum: tertium est de magistratibus: quartum est de differentia ingeniorum in hominibus, desumpta à diversitate metallorum.

Ετι δε κυριως ϖοιει των κτηματων.

Quid reprehendit circa agricolas?

Tria. Primùm est quod concessit agricolis, ut possent habere proprios agros et fundos, ex quibus colligerent proprios fructus: quod ideò periculosum

est, quia agricolæ hoc modo divites effecti, facilè poterunt animos erigere, seque suis dominis opponere: quemadmodum aliquando Lacedæmoniis, Cretensibus, et Atheniensibus contigit, ab ipsorum colonis et servis.

Alterum quod circa agricolas in Platone reprehendit, est, quod nihil de eorum disciplina, legibus, magistratibus et sodalitatibus tradit.

Tertium est quod liberum agricolis reliquit, ut communes, vel non communes haberent uxores: quam rem ostendit perniciosam esse rei domesticæ.

Quid reprehendit circa officium virorum et mulierum?

Ατοπον δε και το εκ των θηρειων.

Quod eadem voluit esse earum officia et exercitia, tàm domi in urbe, quàm foris extrà urbem in colendis agris: tàm in pace, in administranda Republica quàm in bello gerendo. Hoc saltem servato discrimine: ut ea quæ plus prudentiæ et laboris requirunt, committerentur viris: leviora autem et faciliora, mulieribus, propter infirmitatem sexus. Reprehendit etiam similitudinem à bestiis desumptam, qua voluit hoc suum institutum probare, tanquam ineptam et absurdam: quemadmodum etiam Lactantius, lib. de falsa Sap. 3. cap. 22. eam deridet.

Quid circa differentiam hominum reprehendit?

Επισφαλες δε και τας αρχοντας.

Quod semper eosdem voluit esse magistratus: hoc n. ait facile præbere causam et occasionem seditionibus: quando cæteri vident se planè à publicis illis honoribus et officiis esse exclusos: ac semper debere aliorum imperio esse subjectos.

Quid circa differentiam hominum reprehendit?

Οτι δ' αναγκαιον αυτῳ ποιειν.

Socrates apud Platonem in lib. 3. de Repub. Ingenia hominum comparat metallis. Φησι και τοις μεν ευθυ γινομενοις μιξαι χρυσον, τοις δε αργυρον. Χαλκον δε και σιδηρον τοις τεχνιταις μελλουσιν εσεσθαι και γεωργοις· Ait enim, et fingit naturam aliquibus statim atque sunt nati, tribuisse aureum ingenium: atque tales plurimum valere prudentia: ideoque aptos esse ad gubernationem. Aliis verò argenteum datum esse, ingenium, qui sunt animosi et cordati: atque ideò

apti ad militiam et defensionem urbis. Tertium verò genus esse eorum, quibus concessum est æneum et ferreum ingenium: qui propter robur et vires corporis apti sunt ad labores: atque ex his sumendos esse agricolas et opifices. Reprehendit præterea, quòd per hoc suum institutum, de perpetuitate magistratuum, privavit eos sua felicitate: dum vult eos per omnem suam vitam in illis curis et molestiis administrandæ Reipub. esse occupatos: quibus certè et ingenii et corporis vires plurimùm debilitantur et franguntur. Atque hac ratione videtur Plato secum ipsè pugnare, in eo, quod vult totam civitatem esse beatam, et tamen præcipuam ejus partem spoliat istâ beatitudine.

CAPUT IV.

Quæ est tertia pars refutationis, seu reprehensionis Reipub. Platonis?

TERTIA hæc pars reprehensiònis Reipublicæ Platonicæ pertinet ad ejus duodecim libros de legibus: in quibus Plato constituit alteram suam Rempublicam describere, diversam quidem à prima illa, quam in X. libris de Republ. descripsit: sed tamen faciliorem, et magis accommodatam ad præsentem rerum humanarum conditionem, pro ratione personarum, temporum, locorum, et aliarum circumstantiarum.

Σχεδον δε παρα- πλησιως και περι:

Quomodo distribuit hanc refutationem?

In duas partes: quarum una est generalis, altera specialis.

Quid generatim Aristoteles in his XII. libris reprehendit?

Tria præcipuè. *Primum,* quòd multa in his libris Plato tradiderit παρεργα και μη αναγκαια, quæ ad constituendam bonam Reipub. formam propriè non pertinent: ea verò quæ magis necessaria et utilia fuissent, aut leviter solum attigerit: aut omninò præterierit. *Deindè* quod nihil tradidit de tota forma optimæ Reipub. qualis esse, aut quomodo

Των δε νομων, το μεν πλει- στον μερος.

constitui debeat. *Tertiò*, quod cum sibi proposuisset novam aliquam formam Reipub. describere, quæ à priore diversa esset, tamen subinde relabitur ad illam primam, quæ magis optari, quàm haberi in hac vita potest: quemadmodum ipsemet in lib. 5. de Repub. fatetur.

Quæ verò sunt ea quæ speciatim in illis XII. libris reprehendit?

Το μεν ουν περιττον εχουσι.

Eorum sunt sex capita seu constituta: quorum primum est de nimis magno numero των φυλακων, custodum seu militum præsidiariorum, quibus custodia et defensio urbis sit committenda: requirit enim quinquies mille et quadraginta milites, qui semper in armis præstò esse debeant ad custodiendam et defendendam urbem, quibus si connumerentur eorum uxores et liberi, nimis erit magnus numerus otiosorum hominum in civitate. Δει μεν ουν υποτιθεσθαι κατ' ευχην, μηδεν μεν τοι αδυνατον· Quare supponendum quidem ex voto, nihil tamen quod fieri nequeat.

Quod est alterum caput hujus reprehensionis?

Λεγεται δ' ὡς δει τον νομοθετην.

Alterum caput est, quòd Plato scripsit in constituenda civitate duo solùm esse conspectanda, nempè locum in quo velimus eam constituere, et homines qui eam debent inhabitare: non autem mentionem facit vicinorum, qui circa civitatem habitant: quorum tamen consideratio quoque ad legislatorem et politicum pertinet: multum enim ad tranquillitatem et pacem civitatis confert, quales habeat vicinos: quemadmodum in Proverbio dicitur: Nemo potest diutiùs pacem habere, quàm vicinus ipsius voluerit.

Quod est tertium caput?

Και το πληθος δε της κτησεως.

Tertium caput hujus reprehensionis est de patrimoniis, facultatibus, et possessionibus civium. Tria autem circa ista reprehendit in Platonis legibus. *Primùm* quòd censuit quemlibet solùm tantas debere habere opes et divitias, ut indè possit σωφρονως, temperanter et frugaliter vivere: Liberalitatis autem

nullam fecit mentionem, ut de suis facultatibus etiam possit erga alios beneficentiam et liberalitatem exercere: cùm tamen ea quoque virtus sola et præcipuè ad verum usum divitiarum pertineat. *Deindè* quòd cum definierit certum terminum divitiarum, quantas cuilibet habere liceret, non etiam simul determinaverit certum numerum liberorum, servorum et domesticorum, ne quis plures gigneret liberos, quàm posset alere: aut quibus tantum patrimonii relinqueret, unde etiam ipsi vitæ necessaria habeant. Nam nisi hoc diligenter præcaveatur, facilè poterunt aliqui ex civibus ad suam redigi paupertatem: qua ex re facilè etiam possint existere inter eos offensiones, discordiæ, lites, et seditiones. Ἡ πενια, στασιν εμποιει και κακουργιαν· Paupertas seditionem efficit atque injuriam. *Tertiò* circa hoc caput reprehendit, quòd voluit æqualitatem esse bonorum et possessionum circa bona immobilia, cujusmodi sunt agri, fundi, prædia, prata, ædes, et his similia: circa bona verò mobilia, veluti sunt pecora, jumenta, pecuniæ, vasa aurea et argentea, et alia utensilia domestica, permisit ea augeri in quadruplum.

Quod est quartum hujus reprehensionis caput?

Quartum caput pertinet ad magistratum in Platonis Republica. In quo duo reprehendit: Unum est de discrimine magistratuum et subditorum: quod minus apta similitudine, à tela textorum desumpta, solùm obiter indicavit, non autem satis explicavit. Dixit enim τους αρχοντας απο των αρχομενων differre, quemadmodum stamen differt à trama: quòd nimirum subditi sint instar staminis, id est, crassioris fili: ii verò qui imperium habent, instar tramæ, quæ ex puriore filo constat. Alterum pertinet ad rationem eligendi magistratum, quæ extat in sexto lib. de Legibus, ubi jubet magistratum eligendum esse per suffragia eorum, qui et ipsi anteà per ejusmodi electionem in magistratum pervenerunt: hanc rationem eligendi ideò improbat, quia per

Ελλειπονται δε τοις νομοις.

eam fieri potest, ut iidem sæpius in magistratum deligantur: et hoc modo gubernatio et imperium sit tantùm penes paucos, quod est oligarchicum.

Quod est quintum caput hujus reprehensionis?

Και την των οικοπεδων. Quinta reprehensio est de incommoda distributione ædium seu habitationum. Plato enim in sua civitate civibus attribuit δυο οικοπεδα, h. e. duas areas, in quibus possent binas domos extruere in diversa urbis parte, unam in media urbe, alteram circa extremitates urbis: hanc distributionem Aristoteles reprehendit tanquam incommodam ad rem familiarem benè et utiliter administrandam: siquidem difficile sit unam domum benè administrare: multò igitur difficilius et propè αδυνατον, binas domos, in diversis locis sitas, inhabitare, aut administrare. χαλεπον οικιας δυο οικειν.

Quid postremo loco reprehendit?

Ἡ δε συνταξις ολη βουλεται. Plato suam Rempub. quam in XII. libris de legibus descripsit, existimavit post Regiam gubernationem esse optimam inter reliquas formas rerumpublicarum. Aristoteles verò hoc ipsum negat, et tali argumento probat. Ea forma reipub. post Regiam gubernationem censenda est optima, quæ ex omnibus bonis formis rerumpub. rectè est temperata et composita. Ἡ εκ πλειονων συγκειμενη πολιτεια βελτιων. Declaratur exemplò Reipub. Lacedæmoniorum. Sed Platonis Respub. in XII. libris de legibus descripta, non est ex omnibus bonis Rerumpub. formis benè et rectè temperata et commixta. Ergò Platonis hæc respub. ab eo in XII. lib. de legibus descripta, non est optima. Minor probatur. Quia videtur composita esse vel ex oligarchia et democratia, vel ex tyrannide et democratia: quæ formæ cum omnes sint vitiosæ, nunquam possunt constituere bonam Reipub. formam. Prætereà ipsa mixtura duarum prædictarum formarum vidètur, non rectè et æqualiter esse temperata: quia ejus Respub. videtur magis esse oligarchica: quod apparet ex ratione creandorum magistratuum: quæ à

Platone ita fuit constituta: ut electio solum fieret ab iis, qui etiam anteà fuissent in magistratu: et ut huic electioni necessario semper interessent ditiores: pauperibus verò liberum hoc relinqueretur: sic enim facilè fieri poterat, ut semper ditiores ad ejusmodi honores et publica officia eligerentur: quod est oligarchicum.

CAPUT V.

Quid reprehendit Aristoteles in ea Repub. quàm Phaleas quidam Chalcedonius descripserat?

DUO præcipuè in Phaleæ Republica reprehendit Aristoteles, unum est de æquatione seu æqualitate bonorum et possessionum: sicut enim Plato voluit introducere bonorum communionem, ita Phaleas conatus est introducere in suam Rempublicam omnium bonorum æquationem: ne quisquam civium plures haberet possessiones et opes, quàm alter. *Δοκει γαρ τισι το περι τας ουσιας ειναι μεγιϛον τεταχθαι καλως· περι γαρ τουτων ποιεισθαι φασι τας ϛασεις παντας·* Nonnullis enim videtur de bonis rectè describi rem esse maximam: de his enim omnes seditiones movere aiunt. Alterum quod reprehendit, est, quòd opifices exclusit è numero civium: et hac ratione nimis exiguam fecit civitatem. *Διο Φαλεας ὁ Χαλκηδονιος.*

Quare Phaleas æquationem bonorum excogitavit?

Ut præriperet civibus suis causam invidiæ, et æmulationis: quæ plerunque solent inter homines exoriri, propter inæqualitatem bonorum cùm vident alios ditiores et fortunatiores esse, quàm ipsi sunt: Quemadmodum Horatius ait, lib. i. ep. 2. v. 57.

Invidus alterius rebus marcescit opimis.

Et homini invido semper videtur fertilior esse seges in alienis herbis: vicinumque pecus grandius uber habere: ut scribit Ovid. lib. i. de Art. Aman. v. 351.

Potestne per istam æquationem bonorum invidia hoc modo præcaveri?

Aristoteles hoc circa finem capitis negat fieri posse: idque 1, propter diversitatem hominum: quo- *Ετι ϛασιαζουσιν ου μονον.*

rum alii sunt χαριεντες, gratiosi, seu gratia digni, alii verò sunt οἱ πολλοι, vulgares et plebii. Nam οἱ χαριεντες, qui virtutibus, nobilitate, dignitate, auctoritate, prudentia, eruditione, et similibus aliis bonis, cæteris antecellunt, ægrè ferunt, quando æquiparantur τοις πολλοις, id est, cæteris qui ejusmodi dotibus illis longè sunt inferiores. Διὸ και φαινονται πολλακις επιτιθεμενοι και στασιαζοντες· quare et sæpè conspirare et tumultuari videntur. Existimant enim hoc esse contra regulam justitiæ: quæ jubet, inæquales etiam inæquali loco esse habendos. 2. Propter hominum inexplebilem improbitatem, πονηριαν απληστον.

Quæ sunt autem illa, quæ Aristoteles in Repub. Phaleæ circa æquationem bonorum reprehendit?

Δει δε τουτο μη λανθανειν.

Quinque. Primum est, quod non etiam sanxit, æqualitatem liberorum quo ad numerum tenendam esse. Nam si iis, qui multos habent liberos: non plures possessiones et opes sunt concedendæ, quam iis qui paucos, vel nullos habent liberos: quin illi facile redigantur ad egestatem et inopiam: quòd sanè periculosum est in civitatibus: quoniam egestas et paupertas sæpè præbuit causas turbarum et seditionum in Rebuspub. Hanc ob causam etiam prudentes legumlatores conati fuerunt legibus quibusdam præcavere, ne ex civibus aliqui nimium ditescerent, alii verò ad extremam paupertatem redigerentur: quod Aristoteles quatuor exemplis declarat.

Quod est alterum vitium?

Αλλ' εστι την ισοτητα.

Quòd Phaleas nihil statuit de mediocritate, quæ circa opes et divitias est servanda: cùm tamen sine ea neque recta possessio, neque verus divitiarum usus esse possit.

Quod est tertium vitium seu erratum?

Ετι δ' ει τις και την μετριαν.

Quòd nihil præcepit de frenandis et moderandis cupiditatibus, circa pecunias, honores, et voluptates: nisi enim ista cupiditates legibus, et pœnis, atque suppliciis coërceantur, et castigentur: frustrà traduntur præcepta de æquatione bonorum. Μαλλον γαρ δει τας επιθυμιας ὁμαλιζειν, η τας ουσιας· Sunt enim

omnium discordiarum et dissensionum, imo omnium propè malorum hæ tres præcipuè causæ, nempè cupiditas opum, id est, Avaritia: honorum, id est, Ambitio: et voluptatum, id est, Libido, seu Luxuries. Οἱ μεν γαρ πολλοι, δια το περι τας κτησεις ανισον· οἱ δε χαριεντες περι των τιμων, εαν ισαι· ὁθεν και,

Εν δ' ιῃ τιμῃ ημεν κακος ηδε και εσθλος.

Nam vulgus quidem propter inæqualitatem bonorum, præstantiores verò (seditiones movent) de honoribus, si sint pares: unde et illud: (apud Homer. Iliad. 9. v. 319.) In eodem honore tum malus, tum et bonus.

Et sanè de Avaritia Cicer. in Oratione pro Quinctio sic scribit: Nullum est officium tàm sanctum atque solenne, quod non avaritia comminuere atque violare soleat.

De Ambitione autem lib. 1. Offic. Maximè adducuntur plerique homines, ut eos justitiæ capiat oblivio, cum in imperiorum, et honorum, gloriæve cupiditatem inciderent.

De utraque Arist. 2. Polit. 7. Των αδικηματων ἑκουσιων τα πλειστα συμβαινει σχεδον δια φιλοτιμιαν και δια φιλοχρηματιαν τοις ανθρωποις· Pleræque fraudes vel culpæ sponte factæ existunt ferè hominibus propter ambitionem et propter avaritiam.

De Libidine denique Cicero in Catone Majore. Ex voluptatis nimia cupiditate existere solent Patriæ proditiones, Rerumpublicarum eversiones, clandestina cum hostibus colloquia. Nullum denique scelus, nullum malum facinus est, ad quos suscipiendum, non libido voluptatis homines impellit. Ει τινες βουλοιντο δι' αυτων χαιρειν, ουκ αν επιζητοιεν, ει μη παρα φιλοσοφιας ακος· Si qui verò velint gaudere per se, remedium ne quærant, nisi à philosophia.

Quid quarto loco reprehendit in ista æquatione bonorum?

Quòd Phaleas hanc bonorum æquationem solùm accommodavit ad suos cives, quo pacto possint domi

Ετι της πολλα βουλεται.

tempore pacis inter se concorditer vivere: non autem consideravit, quo pacto tempore belli civitas instructa esse debeat sumptibus bellicis adversus vicinos, aut externos hostes: si necessitas postulaverit, ut cogatur ad aliquod tempus bellum vel sustinere, vel gerere, vel etiam ab urbe avertere et propulsare.

Quid quinto loco reprehendit in hac constitutione Phaleæ?

Ὁμοίως δὲ καὶ περὶ τῆς κτήσεως.

Quòd planè nihil certi definit, quantæ debeant esse opes et facultates civitatis: ut neque nimis sint magnæ et splendidæ, quæ facilè possint animos vicinorum spe magnæ alicujus prædæ consequendæ, allicere, ad inferendum civitati bellum: neque etiam nimium sint tenues et exiguæ: quæ non sufficiant ad faciendos publicos sumptus nomine civitatis.

CAPUT VI.

Quid in hoc capite agit Aristoteles?

Ἱππόδαμος δὲ Εὐρυφῶντος.

EXAMINAT Aristoteles in hoc capite Rempubl. ab Hippodamo Milesio descriptam: et quid in ejus legibus atque institutis probandum aut improbandum videatur, indicat.

Quot sunt partes hujus Examinis?

Duæ. *Prima* continet commemorationem aliquot legum et institutorum Hippodami. *Altera* continet eorundem refutationem aut reprehensionem.

Quæ fuerunt igitur ejus leges et instituta?

Duplicia, quædam enim pertinent ad materiam, quædam verò ad formam civitatis. Circa materiam considerantur primùm ipsi homines, qui civitatem debent inhabitare: deinde ἡ χώρα, hoc est, ipse locus, in quo civitas est extruenda: ipsique agri qui sunt circa civitatem siti. Circa formam consideratur ipsa ratio gubernationis, item leges, judicia, magistratus.

Quæ fuerunt ejus leges quoad materiam civitatis?

Κατεσκεύαζε

Primò, Civitatem voluit esse τῷ πλήθει μυριάνδρον, id est, constare ex decem millibus civium.

Secundò, Civium constituit tres ordines, Agricolas, Opifices, et Milites. δι την πολιν.

Tertiò, Agros circa civitatem distinxit in tres partes: ita ut aliqui essent sacri, sive Diis et Divino cultui dicati: alii publici seu communes, ex quibus alerentur ii, qui publica civitatis negotia administrarent: alii denique privati et proprii, ex quibus agricolæ victum suum haberent.

Quæ fuerunt ejus instituta quoad formam Civitatis?

Primò: Tria solùm constituit judicia: unum de injuria: alterum de damno: tertium de cæde: περι ὧν γαρ αἱ δικαι γινονται, τρια ειναι τον αριθμον ταυτ', ὑβριν, βλαβην, θανατον· His addidit unum supremum tribunal ex senibus quibusdam delectis constitutum, ad quod posset fieri provocatio in causis non satis rectè judicatis. Ὠιετο δ' ειδη και των νομων.

Secundò, Novam introduxit rationem ferendorum suffragiorum et dicendarum sententiarum: nempè per tabellas, in quibus singuli Judices unica solùm inscripta litera suam sententiam indicarent.

Tertiò, Legem tulit, ut si quis utile aliquid Reipublicæ invenisset, præmio afficeretur.

Quartò, Censuit eorum liberos, qui in bello pro Repub. fortiter occubuissent, ex publico ærario alendos esse.

Quintò, Magistratum ab omnibus civium ordinibus eligendum esse, ab agricolis, opificibus, et militibus.

Sexto, Eorum qui in magistratum eliguntur officium esse, ut curam haberent primùm omnium publicorum negotiorum, quæ totam civitatem spectant: deindè peregrinorum et hospitum, ne à civibus injuriam aliquam, vim, aut fraudem patiantur. Tertiò, orphanorum, qui parentibus essent orbati: ut etiam illi recte educarentur et instituerentur.

Quæ sunt autem ea, quæ Aristoteles in his institutis Hippodami reprehendit?

Primùm reprehendit distributionem Hippodami, quantum ad cives et agros attinet. Nam circa civium Απορησειε δ' αν τις πρωτον.

distributionem tria reprehendit. Primùm, quòd omnes tres ordines, nempe Agricolas, Opifices, et Milites voluit æquè pro Civibus esse habendos: et tamen noluit eos æquè esse publicorum honorum et officiorum in civitate participes. Qua ex re necessariò sequitur, ut neque ipsi inter se, neque erga Civitatem et Rempubl. pari amore et studio sint affecti. Undè tandem quoque necesse est exoriri simultates, offensiones, dissensiones, et postremò etiam seditiones. Quòd verò ad agrorum distributionem attinet, reprehendit, quod tertiam partem agrorum fecit communem, è quibus custodes civitatis alerentur: non autem disertè definivit, à quibus communes illi agri debeant coli, utrum à solis agricolis, an verò etiam à militibus seu custodibus. Nam si à solis agricolis coli debent: non poterunt ipsi tantam copiam fructuum colligere, quæ utrisque alendis sufficiat: si verò etiam à militibus coli debent; nulla aut exigua erit inter hos duos ordines civium differentia: et sic potius duos solùm ordines civium, quàm tres, debuisset facere.

Ου καλως δ' ουδ' ὁ περι της κρισεως.

Secundò reprehendit legem Hippodami, per quam novam voluit introducere rationem ferendi suffragia et dicendi sententiam in judicio: nimirùm quòd singulis judicibus tribuit tres tabellas, per quas unica solùm literâ inscriptâ suam indicarent sententiam: præcipuè verò quòd judici tribuit tertiam tabellam, per quam ipsum reum neque condemnaret, neque absolveret, sed mediam teneret rationem: atque hoc pacto ex judice fecit arbitrum, cujus proprium est ex æquo et bono mediam ingredi viam, et neutram partem litigantium omnino vel absolvere, vel condemnare. Atque sic sustulit discrimen, quod est inter judicium et arbitrium, item inter judicem et arbitrum: de quo 1. Rhet. 13. in fin. et apud Cicer. in Orat. pro Q. Roscio, comœdo, sic legitur. Aliud est judicium, aliud est arbitrium. Judicium est pecuniæ certæ, arbitrium est incertæ. Ad judicium hoc animo venimus: ut totam litem aut ob

tineamus, aut amittamus. Ad arbitrium hoc animo adimus: ut neque nihil, neque tantum, quantum postulavimus, consequamur. Atque hinc est, quod in judicio arbitrario permissum est ipsis arbitris κοινολογεισθαι, id est, consilia inter se conferre et communicare: in judicio autem forensi ista κοινολογια, consiliorum et sententiarum communicatio planè est prohibita: sed Judex tenetur simpliciter secundùm allegata et probata, litigantiam sententiam pronuntiare.

Tertiò reprehendit legem eam, quâ statuit eos qui publicæ utilitatis gratiâ novum aliquod inventum excogitassent præmio affici debere. Quam legem affirmat prima quidem facie esse ευοφθαλμον speciosam: sed tamen revera periculosam: primum quia præbet occasionem calumniandi, mutandi, et abrogandi veteres leges: tanquam essent malæ et perniciosæ. Unde etiam paulatim tota Reipubl. forma potest mutari. Ενδεχεται δ' εισηγεισθαι τινας νομων λυσιν η πολιτειας, ὡς κοινον αγαθον· Fit autem ut quidam legum aut Reipubl. mutationem asserant, ut commune bonum. Deindè quia hæc lex movet in animis hominum hanc dubitationem, seu quæstionem: utrum liceat antiquas et patrias leges aliquando corrigere, mutare, aut prorsus abrogare: ex qua dubitatione plurimum frangitur, et imminuiter legum auctoritas.

Περι δε τυτοις ευρισκυσι τι.

Quid Aristoteles de hac quæstione judicat?

Aristoteles quæstionem de legum mutatione disputat in utramque partem affirmando et negando.

Quomodo affirmando?

Quinque argumentis. Primum ab exemplo simili cæterarum artium: si in cæteris artibus licuit interdum quædam præcepta corrigere, et mutare, donec ad perfectionem aliquam producerentur: igitur idem etiam in doctrina politica, ad quam leges propriè pertinent, licet pro ratione circumstantiarum facere. Sed antecedens verum esse testatur ipsa experientia; quòd nimirum artes et scientiæ non

Επει δε πεποιημεθα.

statim simul fuerint inventæ, et perfectæ: sed habuerunt sua incrementa, per quæ paulatim quædam auferendo, quædam addendo, quædam denique immutando, ad suam perfectionem et absolutionem pervenerunt. Declarat hoc Aristoteles exemplo artis medicæ, et gymnasticæ.

Alterum argumentum sumitur ex loco comparatorum à pari. Si licuit veteres leges corrigere, mutare, et abrogare, propterea quòd viderentur vel nimis barbaræ, vel illis temporibus minus accommodatæ: igitur licebit etiam novas leges mutare, si minus conveniunt nostris temporibus, personis, locis, aliisque circumstantiis. Sed antecedens est verum: probatur duobus exemplis. Ergò.

Tertium argumentum à fine legum. Si finis legum esse debet salus populi, et utilitas Reipub. igitur si aliquæ leges sunt, quæ illum finem non amplius spectant, neque adferre possunt: meritò sunt vel corrigendæ, vel mutandæ, aut omninò abrogandæ. Magis enim præsentis Reipub. status, conditio, et utilitas, quàm majorum consuetudo est spectanda. Τα γαρ πλειςα των αρχαιων, ἡττον διηρθρωται των νεωτερων· Vetusta enim pleraque minus sunt exquisita, quàm recentiora, infra, c. 8.

Quartum argumentum à legum qualitate. Quæ inepta et stulta sunt, ea licet corrigere et mutare. Sed multæ antiquæ leges fuerunt ineptæ et stultæ, utpotè à primis hominibus, qui fuerunt simplices et agrestes, latæ. Ergò licuit illas leges corrigere et mutare. Minor probatur ex fabulis poetarum, qui propter primorum hominum simplicitatem et ruditatem, finxerunt eos fuisse è terra aut ex lapidibus natos, unde etiam γηγενεις et λαοι fuerunt dicti.

Quintum argumentum à legum defectu. In quibus est aliquis defectus, et quæ sunt imperfecta: ea licet corrigere et perficere. Sed in legibus scriptis sæpè reperitur aliquis defectus. Ergò leges scriptas licet corrigere et perficere. Minor probatur. Quia leges universaliter scribuntur, neque

possunt omnia singularia complecti. Ὥσπερ γὰρ περὶ τὰς ἄλλας τέχνας καὶ τὴν πολιτικὴν τάξιν ἀδύνατον ἀκριβῶς πάντα γραφῆναι. Καθόλου γὰρ ἀναγκαῖον γραφῆναι· αἱ δὲ πράξεις περὶ τῶν καθ' ἕκαστον εἰσιν· Nam ut aliis quoque in artibus, et in politica descriptione fieri non potest, ut omnia exquisitè scribantur. Universè namque scribi necesse est: actiones autem sunt in rebus singulis.

Quibus argumentis Aristoteles probat leges non esse mutandas?

Ἄλλον δὲ τρόπον ἐπισκοποῦσιν.

Duobus: quorum unum sumitur ab effectu per comparationem. Cujus rei mutatio plus mali et damni Reipubl. adferre potest, quàm boni et commodi, ea non est mutanda. Sed legum mutatio plus mali, quàm boni, Reipub. adferre potest. Ergo leges non sunt mutandæ. Minor probatur. Quia unius legis mutatio, omnium reliquarum legum auctoritatem frangit, et minuit; introducit etiam malam consuetudinem: per quam homines assuescunt paulatim leges contemnere, aut mutare: quæ res admodum perniciosa est Reipubl.

Alterum argumentum contrà legum mutationem continet refutationem similitudinis, quæ paulò anteà in primo argumento fuit allata. Ostendit enim magnam esse dissimilitudinem inter præcepta artium et leges politicas. *Primùm* enim artium præcepta suam veritatem et certitudinem habent ex seipsis, et confirmatam pluribus rationibus et exemplis ac referuntur solùm πρὸς τὴν θεωρίαν καὶ γνῶσιν· Legum autem veritas et certitudo pendet à longo usu, consuetudine, et experientia hominum: ac referuntur πρὸς τὴν πρᾶξιν· ὁ νόμος ἰσχὺν οὐδεμίαν ἔχει πρὸς τὸ πείθεσθαι, πλὴν παρὰ τὸ ἔθος. Τοῦτο δ' οὐ γίνεται εἰ μὴ διὰ χρόνου πλῆθος· Lex ne ullam quidem firmitatem habet, ut ei pareatur, præterquam ab usu. Hic autem non est nisi ex longo tempore. *Deindè* unius legis mutatio aut abrogatio frangit atque imminuit apud homines imperitos, etiam reliquarum legum vim et auctoritatem, qui existimant, si impunè licet unam

legem mutare aut violare, etiam licitum esse reliquas violare. *Το ῥᾳδίως μεταβάλλειν ἐκ τῶν ὑπαρχόντων νόμων εἰς ἑτέρους νόμους καινοὺς, ἀσθενῆ ποιεῖν ἐστι τὴν τοῦ νόμου δύναμιν·* Facilè mutare leges receptas, in alias novas leges, est legis vim et potestatem reddere infirmam. In artibus verò possunt interdum quædam præcepta corrigi aut mutari, salvâ permanente veritate et certitudine reliquorum præceptorum. *Tertiò* legum mutatio est difficilis, quia longo tempore, et diuturna consuetudine, quæ transit in naturam, sunt ita confirmatæ, ut sine magno motu, non facilè possint mutari, aut penitus abrogari. Artium verò præcepta pleraque solùm rationibus quibusdam probabilibus nituntur: quæ allatis melioribus rationibus, sine periculo possunt mutari.

CAPUT VII.

DE LACEDÆMONIORUM REPUBLICA.

Quid agit Aristoteles in hoc capite?

Περὶ δὲ τῆς Λακεδαιμονίων πολιτείας.

EXAMINAT Aristoteles in hoc capite Rempubl. Lacedæmoniorum seu Spartanorum, quam præcipuus et maximè celebris legislator Lycurgus dicitur constituisse: quæ etiam illis temporibus habita fuit laudatissima, teste etiam Cicerone, qui in Oratione pro L. Flacco his verbis eam commendat. Adsunt, inquit, Lacedæmonii, cujus civitatis spectata, ac nobilitata virtus, non solùm natura corroborata, verùm etiam disciplina putatur: qui soli in toto orbe terrarum septingentos jam annos, et amplius, unis moribus, et nunquam mutatis legibus, vivunt.

Quot sunt præcipua capita eorum, quæ Aristoteles in hac Republ. reprehendit?

Novem: 1. De servorum apud eos conditione. 2. De mulierum licentia et luxuria. 3. De patrimoniorum et possessionum inæqualitate. 4. De liberorum procreatione. 5. De magistratibus. 6. De publicis conviviis civium. 7. De præfectura navali seu classica. 8. De universa legum constitutione et scopo. 9. De publico ærario.

Quæ fuit servorum conditio apud Lacedæmonios?

Lacedæmonii expugnato et destructo oppido HELO, incolas omnes captivos secum in suam regionem abduxerunt, unde etiam εἵλωτες fuerunt appellati, eosque in vicinos pagos juxtà urbem distribuerunt: ut eorum opera, et servitiis in colendis agris, atque aliis laboribus similibus expediendis, uterentur: quo ipsi interea à talibus laboribus immunes, melius et commodius possent publicis civitatis negotiis administrandis vacare: et ad bellicas expeditiones in amplificando suo imperio esse paratiores, minusque impediti.

Quare Aristoteles hoc Lycurgi institutum improbat?

Propter duas præcipuè causas. Primùm quia est aliquo modo civitati periculosum. Quia tanta multitudo servorum extra urbem habitantium, facilè vel inter se, vel cum vicinis hostibus, potest conspirationem adversus cives, qui urbem inhabitant, facere: quemadmodum aliquando Thessalis accidit, à suis servis, quos ἀπὸ τῆς πενίας, à paupertate, πενέστας appellarunt: idem quoque ipsis Lacedæmoniis contigit: cum ipsorum servi sese adjunxissent Messeniis eorum hostibus.

Ἔοικε δὲ καὶ εἰ μηδὲν ἕτερον.

Deindè reprehendit hoc institutum Lycurgi, quòd nihil præcepit de servorum disciplina, quo pacto sint in officio retinendi, et quomodo tractandi: ne vel per indulgentiam petulanter et contumeliosè adversus suos dominos efficiantur: vel per nimiam severitatem suorum dominorum adversus ipsos exasperentur, seseque illis opponant; ita ut non minus quàm hostes sint metuendi.

Quid circa mulieres in Lacedæmoniorum Repub. Aristoteles reprehendit?

Liberiorem vivendi rationem, et nimiam licentiam quam sibi assumebant, propter virorum absentiam: qui perpetuis ferè bellis, conservandi et amplificandi sui imperii studio, erant in castris extra urbem occupati. Ex hac enim licentia mulieres Lacedæmoniæ efficiebantur intemperantes, et luxu-

Ἔτι δ' ἡ περὶ τὰς γυναῖκας ἄνεσις.

riosæ in victu, vestitu, ornatu et cæteris voluptatibus: unde sequebatur etiam avaritia in conquirendis opibus et pecuniis, quæ sunt voluptatum ministræ: quæ vitia etiam posteà pervaserunt in earum maritos, (qui γυναικοκρατουμενοι, hoc est, uxoribus serviebant) ut redderentur molles, delicati, et effœminati: adeò ut tandem amiserint cum imperio, omnem auctoritatem, quam apud Græcòs, et alias gentes habuerunt et verum factum sit Oraculum, quod Apollo ipsis responderat: Spartam nulla alia re, nisi avaritia perituram: ut refert Cicero lib. 2. Offic. et Plutarchus in Laconicis, ἡ φιλοχρηματια Σπαρταν ολει, αλλο δε τ' ουδεν· Quæ omnia adversabantur scopo Lycurgi legislatoris ipsorum: cujus consilium fuerat, talem formam Reipubl. in urbe Spartana constituere, per quam tota civitas efficeretur virtutis studiosa et per consequens etiam beata. Cùm autem mulieres Spartanæ, quæ sunt propè dimidia pars civitatis, talibus vitiis laborarent: non potuit tota civitas propter virtutis studium revera felix ex beata prædicari. Εν ὁσαις πολιτειαις φαυλως εχει το περι τας γυναικας, το ἡμισυ της πολεως εςι ανομοθετητον· Qua in Repub. de mulieribus malè est constitutum civitatis dimidium non rectè est descriptum.

Quid circa patrimoniorum et possessionum distributionem reprehendit in Lycurgi legibus?

Μετα γαρ τα νυν ρηθεντα. Την ανωμαλιαν, inæqualitatem bonorum: quòd aliqui nimis multos, aliqui autem nullos, aut admodum paucos haberent agros: ita ut aliqui viverent in summa copia et abundantia rerum, aliqui verò extrema premerentur egestate. Etsi enim Lycurgus initiò agros civitatis æqualiter inter cives suos distribuisset: et ut ista æqualitas servaretur, lege prohibuisset, ne cui liceret agros suos vendere, aut ab aliis agros emere: tamen quia permisit, ut posset aliquis alteri partem aliquam suorum agrorum donare, ut filiæ nubenti dotis loco dare, aut etiam testamento alteri legare: ideò factum est, ut per istas donationes et dotes, patrimonia non

minus imminuerentur, aut ad alias familias transferrentur, quam per emptiones et venditiones. Hinc ergò posteà consecuta est ista patrimoniorum et possessionum ανωμαλια, inæqualitas: ut aliqui inde efficerentur ditissimi, aliquò verò redigerentur ad summam paupertatem.

Quid circa liberorum procreationem reprehendit?

Lycurgus volens suam civitatem per liberorum procreationem efficere populosam, ut esset civium magnus numerus: legem tulit ut qui tres genuisset filios, liber esset ab excubiis et custodia urbis: qui verò quatuor aut plures filios suscepisset, prorsus ab omnibus publicis muneribus et oneribus esset immunis. Præterea, ut Plutarchus in vita Lycurgi refert, legem tulit: ut juvenes illis senibus, qui nullum civem patriæ genuissent, non debitum honorem exhiberent. Hoc institutum Lycurgi, Aristoteles reprehendit, quia etiam adversatur æqualitati patrimoniorum et possessionum: per quæ multitudinem liberorum quoque imminui, et ad inæqualitatem redigi necesse est: ita ut non solum parentes, verùm etiam ipsorum liberi efficiantur pauperes, et hoc modo civitas repleatur multis pauperibus civibus: quod non solum vitiosum, verùm etiam periculosum est, Reipub.

Ὑπεναντιος δε και ὁ περι την τεκνοποιιαν νομος.

Quid Aristoteles quinto loco reprehendit in Lycurgi Reipub.?

Distributionem Magistratuum. Nam tres ordines sive species constituit magistratuum. *Prima species* dicebatur εφορεια, inspectio, qui magistratus constabat ex quinque viris ex plebe per sortem electis. *Altera species* fuit ἡ γερουσια, senatus: qui constabat ex 28. senibus, ex optimatibus electis. *Tertia species* fuit ἡ βασιλεια, regia potestas duorum videlicet summorum virorum, qui nominabantur βασιλεις, et eligebantur ex duabus certis familiis, Herculis nimirum, et Aristodemi.

Αλλα μεν και τα περι την εφορειαν.

Quæ reprehendit circa εφορειαν?

Quinque. Primum: Quod hic Magistratus, cujus

summa erat auctoritas et potestas, per sortem eligeretur, ex universo populo: unde fiebat, ut interdum homines imperiti et pauperes ad hunc Magistratum pervenirent: quod valdè periculosum est in civitatibus. Etenim imperiti non possunt rectè de gravioribus causis judicare: pauperes verò δια την απορειαν ωνιοι εισι, propter paupertatem sunt venales, et facilè possunt corrumpi largitionibus.

Deindè, quòd Ephororum potestas propè erat tyrannica: nam à cæteris magistratibus, ad ipsos fiebat provocatiò: undè factum est, ut etiam ipsi reges, et Senatores cogerentur eos venerari.

Tertiò, quod Ephororum electio non fieret bono modo, sed propè pueriliter et ridicule.

Quartò, quod Ephoris qui plerunque fuerunt homines imperiti et plebii, permisit potestatem judicandi de gravissimis causis et controversiis.

Quintò, quòd cum ipsi essent quasi censores morum, et admodum duri et severi, in aliorum vitiis observandis et castigandis: ipsi tamen interea lautè, splendidè et dissolutè viverent, contra severitatem disciplinæ Laconicæ.

Quæ reprehendit in altero magistratu, qui nominatur γερουσια?

Εχει δε και τα περι την των γεροντων.

Tria. Primùm, quòd hic Magistratus erat perpetuus, adeò ut etiamsi aliquis vel propter senectutem, vel propter morbum factus esset inutilis: εστι γαρ ωσπερ και σωματος, και διανοιας γηρας: est enim ut et corporis, mentis quoque senectus; tamen non licebat eum removere, aut in ejus locum alium substituere.

Deindè, quòd erat ανευθυνος, id est, immunis à reddendis rationibus eorum, quæ aliquis in hoc magistratu gessisset.

Tertiò, quòd inepto et propè puerili modo, in senatum hunc eligerentur.

Quid reprehendit in tertio Magistratu; εν τη βασιλεια?

Περι δε βασιλειας

Unicum hoc reprehendit in tertio Magistratu, quod Lycurgus voluit, ut solùm ex duabus familiis,

ab Hercule oriundis, reges isti eligerentur: atque ει μεν μη
hac ratione videatur regnum illud hæreditario jure βελτιον.
per successionem ad posteros Herculis voluisse transmittere: cùm tamen in eligendis magistratibus, virtus potius et prudentia consideranda sit, quàm genus et familia.

Quid reprehendit in publicis conviviis Lacedæmoniorum?

Circa publica convivia, quæ Lycurgus apud La- Ου καλως
cedæmonios instituit, et απο τυ φειδεσθαι, à parsimo- δε ουδε περι
nia, φιδιτια, appellavit, reprehendit Aristoteles, quod τα.
voluit, ut etiam pauperes, si modò cupiant publicorum bonorum et officiorum esse capaces, sumptus præfinitos ad illa convivia contribuerent: quæ contributio quoniam illis erat difficilis, et molesta: ideò etiam non potuerunt hilari et læto animo ad ea accedere, et cum ditioribus civibus eadem celebrare. Itaque existimat sumptus illos pro pauperibus ex publico ærario sumendos esse, sicut Cretenses facere consueverunt. Hoc enim ad concordiam et mutuam civium benevolentiam fovendam, plurimùm profuturum: siquidem propter hanc præcipuè causam talia convivia olim fuerunt instituta.

Quid circa ναυαρχιαν, id est, præfecturam navalem seu classicam reprehendit?

Quòd præfecto classico summa tribuebatur po- Τα δε περι
testas extra urbem in bello navali: adeò ut esset της ναυαρ-
quasi tertius quidam rex apud Lacedæmonios, et χιας νομ.
oppositus duobus urbanis regibus: Quâ ex re facilè poterant exoriri dissensiones: nam periculosum est, si pluribus nimia in civitate potestas conceditur. Plerunque enim inter tales solet existere quædam dissimulatio.

Quid circa την όλην συνταξιν, id est, universam Reipub. Laconicæ constitutionem reprehendit?

Aristoteles in hoc loco et infra in libro septimo, Και ουδε η
capite 14. universam Reipublicæ Laconicæ consti- τη υπο-
tutionem eo potissimùm nomine reprehendit, quòd θεσει τε
videret ad unum solum scopum esse directam: νομοθετε

επιτιμησειεν αν τις.

nimirum ut cives ejus possent pluribus dominari, et imperium suum longè lateque dilatare. Ideoque unam solùm virtutem excolebant, nempè fortitudinem bellicam: eamque non propter se, sed solùm ut per eam efficerentur aliorum domini. Ad virtutes verò pacis, cujusmodi sunt, prudentia, justitia, æquitas, temperantia, modestia, liberalitas, parsimonia et similes aliæ virtutes, non erant assuefacti. Unde factum est, ut in bello quidem viderentur esse egregii et utiles: pacis verò tempore inutiles, luxuriosi et ignavi, et effœminati: quibus vitiis cùm in otio et pace dediti essent, tandem et seipsos perdiderunt, et imperium suum iterum amiserunt: ita ut de illis vulgò dici soleret, Lacedæmonios nosse quidem vincere, nescire autem victoriâ uti. Δια το μη επιςασθαι σχολαζειν, μηδε ησκηκεναι μηδεμιαν ασκησιν ἑτεραν κυριωτεραν της πολεμικης· Quia otio et pace uti non didicissent, neque ullum studium aliūd bellico melius excoluissent.

Quid reprehendit circa ærarium Lacedæmoniorum?

Φαυλως δ' εχει και περι τα κοινα χρηματα τοις Σπαρτιαταις.

Postremum, quod Aristoteles Lycurg. Republ. reprehendit, est: Quod videtur nullam habuisse rationem et curam ærarii et publicæ pecuniæ, quo pacto colligenda et conservanda sit ad publicum civitatis usum: cum tamen cogerentur subindè maxima bella gerere: quorum nervus pecunia esse dicitur. Neque verò solùm ejus usus est ad comparandum apparatum bellicum et ad muniendam civitatem mœnibus, propugnaculis, fossis et aggeribus: Verùm etiam extra tempus belli, ad plurimas alias et maximè necessarias res opus est civitati pecunia: maximè verò ad coemptionem et repositionem frugum, aliorumque victualium, de quibus in annonæ caritate, civium inopiæ est succurrendum. Item ad extruenda, et sarta tecta conservanda publica civitatis ædificia: ut sunt templa, palatia, basilicæ, curiæ, tribunalia, theatra, thermæ, porticús, aquæductus: Item ad servandas publicas vias: ad reficiendos et conservandos pontes et fontes: ad

obeundas civitatis nomine legationes, aut legatos, hospites, et peregrinos honestè excipiendos. Denique ad infinitos propè alios usus, in quibus necesse est, civitatem pecuniâ instructam esse. De quibus omnibus quoniam Lycurgus nihil præcepit: meritò videatur alicui, ejus Respublica non perfectè esse descripta.

CAPUT VIII.

DE CRETENSIUM REPUBLICA.

Quid agit Aristoteles in hoc capite?

COMPARAT Cretensium Rempub. cum Laconica: eaque comparatione ostendit, quid habeant inter se simile et dissimile: Ex quibus etiam hoc obiter intelligitur Lycurgum in constituenda Laconum Repub. multa à Cretensium institutis sumpsisse: et aliquo modo correxisse.

Ἡ δε Κρητικη πολιτεια, παρεγγυς μεν εστι.

Quæ sunt illa in quibus duæ hæ Respub. conveniunt?

Quatuor. Primum pertinet ad culturam agrorum: in qua utraque Respub. utitur in ea re opera servorum. Nam quemadmodum Lacedæmonii agros suos colebant per servos, extra urbem sparsim in pagis habitantes, quos εἱλωτας nominarunt: ita etiam Cretenses suos agros per vicinos colonos ipsorum dominio subjectos: quos περιοικȣς appellarunt.

Deindè conveniunt etiam quoad publica convivia, quæ cives certis anni temporibus simul celebrabant, eaque ab illis peculiari vocabulo ανδρεια nominabantur.

Tertiò conveniunt in eo quod eosdem ferè habebant Magistratus. Nam quemadmodum apud Lacedæmonios Magistratus divisus erat in tres ordines: in Ephoros, Senatores, et duos Reges: ita etiam apud Cretenses erant primùm ii, qui dicebantur κοσμοι, quasi κοσμητορες τȣ λαȣ, quorum officium erat providere, ut omnia in Repub. bono ordine, et decenter administrarentur. Deindè Senatorum in utraque Repub. par fuit auctoritas, et idem officium. Tertiò habuerunt etiam Cretenses initiò suos reges:

quorum tamen auctoritas et dignitas posteà ad Cosmos fuit translata: qui in expeditionibus bellicis, regum vices egerunt.

Quartò, quod ad publicas conciones et deliberationes attinet, etiam in eo conveniunt hæ duæ Respubl. quòd omnibus pariter concessum erat illis interesse: sed tamen apud Cretenses nihil licebat decernere, nisi quoque à Cosmis et Senatoribus fuisset approbatum.

In quibus differunt hæ duæ Respublicæ?

Τα μεν ουν των συσσιτιων εχει βελτιον. In duobus: Primum circa publica convivia civium, quæ apud Cretenses ideò meliùs quàm apud Lacedæmonios fuerunt constituta: quod apud Cretenses ex publica pecunia illa celebrarent, ita ut plane nemo ex civibus ab illis excluderetur: apud Lacedæmonios verò cives pauperes, qui non possent præfinitos sumptus contribuere, non solùm ab illis conviviis, sed etiam à cæteris publicis honoribus et officiis erant exclusi, qua ex re multæ inter cives exoriebantur discordiæ et contentiones.

Alterum discrimen est circa Cosmorum et Ephororum electionem. Nam apud Lacedæmonios Ephori etiam ex plebe eligebantur: apud Cretenses verò Cosmi eligebantur solùm ex certis quibusdam et magnis familiis.

Quæ præterea Aristoteles circa hos Magistratus reprehendit?

Περι ων τας αυτους αν τις ειποι λογους. Tria. Primùm quòd non cogebantur rationes reddere eorum, quæ in suo Magistratu gessissent.

Secundò, Quòd isti magistratus erant perpetui: ita ut non licebat illos deponere, quantumvis propter ætatem, vel morbum, vel ingenii aut virium defectum non amplius rectè eo fungi aliquis posset.

Tertio, Quod ii, qui in his Magistratibus erant constituti, non κατα γραμματα, ex legum præscripto, sed saltem pro suo arbitratu sententiam dicerent, et judicarent. Το μη κατα γραμματα αρχειν, αλλ' αυτογνωμονας, επισφαλες· Imperare verò non ex præscripto, sed pro suo arbitratu plenum est periculi. Et paulò

post: παντα βελτιον γινεσθαι κατα νομον, η κατα ανθρωπων βουλησιν, ου γαρ ασφαλης ὁ κανων· Omnia lege præstat fieri, quam hominum arbitrio, nam norma non est tuta.

CAPUT IX.

Quod est judicium Aristotelis de Carthaginensium Republica?

CARTHAGINENSIUM Rempubl. Aristoteles existimat non fuisse usque adeò malè constitutam: partim quia habuit multa similia et communia cum duabus præcedentibus, nimirùm cum Laconica et Cretensi Repub. partim etiam quia licet fuerit populosa et habuerit numerosam plebem: tamen diutissimè suis propriis legibus, absque ulla seditione, aut Tyrannide fuerit administrata, et conservata. Σημειον δε πολιτειας συντεταγμενης, το τον δημον εχουσαν, διαμενειν εν τη ταξει της πολιτειας, και μητε στασιν, ὁ,τι και αξιον ειπειν γεγενησθαι, μητε τυραννον· Signum autem est Reipub. præclarè institutæ, quod, licet popularis, tamen permaneat in Reip. descriptione, et neque seditio, quæ quidem memoratu sit digna, exstiterit, nec tyrannis.

Πολιτευεσθαι δε δοκουσι και Καρχηδονιοι.

Quæ habuit autem hæc Respublica communia, et similia, cum duabus jam dictis?

Duo præcipuè. Primùm, quod ad conciliandam et alendam inter cives mutuam concordiam, etiam habuerunt suas sodalitates et distincta collegia, quæ una simul celebrabant statis temporibus, publica convivia: sicuti Lacedæmonii et Cretenses. Deinde quòd eosdem propè habuerunt magistratuum ordines: nisi quòd quinqueviratus Ephororum apud Carthaginenses sese extendebat in centumviratum, qui Magistratus ab Aristotele ἑκατονταρχια, hoc loco nominatur. Præterea Lacedæmoniorum reges eligebantur solùm ex familia Heraclidarum: apud Carthaginenses verò eligebantur etiam ex diversis familiis: prout videbantur aliqui ad istam dignitatem maximè idonei.

Εχει δε παραπλησια τῃ Λακωνικῃ.

Quæ autem vitia in Repub. illa Aristoteles notavit?

Quatuor præcipuè. Quorum primum est, quod eorum Legislator non omnes leges consimiliter ad eum scopum, quem sibi proposuerat, accommodavit.

Quomodo?

Τα μεν ουν πλειςα των επιτιμηθεντων.

Quia Legislatori propositum fuerat, ejusmodi Rempub. apud Carthaginenses constituere, quæ esset mixta et temperata ex aristocratia, et bona politia: ipse verò multa instituta immiscuit, quæ magis erant democratica, et oligarchica, quam aristocratica: quemadmodum Aristoteles declarat enumeratione quorundam institutorum, quæ apud Carthaginenses erant in usu.

Quod est alterum vitium?

Δει δε νομιζειν ἁμαρτημα νομοθετυ.

Quod in eligendis magistratibus non solius virtutis, sed etiam divitiarum habuerunt rationem: existimantes pauperes esse occupatiores in acquirendo victu: atque ideò minùs commodè posse publicis negotiis administrandis vacare. Ἀδυνατον γαρ οιονται τον απορυντα καλως αρχειν και σχολαζειν· Opinantur enim quod fieri nequeat, ut egens benè præsit et otium agat. Verùm huic incommodo Legislator facilè potuisset occurrere, si legem sanxisset, ut pauperibus, qui in magistratum fuissent cooptati, ex publico ærario aliquid detur: ita ut absque damno aliquo possent, et ipsi ejusmodi publicis muneribus fungi. Ει δε δει βλεπειν και προς ευποριαν, χαριν σχολης, φαυλον το τας μεγιςας ωνητας ειναι των αρχων, την τε βασιλειαν, και την ςρατηγιαν· Quòd si otii causa et divitiarum est habenda ratio, vitiosum certè, summos magistratus esse venales, Regnum et belli præturam.

Quare Aristoteles in eligendis magistratibus censet non spectandas esse opes et divitias?

Hujus duas adfert causas. *Prima* est, Quia ex ea re homines concipiunt malam de divitiis opinionem: quasi essent res preciosæ et honorandæ: propterea quòd propter illas hominibus conferantur

ejusmodi honores et dignitates. Ex qua opinione deinde consequitur, quòd etiam homines incipiunt divitias magnifacere, et in honore habere: sperantes etiam se per illas aliquando posse evadere honoratiores. Quæ sanè res perniciosissima est civitatibus. *Altera causa* est, quia ista res occasionem præbet hominibus ambitiosis, ut cupiant per largitiones et munera ad ejusmodi honores pervenire: quos ubi consecuti sunt, postea conantur quæstum ex suo magistratu facere: ad recompensationem eorum, quæ in largitiones insumpserunt. *Ὁπου δε μη μαλιστα αρετη τιμαται, ταυτην ουχ οιον τε ειναι βεβαιως αριστοκρατικην πολιτειαν·* Jam verò ubi virtus non summo fuerit in honore, fieri non potest, ut hæc Respublica constanter sit Aristocratica.

Quod est tertium vitium in hac Repub.?

Quod interdum uni alicui plures magistratus, et plura publica negotia peragenda committebantur. Hoc autem minimè fieri debere, præsertim in magnis civitatibus, in quibus est hominum idoneorum magna copia, probat duobus argumentis: *Unum* sumitur ex loco comparatorum. Si difficile est unum magistratum rectè gerere: multò difficilius est plures magistratus benè administrare. *Alterum* à simili: Quemadmodum absurdum est uni et eidem homini mandare, ut simul tibiâ canat, et calceos conficiat: ita inconveniens est, uni et eidem duos diversos magistratus mandare. *Ἑν γαρ υφ' ἑνος εργον αριστ' αποτελειται·* Unum namque opus ab uno optimè perficitur.

Φαυλον γ' αν δοξειεν ειναι.

Quod est quartum vitium?

Quòd ad præcavendam seditionem, et demulcendam plebem, solebant interdum quosdam ex illis ad præfecturas provinciarum extrà urbem mittere, ut ex illis ditescerent. Sed Aristoteles hunc modum deliniendi populum improbat, tanquam incertum et à fortuna dependentem: ac potiùs bonis legibus, et bona disciplina seditiones esse præcavendas.

Ολιγαρχικης δ' ουσης της πολιτειας.

CAPUT X.

Quæ fuerant Solonis leges, et instituta in Republica Atheniensi?

Των δε αποφηναμενων.

ARISTOTELES ait Solonem Atheniensium legislatorem, à quibusdam laudatum fuisse propter leges quasdam et constitutiones, quarum ipse in constituenda ea Repub. auctor fuit: inter quas etiam fuerunt ea quæ sequuntur instituta. 1. Quòd Oligarchiam, et intolerabilem dominatum atque potentiam triginta Tyrannorum sustulit. 2. Quòd populum à servitute, quâ premebatur, liberavit. 3. Quòd pristinam democratiam populo restituit. 4. Quòd Rempub. Atheniensium ex diversis formis commixtam, eâ prudentia temperavit, ut indè efficeretur bona et commoda quædam πολιτεια.

Quonam pacto?

Nam, Quòd judicium Areopagiticum constituit, in quo paucorum fuit summa auctoritas et potestas: repræsentàvit Oligarchiam. Quòd omnes magistratus non amplius sorte, sed per suffragia ex tribus primis civium ordinibus eligendos esse censuit: id est, Aristocraticum. Quòd denique judicia omnia excepto Areopagitico ad populum transtulit: populoque potestatem fecit eligendi magistratum, ab eoque reposcendi rationes eorum, quæ in magistratu gessissent: referri potest ad democratiam.

Atqui sunt aliqui qui reprehendunt Solonis Rempub. propterea quod ea tandem degeneravit in deterrimam Democratiam, et prope Tyrannicum populi licentiam?

Φαινεται δ' ου κατα την Σολωνος.

Negat Aristoteles hoc Solonis culpâ factum esse: sed partim casu quodam fortuito: eo nimirum tempore, quo Athenienses cum Persis et Medis bellum gerentes juxta Salaminem, navali prælio eos superassent: cujus victoriæ, cum populus præcipuè auctor extitisset, cœpit animos erigere, ac petulantius superbire: partim verò culpa των δημαγωγων, hoc

est, eorum oratorum, qui populo nimium adulabantur, et suis assentationibus ejus petulantiam magis magisque confirmabant.

Quo pacto Solon distribuit cives Athenienses?

In quatuor ordines, secundum eorum opes et facultates, seu census. Quorum primus fuit eorum, qui vocabantur πεντακοσιομεδιμνοι, qui in annuis reditibus habuerunt quingentos medimnos: horum tributum fuit unum talentum. Alter eorum, qui nominabantur ἱππαδες, equestres, qui in annuis proventibus habebant trecentos medimnos: horum tributum erat dimidium talentum. Tertius eorum, qui dicebantur ζευγιται, quia poterant aliquot juga bonum alere: horum tributum erant decem minæ. Quartus ordo eorum, qui appellabantur θητες, servi, et mercenarii: quibus nullum tributum imponebatur.

Quomodo distinguit Aristoteles circa finem hujus libri eos, qui antè ipsum aliquid, vel de Legibus, vel de constituendis Rebuspub. scripserunt et tradiderunt?

Aristoteles veterum Legislatorum, et Politicorum scriptorum duo facit genera. *Unum eorum*, qui domi in otio privatam vitam remotam à publicis negotiis, et Reipub. administratione, traduxerunt: sola θεωρια ista et speculatione sese oblectantes, non admodum soliciti fuerunt, quo pacto re ipsa ea, quæ excogitarunt, possent ad usum transferre: in quorum numero fuerunt Philosophi politici, ut Plato, Phaleas, Hippodamus, et alii his similes, qui nunquam ad Rempub. accesserunt. *Alterum genus* est eorum, qui non nudâ solùm speculatione, et inventione Legum contenti fuerunt: sed conati sunt, ea quæ excogitarunt, etiam in actum producere, et ad usum transferre: itaque ipsimet secundum leges vel novam aliquam Rempublicam constituerunt: vel etiam, in qua vixerunt, administrarunt, quos Aristoteles hoc loco dicit, non fuisse solùm νομοθετας, sed etiam δημιουργους της πολιτειας, hoc est, non solùm legum inventores, sed etiam Rerumpublicarum conditores.

Τας δ' αρχας εκ των γνωριμων.
Νομοθεται δ' εγινοντο.

LIBER TERTIUS.

Quod est argumentum, et quæ sunt partes hujus tertii libri?

TRES sunt hujus Libri præcipuæ partes: quarum *Prima* est de cive et civitate, quæ sunt materia et subjectum civilis societatis, circa quæ hæc doctrina præcipuè versatur. Inquirit enim, quis propriè dicatur civis, et quæ sit civitatis definitio, quodque sit boni civis officium. *Altera pars* à quarto capite usque ad decimum est de forma civitatis, quæ à Græcis Πολιτεια, à Cicerone Respublica nominatur. In hac parte docet quid sit Πολιτεια, quot item sint ejus differentiæ et species: easque definiendo explicat. Interserit etiam utilissimam quæstionem, quâ quæritur, utrum legibus potius, an verò hominibus imperium et dominium civitatis sit concedendum. In *tertia parte* à decimo capite usque ad finem agitur, de prima et præcipua forma Reipublicæ, quæ Βασιλεια, hoc est, Regnum, sive Regia gubernatio appellatur: et de quinque ejus differentiis, sive speciebus.

CAPUT I.

Quoniam Aristoteles deinceps traditurus est Præcepta de ratione constituendi, et administrandi aliquam Rempublicam. Unde existimat faciendum esse initium?

Τῳ περι πολιτειας επισκοπουντι.

A DEFINITIONE Civitatis, et Civis.

Quas ob causas?

Primùm. Quia ista vocabula non semper eòdem modo accipiuntur, ita ut interdum de illis oriatur dubitatio quomodo sint intelligenda. Qua in re servat Aristoteles præceptum Dialecticorum, qui jubent ὁμωνυμα, semper esse prius distinguenda, antequam in disputando aut docendo progrediamur.

Cujus præcepti etiam Cic. lib. 1. Offic. his verbis mentionem facit. Omnis, inquit, quæ à ratione suscipitur de aliqua re institutio, debet à definitione proficisci: ut intelligatur, quid sit id, de quo disputatur.

Altera causa est, Quia ista duo, Civitas et Civis, sunt præcipuum subjectum, circa quod doctrina hæc versatur. In qualibet autem arte et scientia, ejus subjectum imprimis est considerandum et explicandum. *Tertia causa* est, Quia Civis et Civitas erga se mutuò ita sunt affecta, quemadmodum totum et partes: non potest autem totum perfectè cognosci, nisi etiam partes ejus cognoscantur. Itaque cum Cives sint partes Civitatis, meritò etiam explicandum est, quisnam sit Civis dicendus.

Dic igitur definitionem Civis: nam Civitatis definitio supra in primo libro est tradita?

Vocabulum Civis bifariam accipitur: vel κυριως και ἁπλως, propriè et simpliciter seu absolutè: vel μη κυριως, ἀλλα κατα τι, non proprie, sed secundum quid, hoc est, certo quodam modo et respectu: μετα προσθηκης, cum aliqua adjectione seu conditione.

Quis dicitur proprie Civis?

Civis propriè dicitur is, qui in civitate particeps est magistratus et judicii: ὁ μετεχων αρχης, και κρισεως, hoc est, cui aditus patet ad honores in magistratu gerendo, et in exercendis judiciis. Atque hæc definitio non omni Reipubl. sed primò Democratiæ convenit: accommodari tamen et aliis Rebusp. potest. Nam pro varietate earundem civium quoque definitiones et notæ variant. Ubi enim res subjectæ specie ita differunt, ut earum una sit prima, altera secunda, alia tertia, ibi nullum commune nomen, nisi homonymon reperitur, nullum genus aut vix idem commune. Των πραγματων εν οἷς τα ὑποκειμενα διαφερει τῳ ειδει και το μεν αυτων εστι πρωτον, το δε δευτερον, το δε εχομενον, η το παραπαν ουδεν εστιν, ᾗ τοιαυτα, το κοινον, η γλισχρως· Atqui Respub. ita specie

Πολιτης δ' ἁπλως ουδενι των αλλων.

differunt, aliæ ut sint priores, aliæ posteriores: sic rectæ vitiosis sunt priores &c. Ergo politiarum et proinde πολιτων nullum erit idem et commune genus, nullaque communis ratio.

Quis dicitur impropriè et secundum quid Civis?

Impropriè Civis dicitur, qui etiamsi in civitate habitat, tamen non est capax honorum in magistratu, et judiciorum, hoc est, non licet ei gerere magistratum, aut exercere judicia.

Quot sunt horum civium genera?

Quatuor. *Primum* est eorum, qui dicuntur ποιητοι, cives factitii: qui civitate sunt donati, et in numerum civium aliundè asciti; à Platone νεοπολιται. *Alterum* genus est eorum, qui tantùm ratione habitationis et domicilii, quod in civitate habent, dicuntur cives: nominantur μετοικοι, inquilini, ut incolæ, "Hindersassen." *Tertium* genus est eorum, qui propter controversiam et litem, quam habent cum veris civibus in foro, et curia, se subjecerunt eisdem judiciis, quoad eorum causa cognoscatur et dijudicetur: atque hac ratione aliquo modo etiam dicuntur esse participes judiciorum. *Quartum* genus est eorum, qui propter ætatem non possunt pro veris civibus haberi: quia non possunt fungi officio verorum civium: cujusmodi sunt primum filii civium: qui adhuc sunt impuberes, neque deposuerunt prætextam, ac propterea nondum sunt in tabulas perfectorum civium relati. Deindè sunt senes, qui propter ætatem, aut ingenii et virtutum imbecillitatem non possunt amplius Reipub. negotiis administrandis adhiberi: qui hoc loco nominantur αφειμενοι, quasi dimissi et soluti à publicis officiis item: παρηκμακοτες, effœti et emeriti: à Latinis, auctore Festo, Depontani. Unde natum est proverbium, *Sexagenarium de ponte.* His etiam quinto loco addi possunt ii, qui propter facinus aliquod in exilium sunt ejecti, aut ignominiâ notati: hi etiamsi anteà fuerint veri cives, tamen non possunt amplius propriè cives nominari.

Quæ est vulgata civis definitio?

Civis est, qui ex utroque parente cive, in aliqua civitate natus est. Ὁ ἐξ ἀμφοτέρων πολιτῶν, καὶ μὴ θατέρου μόνον, οἷον πατρὸς ἢ μητρός. Vel ut quidam volunt, Qui à tribus aut quatuor gradibus suorum majorum civis natus est. ὁρίζονται δὴ πρὸς τὴν χρῆσιν.

Quod est Aristotelis judicium de hac definitione?

Aristoteles negat aliquem solùm propter locum sive patriam, in qua natus est, verè et simpliciter posse civem nominari: idque probat tribus absurdis consequentibus. *Primum* est tale. Si civis definiendus est à majorum suorum natalibus, incerta erit definitio: quoniam etiam de illis simpliciter dubitari potest, utrum etiam ipsi hoc modo à suis majoribus cives nati fuerint. *Deindè* à joco Gorgiæ Leontini Sophistæ: qui, cum Larissæi gloriarentur, se esse cives natos à suis parentibus respondit: ergò vestri patres fuerunt Λαρισσοποιοί, h. e. Larissæorum fabricatores: quemadmodum statuarii dicuntur esse ἀγαλματοποιοί, hoc est, statuarum fabricatores.

Tertiò rursum ab absurdo: si ii tantum sunt cives, quorum parentes aut majores fuerunt cives: igitur ii, qui primi conditores alicujus urbis fuerunt, non poterunt dici cives: quoniam nati fuerunt, antequam urbs illa fuisset ab ipsis condita: quod est valde absurdum. Hac enim ratione etiam Romulus non potuisset esse aut dici civis Romanus: natus enim fuerat ante conditam Romam.

Denique, si locus in quo aliquis natus est, facis eum civem: igitur Mercatorum, Militum, Mendicorum, et peregrinantium liberi, quibus casu aliquo fortuito contingit in aliqua urbe nasci, etiam poterunt cives ejus urbis nominari: quod tamen est falsum.

Suntne rata habenda, et servanda ea, quæ ante mutatam formam Reipubl. fuerunt decreta?

Maximè: quia fides nunquam est violanda, qualiscunque tandem sit rerum status, personarum conditio, aut temporum mutatio. Itaque Divus Petrus, Ἀλλ' ἴσως ἐκεῖνοι μᾶλλον.

Epist. 1. c. 2. v. 18, 19. præcepit etiam malis et improbis magistratibus obediendum esse in rebus civilibus, quatenus salva conscientia illud fieri potest.

CAPUT II.

Quomodo dicitur civitas aliqua esse eadem, aut à seipsa diversa?

Εοικε γοικιος ὁ λογος. PRO hujus quæstionis explicatione, notanda est hæc distinctio: Quòd vocabulum Civitatis accipitur vel materialiter vel formaliter. Cùm materialiter accipitur, tunc usurpatur pro urbe, quatenus sita est in certo aliquo loco, et mœnibus cincta, constatque ex pluribus domibus et hominibus, qui eas inhabitant. Cùm autem formaliter accipitur, intelligimus formam ipsam et modum administrationis: quæ Græcè πολιτεια, Latinè Respublica nominari solet: cujus sunt plures et diversæ species: veluti sunt αριστοκρατια, ολιγαρχια, δημοκρατια, et reliquæ species. Quòd igitur ad materiam attinet, Civitas non potest propter eam, eadem aut diversa dici, quatenus in eodem aut diverso loco est extructa, aut iisdem mœnibus cincta, aut diversis mœnibus distincta: neque etiam quatenus iidem, aut diversi homines eam inhabitant: neque enim res suam essentiam aut denominationem habent à materia, sed à forma: quâ retentâ, aut mutatâ res dicuntur esse eædem, aut diversæ. Proinde si forma administrationis civitatis, hoc est, Reipubl. eadem manet, etiam civitas dicitur esse eadem: etiamsi fortè locus ejus sit mutatus, et non amplius sint iidem in ea cives: si verò forma mutatur, veluti si democratia mutetur in Oligarchiam, aut Aristocratiam: tùm non amplius dicitur esse eadem: etiamsi idem ejus maneat locus, iidemque sint cives, qui anteà fuerant.

Quo pacto Aristoteles hanc responsionem declarat?

Αλλα των αυτων καταμενοντων. Tribus exemplis similibus: quorum *unum* sumitur à fluminibus, quæ semper retinent suam appellationem, et dicuntur esse eadem, licet interdum

locum et alveum suum mutent: eorumque aquæ subinde defluant et præterlabantur, aliæque in earum locum affluant et succedant. *Alterum exemplum* sumitur à choro scenico: qui licet ex iisdem histrionibus constet, tamen mutata forma fabulæ, etiam non amplius idem esse dicitur: sed in Comœdia dicitur esse Comicus, in Tragœdia, Tragicus: retentâ verò formâ fabulæ, etiam eodem nomine appellatur, etsi histriones fuerint diversi. *Tertium exemplum* huic est simile, desumptum ab harmonia musica: quæ licet constet ex iisdem vocibus et sonis, tamen mutatâ compositionis formâ, etiam diversas sortitur appellationes: ita ut harmonia Lydia sit diversa ab harmonia Dorica, aut Phrygia: et cantus primi toni specie differat à cantu secundi aut tertii toni. Itaque propter mœnia, quibus civitas est cincta, aut distincta, non potest civitas una, eademque aut diversa nominari. Nam posset fieri, ut tota Peloponnesus unis mœnibus cingeretur: non propterea una posset nominari civitas. Sic civitates interdum flumine aliquo, aut collibus in diversas partes quodammodo disjunguntur: non tamen propterea diversæ civitates esse dicuntur. Ut Roma licet fluvio Tyberi, et septem collibus fuerit in plures quasi partes distincta, tamen una eademque fuit urbs nominata.

CAPUT III.

Estne eadem virtus viri boni, et civis boni? Των δὲ νυν ειρημενων.

SIMPLICITER quidem non est: aliquo modo tamen et secundum quid est eadem. Ἁπλως μεν ουχ' ἡ αυτη· αλλα κατα τι, και πως.

At ego putabam eum, qui est vir bonus, etiam esse civem bonum: et sic utriusque eandem esse virtutem?

Nequaquam ita se res habet: possunt enim hæc duo, nempè vir bonus, et civis bonus, nonnunquam esse separata: quemadmodum Aristoteles apertè in 5. Ethicorum, cap. 2. affirmat, inquiens: ου γαρ ισως ταυτον ανδρι τ' αγαθῳ ειναι πολιτῃ παντι· Idem etiam

testatur Cicero, lib. 1. epist. in Epistola 9. ad Lentulum: Ego postulavi à Repub. ut me, quem bonum civem semper habuisset, etiam bonum virum esse pateretur. Et ad Atticum, epist. 2. lib. 10. scribit, Gaudeo te et viri boni, et civis boni verbis esse delectatum.

Quæ est igitur virtus viri boni?

Virtus viri boni est, ἡ καλοκαγαθία, hoc est, omnis probitas et honestas, τον αγαθον ανδρα φαμεν ειναι κατ' αρετην τελειαν· Virum bonum ex perfecta virtute dicimus: et ut Cic. lib. 3. Offic. scribit, Viri boni nomen innumerabilibus officiis continetur.

Quæ est virtus civis boni?

Ea quæ est accommodata ei formæ Reipubl. in qua vivit, hoc est, posse vitam, mores, et omnes suas actiones accommodare legibus, et institutis suæ civitatis. Quemadmodum enim eorum, qui simul navigant, communis cura esse debet secundus navigationis cursus: (ἡ γαρ σωτηρια της ναυτιλιας, εργον εστιν παντων πλωτηρων: omnium nautarum opus et munus est navigationis salus,) ita etiam civium communis cura esse debet salus et conservatio civitatis.

Quare autem non simpliciter eadem est virtus viri boni, et civis boni?

Ειπερ ουν εστι πλειω πολιτειας ειδη.

Hujus rei Aristoteles tres adfert rationes: Prima ratio est, Quia vir bonus, quoad virtutem, in omni loco et tempore, et in quacunque fortuna semper eodem modo se habet, ad solam nimirum honestatem spectans, à quo suo proposito non patitur se ulla ratione dimoveri, unde etiam in Ethicis, lib. 1. cap. 10. dicitur esse τετραγωνος, instar lapidis quadrati. Civis autem bonus, virtutem suam et actiones omnes accommodare debet ad utilitatem ejus civitatis et Reipubl. in qua vivit: cùm autem plures sint Reipub. formæ, ideò non potest semper eadem simpliciter ejus esse virtus. Et per consequens viri boni, et civis boni non semper eadem est virtus. Ὁτι μεν ουν ενδεχεται, πολιτην οντα σπουδαιον μη κεκτησθαι την αρετην, καθ' ἡν σπουδαιος ανηρ, φανερον. Usu venire

igitur, ut civis bonus sit, qui virtutem, quam vir bonus, non habeat, perspicuum est.

Quæ est altera ratio?

In Repub. benè constituta, omnes cives etiam debent esse boni cives: alioquin enim Resp. non poterit dici benè esse constituta: non autem necesse est, ut omnes cives quoque sint viri boni: quia istud fieri in hac humanarum rerum conditione non potest: ergò civem bonum, et virum bonum esse sunt diversa. Et per consequens, Non eadem est virtus viri boni, et civis boni. Ου μην αλλα και κατ' αλλον τροπον.

Quæ est tertia ratio?

Tertia ratio sumitur à natura eorum, quæ sunt composita. Omne quod compositum est, constat ex dissimilibus partibus: quarum etiam diversæ sunt functiones et actiones: quæ etiam proficiscuntur à diversis facultatibus et virtutibus. Sed civitas seu Respub. est composita quædam societas ex diversæ conditionis hominibus et civibus: quemadmodum per se notum est. Ergò non omnium civium eædem sunt functiones, eædemque virtutes. Majorem Aristoteles declarat aliquot exemplis per inductionem: primùm animalis, quod constat ex anima et corpore: ζωον ευθυς εκ ψυχης και σωματος: deinde, Animi humani, cujus sunt diversæ potentiæ: tertiò, societatis domesticæ, in qua sunt diversi homines, Maritus et Uxor: Dominus et Servus: Parentes et Liberi. Quartò chori, qui constat ex coryphæo, duce, et cæteris saltatoribus, qui eum sequuntur. Ετι επει εξ ανομοιων.

Sed quando potest aliquis in civitate aut Republica aliqua simul esse et nominari civis bonus, et vir bonus?

Ad hanc quæstionem Aristoteles in fine hujus capitis, et in septimo capite quarti libri respondet ex duplici distinctione: quarum una est ipsorum civium, quorum aliqui dicuntur αρχοντες, id est, in magistratu constituti, alii verò αρχομενοι, id est, subditi. Altera distinctio est formarum Reipub. quarum aliquæ sunt bonæ, et rectè constitutæ: aliæ Δηλον εκ των ειρημενων.

autem malæ et vitiosæ. Secundum has distinctiones ad propositam quæstionem sic respondet. Quòd nimirum in sola Aristocratia, hoc est, in ea civitate, quæ ab optimatibus secundum optimas leges administratur, is cui magistratum gerere licet, possit simul revera esse, et dici civis bonus, et vir bonus.

Quæ est hujus rei causa?

Duæ sunt causæ, *Prima est*, Quia in hac forma Reipublicæ in eligendis magistratibus, et conferendis publicis honoribus solius virtutis habetur ratio, absque ullo aliarum rerum respectu, veluti divitiarum, nobilitatis, potentiæ, amicitiarum, et similium rerum: ex quo sequitur quòd is, qui hoc modo in magistratum eligitur, etiam sit vir bonus, et per consequens etiam civis bonis. *Altera causa* est, Quia in Aristocratia gubernatio non est solùm penes paucos aliquos divites, vel nobiles, ut in Oligarchia: sed est penes omnes, qui libertate et virtute sunt pares: idque per vicissitudinem imperandi et parendi: quæ vicissitudo admodum utilis est ad rectam gubernationem: quemadmodum in proverbio dicitur, *ουκ εςι ευ αρξαι, μη αρχθεντα·* id est, non potest bene imperare is, qui nunquam alterius imperio fuit subjectus. Cui etiam simile est illud, quod Plato in libro sexto de Legibus scribit de imperio domestico, *ὁ μη δυλευσας, υδ' αν δεσποτης γενοιτ' αξιος επαινυ*, Qui nunquam servivit, non poterit unquam laude dignus dominus fieri. De hac vicissitudine imperandi et parendi in liberis civitatibus etiam Cicero in lib. 3. de Leg. sic scribit: Non solùm magistratibus præscribendus est imperandi, sed etiam civibus obtemperandi modus. Nam et qui benè imperare cupit, pareat aliquando necesse est: et qui modestè paret, videtur dignus esse, qui aliquando imperet: itaque oportet et eum, qui paret, sperare se aliquo tempore imperaturum: et illum, qui imperat, cogitare brevi tempore sibi esse rursus parendum. Scientia igitur rectè imperandi, et parendi in libera civitate et Repub. communiter ad-

utrosque pertinet, tam ad eos qui in magistratu sunt constituti, quàm ad subditos. Sed tamen est etiam utrorumque propria quædam virtus, quæ in illis requiritur.

Quæ est igitur propria virtus τȣ αρχοντος, id est, ejus qui in magistratu est constitutus?

Propria virtus τȣ αρχοντος est φρονησις αρχικη, id est, ejusmodi prudentia, quâ potest rectè imperare et præesse suis subditis: ac refertur ad formam imperii sui: proindè pro diversitate imperii, etiam diversa requiritur in imperante prudentia: alia in imperio Economico, alia in imperio Politico, alia in imperio Regio, Populari, Oligarchico, et sic consequenter.

Φαμεν δη τον αρχοντα τον σπȣδαιον.

Quæ est propria virtus subditi?

Propria virtus τȣ αρχομενȣ, subditi est, ut inquit Aristoteles, δοξα αληθης, vera et recta opinio de iis, quæ à magistratu et legibus præcipiuntur: quòd nimirum sit bona et salutaria: ut hac opinione seu persuasione efficiantur subditi promptiores ad præstandam obedientiam legibus, et magistratui. Ὥσπερ αυλοποιος γαρ, ὁ αρχομενος· ὁ δε αρχων, αυλητης, ὁ χρωμενος: Parens namque est velut tibiarum opifex: imperans verè tibicen, qui utitur tibiis.

Quo argumento Aristoteles probat diversam esse virtutem τȣ αρχοντος και τȣ αρχομενȣ?

A diversa eorum educatione. Nam qui ad diversas virtutes educantur, et instituuntur eorum etiam virtutes sunt diversæ. Sed Magistratuum et subditorum liberi ad diversas virtutes educantur et instituuntur. Ergò. Minor declaratur primùm testimonio Euripidis, apud quem cujusdam principis filius à præceptore suo postulabat, ut in talibus præceptis ipsum institueret, per quæ aliquandō, si in magistratum eligeretur, posset patriæ suæ esse utilis. Deindè à dicto cujusdam Jasonis, qui dicebat se quodammodo fame consumi, quod non posset aliis imperare: quo dicto ostendere voluit, se non didicisse, quo pacto debeat aliis parêre. Αλλα μην επαινειται γε το δυνασθαι αρχειν και αρχεσθαι· και πολιτȣ δοκιμȣ ἡ αρετη ειναι το δυνασθαι και αρχειν και αρχεσθαι.

καλως· Sed nihilominus laudatur posse imperare, et posse parere: et spectati civis virtus esse videtur, posse bene imperare et parere.

Sed præter prudentiam requiruntur ne etiam aliæ virtutes in eo qui magistratum gerit?

Εστι ουποτε δοκει αμφοτερα. Imò, in principe et magistratu omnes etiam reliquæ virtutes morales requiruntur, quæ in eo etiam debent esse excellentiores et perfectiores, ut revera sint αρχικαι, hoc est, viro principe et magistratum gerente dignæ: quemadmodum etiam in imperatore et duce exercitus major requiritur fortitudo, quàm in gregario milite: et in muliere major temperantia, quàm in viro: επει και οικονομια ἑτερα ανδρος και γυναικος· Siquidem et economia alia est viri quàm mulieris. Του μεν γαρ κτασθαι, της δε φυλαττειν εργον εστιν· Illius quidem quærere, hujus verò conservare est officium.

Quæ est postrema hujus capitis quæstio?

Aristoteles circa finem hujus capitis tractat quæstionem de opificibus: utrum revera inter cives sint numerandi, et pro civibus habendi. Atque eam in utramque partem disputat: deindè suam de ea sententiam explicat.

Quomodo partem negativam probat?

A definitione Civis, quæ suprà fuit tradita Verus civis est is, qui capax esse potest magistratus et judicii in sua civitate. Opifices autem non possunt esse capaces magistratus et judicii. Ergò Opifices non possunt in numero civium haberi. Minor probatur. In benè constituta Repub. magistratus conferuntur respectu virtutis, iis quibus otium est, ut possint vacare virtutis studio, et negotiis publicis administrandis. Opifices autem et operarii non habent tale otium, ut possint virtutis studio vacare, et publica negotia administrare. Ου γαρ οιον τ' επιτηδευσαι τα της αρετης, ζωντα βιον βαναυσον η θητικον· Quod repetitur lib. 7. c. 9. Sunt enim perpetuò occupati in quotidiano victu per assiduos labores acquirendo. Ergò Opificibus publica hæc officia magistratuum et judiciorum non possunt committi.

Quid ad hoc argumentum Aristoteles respondet?

Negat Aristoteles propterea definitionem civis suprà positam esse falsam: etiamsi affirmemus opifices esse cives, nec tamen capaces magistratuum et judiciorum. Atque hoc declarat distinctione: Cives sunt duplices: aliqui ἁπλως, absolutè et simpliciter, quibus competit suprà dicta definitio: aliqui autem εξ υποθεσεως, και κατα τι, cum aliqua conditione, et secundum quid: ut pueri, qui sunt imperfecti et inchoati cives: πολιται μεν γαρ εισιν, αλλ' ατελεις· His etiam annumerari possunt opifices. Περι δε τον πολιτην ετι λειπεται τις.

Quomodo probas partem affirmantem, quod opifices sint pro civibus habendi?

Ex loco comparatorum, pari, hoc modo: si pro cive habendus est is, cui concessum est habitare in civitate, et cujus opera civitati est necessaria: igitur etiam opifices sunt pro civibus habendi: siquidem ipsis conceditur jus habitandi in civitate, eorumque opera civitati ita est necessaria, ut illis carere civitas non possit.

Quid ad hoc argumentum respondet Aristoteles?

Primùm Aristoteles negat solùm jus habitationis posse aliquem efficere, aut reddere civem: nam etiam inquilini, item hospites, peregrini, et multi alii his similes habent ad aliquod tempus jus habitandi in aliqua civitate: non tamen propterea possunt cives nominari. Deindè negat omnes eos pro civibus esse habendos, quorum operâ civitas carere non potest. Etenim servorum, mercenariorum et eorum, qui civitatis sordes amovent, operâ civitas carere non potest: neque tamen pro civibus propterea sunt habendi.

Quæ est autem Aristotelis de proposita quæstione sententia?

Aristoteles hanc quæstionem ait considerandam et dijudicandam esse ex forma ejus Reipub. in qua quisque vivit: propterea quòd vocabulum Civis, est in numero relativorum quæ non seorsim, et per se, verùm respectu suorum correlativorum solent expli- Φανερον δε εντευθεν μικρον.

cari et definiti. Respicit autem civis ipsam civitatem et Rempub. την πολιν, και πολιτειαν: cujus respectu etiam ipsi civis est definiendus: sed quia sunt variæ Rerúmpub. formæ, ideò etiam vocabulum civis non semper eodem modo consideratur: undè quoque fit, ut interdum possit aliquis in aliqua Repub. et civitate esse, et nominari civis: qui tamen in alia civitate et Repub. non potest haberi pro cive. Exempli gratia: Opifices possúnt in Democratia esse cives, quoniam capaces sunt magistratuum et publicorum officiorum: in Oligarchià autem non possunt esse cives: quia non possunt propter paupertatem cooptari in magistratum. Nám in Oligarchia solùm divites et nobiles sunt capaces publicorum honorum. Consimiliter vir bonus licet pauper sit, potest tamen esse civis in Aristocratia: qui tamen in Oligarchia non potest in civium numero haberi: quoniam non habet tantas opes, ut possit æquipararì reliquis, qui in magistratum eliguntur. Εν Θηβαις δε νομος ην, τον δεκα ετων μη απεσχημενον της αγορας, μη μετεχειν αρχης. Thebis autem lex erat, ne cui ad magistratum aditus pateret, qui non decennio abstinuisset foro, id est, taberna vel mercatura.

CAPUT IV.

Quid in hoc capite agitur?

Επει δε, ταυτα διωρισται. QUONIAM hactenùs in tribus præcedentibus capitibus egit de civibus, qui sunt veluti materia, ex qua Civitas et civilis societas constat: ideo jam progreditur ad formam civitatis explicandam prius tamen etiam breviter repetit ea, quæ suprà in primo libro de causa efficiente et finali dixerat.

Quæ est causa efficiens civitatis?

Ὑποθετεον δε πρωτον τινος χαριν συνεστηκε. Causa efficiens seu origo civilis societatis ipsarumque civitatum est ἡ φυσις, ipsa Natura. Quatenus nimirum homo à natura ad civilem societatem colendam ita factus est: ut etiamsi omnia vitæ necessaria haberet, nullaque re indigeret: tamen

naturali instinctu societatem hanc expeteret: undè etiam dicitur esse τη φυσει ζωον πολιτικον.

Quæ est causa finalis civitatis?

De fine propter quem civitates initiò fuerunt constitutæ, suprà lib. 1. cap. 1. et 2. prolixè est explicatum. Hoc autem loco duos fines repetit: quorum unus est ipsa utilitas non solum publica et communis omnium: verùm etiam privata singulorum civium. Το κοινῃ πασι, και χωρις εκαϛοις συμφερον. Alter est mutata in hac vita hominum conversatio et consuetudo: siquidem solitaria vita per se est molesta: et feris belluis potiùs, quàm hominibus conveniens. Συνερχονται δε και του ζην ενεκεν αυτου· Conveniunt autem et ipsius vivere causa. Και δηλον ὡς καρτερουσι πολλην κακοπαθειαν οἱ πολλοι των ανθρωπων, γλιχομενοι του ζην, ὡς ενουσης τινος ευημεριας εν αυτῳ και γλυκυτητος φυσικης· Et perspicuum est, multos mortales mala perpeti vitæ cupiditate, tanquam in ea insit quædam felicitas et suavitas naturalis.

Quæ est causa formalis civitatis?

Forma civitatis dicitur ἡ πολιτεια, id est Respublica: quæ infrà lib. 4. cap. 11. dicitur esse βιος της πολεως, anima et vita civitatis.

Quomodo definitur ἡ πολιτεια ab Aristotele?

Εϛι δε πολιτεια πολεως ταξις.

Aristoteles suprà in primo capite tradidit hanc definitionem, πολιτεια εϛι ταξις των την πολιν οικουντων: Politia est ordo eorum, qui civitatem inhabitant. Hanc definitionem hoc loco magis explicat, inquiens: πολιτεια εϛι ταξις πολεως, των τε αλλων αρχων, και μαλιϛα της κυριας παντων, hoc est, Politia est ordo, seu descriptio (ut Cicero vertit) civitatis, et magistratuum, maximè verò ejus magistratus, qui omnium est præcipuus. Huic definitioni consentit etiam ea, quæ infrà in lib. 4. cap. 1. traditur: πολιτεια εϛι ταξις ταις πολεσιν ἡ περι τας αρχας τινα τροπον νενεμηνται, και τι το κυριον της πολιτειας, και τι το τελος εκαϛης της κοινωνιας εϛι· Politia est descriptio ordinis in civitatibus circa magistratus, quo pacto distributi sint, et quid sit id, quod in civitatis administratione summam potesta-

tem atque auctoritatem obtinet: quis denique cujusque Reipub. sit finis. Bodinus lib. 1. de Rep. cap. 1. definit: Respublica est familiarum rerumque inter ipsas communium summa potestate ac ratione moderata multitudo.

Quot modis accipitur vocabulum πολιτειας ab Aristotele?

Duobus modis, vel generatim et communiter, pro quavis forma civilis gubernationis: atque huic significationi competunt jam allatæ definitiones. Vel speciatim et peculiariter, pro certa quadam forma gubernationis: quæ ex aliis bonis formis est mixta, et temperata, de qua Aristoteles agit infrà in lib. 4. cap. 8.

Ex qua re præcipuè æstimanda est forma civitatis?

Εκ τυ πολιτευματος, id est, ex eo magistratu penes quem est summa potestas, et administratio in civitate.

Estne una solùm, an verò sunt plures Rerumpub. formæ?

Αλλα μην και της αρχης. Quoniam forma Reipub. æstimatur, ut modò dictum est, εκ τυ πολιτευματος, id est, ex forma gubernationis: ea autem non apud omnes est eadem: ideò etiam non est eadem forma Reipub.

Quonam pacto?

Nam gubernatio vel est penes unum, et dicitur μοναρχια: quæ si est bona dicitur βασιλεια: Regnum: si vitiosa, dicitur τυραννις, vel est penes paucos, qui, si propter virtutem sunt electi, dicitur eorum gubernatio αριστοκρατια: si verò solùm propter nobilitatem, divitias, aut potentiam ad imperium pervenerunt, appellatur ολιγαρχια, vel denique est penes universam multitudinem, et nominatur δημοκρατια.

Quomodo confirmatur ab Aristotele hæc distinctio?

A similitudine formarum domesticæ gubernationis. Quia enim domus est initium, et primum quasi fundamentum civitatis: ideò etiam ad domesticæ societatis imaginem civitas, quæ est magna quædam domus, est constituenda. Unde Aristoteles

in 8. lib. Ethic. cap. 11. ostendit omnium formarum et specierum Reipub. imaginem quandam reperiri in societate domestica.

Quot sunt species imperii domestici?

Duæ, una est, in qua spectatur solùm privata utilitas ejus, qui imperat: quemadmodum fit in imperio herili, in quo omnia ad unius domini utilitatem referuntur. Altera est, in qua spectatur communis utilitas, tam ejus qui imperat, quàm eorum qui parent: horum quidem per se: illius verò per accidens, ut fit in imperio paterno et conjugali. Ωσπερ και ὁ παιδοτριβης η κυβερνητης, σκοπει το των αρχομενων αγαθον· ὁταν δε τυχῃ εἰς γινηται και αυτος κατα συμβεβηκος μετεχει της σωτηριας· Sicut et magister aut gubernator parentium spectat bonum: horum autem cum et ipse unus fuerit, incolumitatis ex eventu fit particeps.

Estne eadem quoque differentia in imperio politico?

Maxime. Nam qui magistratum gerunt in politico imperio, horum aliqui suum solùm privatum commodum, neglecto communi et publico bono, quærunt: ut fit in Tyrannide, et Oligarchia: quæ formæ propterea etiam dicuntur esse vitiosæ, et malæ: ab Aristotele nominantur ἡμαρτημεναι και παρεκβασεις, quasi digressiones seu aberrationes à bona forma gubernationis. Aliqui verò publicum et commune bonum civitatis, eorumque quibus imperant, quærunt: quemadmodum fit in regia gubernatione, item in Aristocratia, et bona Democratia: quæ formæ nominantur ab Aristot. ορθαι, rectæ et bonæ. Διο και τας πολιτικας ἀρχας.

CAPUT V.

Quot sunt igitur in universum formæ Rerumpublicarum?

Sex: quarum tres sunt bonæ. Βασιλεια, Regnum: Αριστοκρατια, optimatum potestas: Πολιτεια, communi vocabulo specialiter accepto. Συμβαινει δε ευλογως, ἑνα μεν γαρ διαφερειν κατ' αρετην, η ολιγους, ενδεχεται· Εστι δε πολιτεια μεν και πολιτευμα.

πλειους δ' ηδη χαλεπον ηκριβωσθαι προς πασαν αρετην· Bona autem ratione id accidit, fit enim ut unus quidem vel pauci virtute præstent, plures vero difficilem jam omni virtute esse expolitos. Tres sunt vitiosæ, quæ jam dictis opponuntur: Τυραννις, tyrannicum imperium: Ολιγαρχια, paucorum dominatus: Δημοκρατια, populi potestas.

Define singulas has species?

Καλειν δ' ειωθαμεν, των μεν. Βασιλεια, est imperium legitimum unius, ad communem utilitatem spectans: βασιλεια εστι μοναρχια προς το συμφερον αποβλεπουσα.

Αριστοκρατια est imperium plurium, quàm unius, ad communem utilitatem spectans: αριστοκρατια εστιν αρχη πλειονων ἑνος, προς το κοινον συμφερον αποβλεπουσα.

Πολιτεια est imperium legitimum populi, ad communem utilitatem spectans: πολιτεια εστιν αρχη, εν ῃ το πληθος πολιτευεται προς το κοινον συμφερον.

Τυραννις est imperium unius, qui omnia ad privatum suum commodum refert: Τυραννις εστιν μοναρχια προς το συμφερον του μοναρχουντος αποβλεπουσα.

Ολιγαρχια est imperium paucorum divitum qui omnia ad suam utilitatem referunt: ολιγαρχια εστιν αρχη προς το συμφερον ολιγων τουτ' εστι των ευπορων αποβλεπουσα· Vel ὁταν ωσι κυριοι της πολιτειας οἱ τας ουσιας εχοντες· Hæc à Xenophonte etiam πλουτοκρατια nominatur.

Δημοκρατια est imperium multorum, omnia ad utilitatem pauperum referens: δημοκρατια εστιν αρχη προς το συμφερον των απορων αποβλεπουσα· Vel ὁταν ωσι κυριοι της πολιτειας οἱ μη κεκτημενοι πληθος ουσιας, αλλ' αποροι.

Quare politico etiam de his formis est explicandum?

Propter duas causas, Primùm δια την γνωσιν, ut istarum formarum naturam et proprietates possit melius cognoscere: easque à se mutuò distinguere. Τῳ γαρ περι ἑκαστην μεθοδον φιλοσοφουντι, και μη μονον αποβλεποντι προς το πραττειν, οικειον εστι το μη παροραν, μηδε τι καταλειπειν, αλλα δηλουν την περι ἑκαστον αληθειαν. Nam in quaque scientia philosophantis et non tantum ad

agendum spectantis proprium est non permittere, nihilque relinquere: sed quaque de re, quod verum sit, explicare. Deindè δια την πραξιν, η χρησιν: ut possit melius scire quomodo singulæ hæ formæ in civitatibus et Rebuspublicis instituendæ et administrandæ.

Estnè multitudo vel paucitas imperantium vera et propria nota Democratiæ et Oligarchiæ?

Minime: sed Oligarchiæ propria nota est imperantium nobilitas, aut divitiæ. Democratiæ verò, nota est æqualitas libertatis utrorumque tàm imperantium, quàm subditorum. Numerus verò eorum, hoc est, paucitas vel multitudo est tantùm nota per accidens. Δια το τους μεν ευπορους ολιγους, πολλους δ' ειναι τους απορους παντοχου· Siquidem ubiquè ferè accidit, ut sint plures pauperes, quàm divites, pauciores nobiles, quàm plebeii. Ευπορουσι μεν γαρ ολιγοι· Divites sunt pauci. Εοικε τοινυν ὁ λογος ποιειν δηλον, οτι.

Recita aliquot testimonia de formis Rerumpub. hactenus enumeratis?

Xenophon in libro 4. de dictis et factis Socratis, ὁ Σωκρατης ἡγειτο την μεν εκοντων των ανθρωπων και κατα νομους των πολεων αρχην βασιλειαν ειναι· την δ' ακοντων τε, και μη κατα νομους· αλλ' ὁπως ἀν αρχων βουλοιτο, τυραννιδα· και ὁπου μεν εκ των τα νομιμα επιτελουντων αἱ αρχαι καθισανται, ταυτην την πολιτειαν, αριστοκρατιαν ενομιζεν ειναι. Ὁπου δ' εκτιμηματων πλουτοκρατιαν· ὁπου δ' εκ παντων δημοκρατιαν.

Plato in Dialogo Politico septem formas enumerat, βασιλειαν, τυραννιδα, αριστοκρατιαν, ολιγαρχιαν, δημοκρατιαν ορθην, και δημοκρατιαν μοχθηραν· Septimo loco adjicit πολιτειαν ex omnibus bonis formis optimè mixtam et temperatam.

Aristoteles in 8. lib. Ethic. cap. 10. πολιτειας δ' εστι ειδη τρια· βασιλεια τε και αριστοκρατια, τριτη δ' ἡ απο των τιμηματων ἡν τιμοκρατικην λεγειν οικειον φαινεται· εισι δε και τρεις παρεκβασεις, οἱον φθοραι τουτων, ἡ τυραννις, ολιγαρχια και δημοκρατια.

Cicero in lib. 3. de Repub. Tunc est, inquit, Res-

publica, cùm bene ac juste geritur: sive ab uno rege, sive à paucis optimatibus, sive ab universo populo. Cùm verò injustus est rex, quem Tyrannum more Græco appellamus: aut injusti optimates: aut injustus ipse populus: nulla est Respublica.

CAPUT VI.

Rectène Oligarchici sibi arrogant jus imperandi, propterea quod divitiis, nobilitate, aut potentia cæteris sunt superiores: Democratici verò, quia libertate sunt cæteris æquales?

Λεκτεον δε πρωτον τινας ὁρους λεγουσι.

UTRIQUE quidem videntur κατα τι, id est, aliqua ex parte jure sibi vendicare imperium: sed tamen non nituntur eo jure, quod est ἁπλως, simpliciter et absolutè justum: atque adeò falsa consequentia seipsos decipiunt. Non enim vera est hæc consequentia: Oligarchici sunt nobilitate, divitiis, et potentia cæteris superiores: igitur sunt simpliciter et absolutè superiores, et jure sibi vendicant in illos imperium. Neque etiam sequitur: Democratici sunt libertate iis, qui imperant, pares: igitur simpliciter, et per omnia sunt illis æquales. Potest enim fieri, ut qui in Oligarchia divitiis et nobilitate sunt superiores, tamen virtute cæteris sint inferiores: et qui in Democratia libertate sunt æquales, tamen virtute et aliis rebus sint inæquales et superiores: 2. causa hujus erroris est, quia de se ipsis judicant; Σχεδον δ' οἱ πλειστοι φαυλοι κριται περι των οικειων, plerique ferè mali sunt judices de suis rebus; item, κρινουσι τα περι αὑτους κακως· Perperam ea, quæ ad se, judicant.

Qua igitur re potissimum jus imperandi est æstimandum et definiendum?

Virtute: quia tanta est ejus præstantia et dignitas, ut merito ipsa sit verus ὁρος, terminus, quo verum et legitimum imperium circumscribitur et continetur: undè etiam virtuti, et iis qui virtute præditi sunt, jure imperium in civitate et Republica debetur.

Quare autem virtus est ὁρος, terminus, justi imperii in civitate?

Propter duas causas. Primùm, quia virtus est vera mensura et regula, secundum quam omnium rerum, maximè verò actionum humanarum bonitas et perfectio æstimanda est: quemadmodum affirmat Aristoteles in lib. 3. Ethic. cap. 4, et 9. eor. cap. 4. et lib. 10. cap. 5. Deindè quia virtus plurimùm confert ad principalem finem civitatis, hoc est, ad beatitudinem, quæ maximè consistit in actionibus virtutis: quemadmodum ex Ethicis constat. Περι δ' αρετης και κακιας πολιτικης διασκοπυσιν, όσοι φροντιζυσιν ευνομιας· Qui de bona civitatis descriptione laborant, de virtute quoque et vitio civili cogitant.

Quid hinc colligis?

Ex his patet, quod ii, qui in Aristocratia imperant, nituntur τῳ ἁπλως δικαιῳ, absoluto jure: ii autem qui in Oligarchia imperant nituntur solùm τῳ κατα τι δικαιῳ, jure secundum quid.

An non civitates etiam initiò constitutæ fuerunt propter rerum necessarium acquisitionem, vitæ societatem, mutuum auxilium, et rerum commercia exercenda?

Maxime, quoniam ista omnia requiruntur προς την της πόλεως αυταρκειαν, de qua in definitione ejus dictum est, hoc est, ut civitas habeat sufficientem copiam omnium eorum, quæ ad vitam commodè degendam sunt necessaria. Ἡ γαρ τυ συζην προαιρεσις, φιλια· Nam consilium de convictu, est amicitia. Sed tamen ista non sunt principalis finis civilis societatis: verùm το ευ ζην, seu ἡ ευδαιμονια, id est, beatitudo, quæ in actionibus virtutum posita est, ut nimirum homines in ista societate rectè, et ex virtute simul bene beateque vivant. Τελος μεν υν πολεως, το ευ ζην, ταυτα δε τυ τελυς χαριν· Itaque finis quidem civitatis est benè vivere, hoc verò finis gratia.

Quomodo probat Aristoteles ista, quæ modo enumerasti, non esse primarium finem civitatis?

Ex absurdis consequentibus. Nam, si divitiæ sunt Φανερον

τοινυν ὁτι ἡ πολις ουκ εστι κοινωνια.

principalis finis civitatis, igitur Oligarchia est optima Reipublicæ forma: quoniam in ea, in eligendis, magistratibus honores illi conferuntur præcipuè iis, qui maximum habent censum, et reliquis sunt ditiores. *Deindè* si propter solam vitæ communionem civitates constitutæ: tunc etiam servi qui simul vivunt, et labores suos peragunt: imò etiam quædam bestiæ quæ simul gregatim pascuntur, viderentur constituere civitatem. *Tertiò*, si civitates solùm constitutæ essent, propter mutua fœdera et auxilia: aut propter commercia invicem exercenda: tunc etiam ii populi, qui in remotissimis locis habitant, et tamen confœderati sunt, et inter se commercia exercent, possent unam civitatem constituere. Sed quia ista omnia falsa, et absurda sunt, ideò etiam falsum est dicere, civitates propter istos fines præcipuè constitutas esse.

CAPUT VII.

Cui permittendum est το κυριον της πολεως, id est, summum imperium in civitate?

Ηδη πρωτη λεχθεισα απορια.

AD hanc quæstionem quæ cap. 9. iteratur Aristoteles respondet circa finem hujus capitis cum distinctione, idque κατ' αφαιρεσιν, και θεσιν Summum imperium in civitate simpliciter neque solis legibus, neque solis hominibus: sed utrisque simul concedendum est: primariò quidem legibus, si sunt bonæ: secundariò verò hominibus, virtute et prudentiâ excellentibus: in iis nimirum rebus et casibus, de quibus in legibus nihil certi est definitum et statutum.

Quare non solis legibus summa potestas in civitate est tribuenda?

Propter duas causas. *Prima est,* Quia interdum leges quædam sunt malæ, et iniquæ: nempè in vitiosis Rerumpub. formis, ut in Tyrannide, et Oligarchia, ad quas ipsæ sunt accommodatæ: quibus qui obtemperat, potest quidem civis bonus, non autem vir bonus nominari. *Altera causa est,* Quia

nonnunquam leges aliquæ, quod ad τα ῥητον, hoc est, verba ipsa attinet, videntur esse vel obscuræ et ambiguæ: vel nimis duræ et rigidæ: ideoque requirunt aliquam επιεικειαν, æquitatem, seu benignam virorum prudentium et bonorum interpretationem et moderationem. *Tertia causa est*, quia exquisitè leges nequeunt omnia complecti, eo quod non facilè sit factu, ut universè dicatur de omnibus. Περι παντων εξαδυνατουσιν οἱ νομοι λεγειν ακριβως, δια το μη ῥᾳδιον ειναι καθολου δηλωσαι περι παντων. Utitur et hac ratione Arist. 5. Ethic. 10.

Quare non solis hominibus summa potestas in civitate est concedenda?

Quia omnes homines obnoxii sunt affectibus, quibus plerique ita rapiuntur et trahuntur, ut quod verum et rectum est, aut intelligere, aut si intelligunt, sequi non possint: et propterea in judicando, et dicenda sententia sæpissimè falluntur, et à vero et justo aberrant.

Quæ autem hoc loco circà homines notanda est distinctio?

Si hominibus permittendum est in civitate summum imperium, tum illud permittendum est vel uni, vel paucis, vel omnibus simul. Quando uni homini conceditur, tunc ille vel est bonus et virtute excellens, et nominatur Rex, ejusque imperium est bonum et vocatur regnum: vel est malus et improbus, et dicitur Tyrannus, ejusque imperium est malum et injustum, et appellatur Tyrannicum. Quod si paucis aliquibus excellentibus in civitate permittitur dominium, tunc illi vel excellunt virtute, et eorum imperium appellatur Aristocraticum: vel excellunt nobilitate, divitiis, aut potentia, et eorum imperium vocatur Oligarchicum. Si omnibus, tunc illi vel æquales sunt libertate, et eorum imperium dicitur Democraticum: vel virtute et libertate simul, et eorum imperium nominatur Politicum, specialiter sic dictum.

Quibus igitur existimas inter hos summum imperium in civitate permittendum esse?

Tria sunt hìc notanda. *Primùm* quantum ad bonos et virtutibus excellentes attinet, extra controversiam est, talibus imperium esse tribuendum, hi enim soli possunt benè et utiliter aliis imperare. Τους επιεικεις αρχειν δει, και κυριους ειναι παντων· Viros bonos imperare oportet, et omnium rerum esse Dominos. *Deindè*, Quòd etiam malis et improbis hominibus non sit nimia potestas in civitate concedenda, consimiliter manifestum est: non solùm quia potestate sua abuterentur in perniciem subditorum: verùm etiam quia propter hanc potestatem, quæ illis Reipub. nomine fuit concessa, omnia eorum etiam iniqua decreta, et malæ actiones, viderentur posse habere aliquem prætextum juris, quasi essent justè et rectè ab illis facta: quoniam ea quæ decernuntur ab iis, penes quod est summum in aliqua civitate et Repub. imperium, communiter putantur esse justa: etiamsi sæpè ab illis decernantur ea, quæ sunt iniqua: ut fit in Tyrannide, in Oligarchia, et in mala Democratia. *Tertiò*, etiam de uno rege, et paucis optimatibus dubitari potest, utrum semper utile sit, talibus summum imperium concedere: propterea quòd hoc modo cæteri omnes videntur ab istis honoribus planè esse exclusi: quæ res, quia non caret ignominia, facilè poterunt indè existere offensiones, invidiæ, æmulationes tandem etiam turbæ et seditiones, adversus eos, quibus solis ad ejusmodi honores patet aditus. Quæ sanè res periculosa est civitatibus et Rebuspub. Αλλα μην ουχ ἡ γ' αρετη φθειρει το εχον αυτην, ουδε το δικαιον πολεως φθαρτικον· At n. virtus non corrumpit ea præditum, neque jus civitatem corrumpit.

Quare paucis optimatibus concedendum est imperium?

Quia in talibus videntur omnia illa virtutum ornamenta et dona, quæ ad rectè imperandum re-

quiruntur, quodammodo esse comportata, quæ in cæteris hominibus tantùm particulatim et seorsim conspiciuntur. Differunt enim viri boni à singulis ex multitudine, Ὥσπερ τῶν μὴ καλῶν τοὺς καλούς φασι διαφέρειν, καὶ τὰ γεγραμμένα διὰ τέχνης τῶν ἀληθινῶν, τῷ συνῆχθαι τὰ διεσπαρμένα χωρὶς εἰς ἕν· ἐπεὶ κεχωρισμένων γε κάλλιον ἔχειν τοῦ γεγραμμένου τουδὶ μὲν τὸν ὀφθαλμόν, ἑτέρου δέ τινος ἕτερον μόριον. Quemadmodum pulchros à non pulchris differre aiunt, et arte depicta à veris, quia dispersa separatim in unum sint conducta. Siquidem cum sunt separata, pulchrior est hujus quidem oculus, alius verò aliud quoddam membrum.

Semper ne pauci optimates præferendi sunt in imperio multitudini seu populo?

Non semper. Sed notanda est hoc loco hæc distinctio. Duo sunt genera multitudinis seu populi: unum est eorum, qui prorsus sunt agrestes, rudes, et imperiti, ac propterea ad imperandum planè inepti. Alterum est liberorum hominum, qui etiam aliqua prudentia sunt præditi, et amantes sunt honestatis: ex hoc genere etiam possunt deligi aliqui, quibus imperium est concedendum: atque hac ratione tales multi præferendi sunt paucis optimatibus: nam multorum virtutes simul consideratæ, possunt superare paucorum optimatum virtutes. Declaratur hæc responsio duabus similitudinibus. Prima. Quemadmodum convivia, quæ multorum sumptibus apparantur, lautiora et splendidiora esse possunt, quàm ea, quæ paucorum sumptibus instruuntur: οἷον τὰ συμφορητὰ δεῖπνα, τῶν ἐκ μιᾶς δαπάνης χορηγηθέντων βέλτιον. Ita etiam multorum consilia simul collecta, possunt meliora et utiliora esse, quàm paucorum: πολλῶν γὰρ ὄντων ἐνδέχεται ἕκαστον μόριον ἔχειν ἀρετῆς καὶ φρονήσεως, καὶ γίνεσθαι συνελθόντας, ὥσπερ ἕνα ἄνθρωπον τὸ πλῆθος. Nam cum sint multi, fit ut quisque habeat partem virtutis et prudentiæ, et conjuncti sint velut unus homo: juxtà proverbium, *Oculi plus vident, quàm oculus.* Altera similitudo. Quemadmodum plures Poëtæ, Musici,

Ὅτι δὲ δεῖ κύριον εἶναι μᾶλλον τὸ πλῆθος.

Pictores, et similes artifices melius possunt judicare de aliquo poëmate, cantu, pictura, aut simili aliquo opere quàm unus: ita plures melius possunt de aliquo negotio Reipub. consultare, quàm solùm unus, aut pauci.

Quoniam dixisti etiam populo posse interdum in civitate aliquam potestatem concedi: quæro ex te, Quarum rerum potestas populo sit concedenda?

Διο και την προτερον ειρημενην απορίαν.

Pro hujus quæstionis explicatione, notandum est, duplices esse magistratus: Alii enim sunt summi et majores: alii verò inferiores, et minores. Quia verò ad summos magistratus rectè administrandos requiritur magna potentia, singularis justitia, et multarum rerum experientia: populus autem plerunque est imprudens, imperitus, et injustus, quemadmodum dici solet, homine imperito nihil esse injustius: ideò summi magistratus populo non possunt facilè et tutò committi. Ne autem populus existimet, se planè à publicis honoribus et officiis excludi, idque ægrè ferat: ideò possunt ei inferiores et minores magistratus concedi. Atque hoc confirmat Aristoteles auctoritate et facto Solonis, qui populo quidem concessit, ut interesset electioni magistratuum, et audiendis rationibus eorum, quæ in magistratu gesta sunt: ut verò solus per se imperaret, non permisit: et Aristoteles hoc loco ait, populo concedi posse, ut intersit publicis consultationibus et judiciis: existimans hac ratione prudentiorum consilia quodammodo posse temperari, et ad bonam mediocritatem revocari, si commisceantur cum imperiti populi consiliis: quemadmodum crassior cibus, commixtus, cum subtiliore et puriore cibo, melius et salubrius præbet nutrimentum, quàm si uterque seorsim assumatur. *Μιγνυμενοι τοις βελτιοσι, τας πολεις ωφελουσι, καθαπερ ἡ μη καθαρα τροφη μετα της καθαρας την πασαν ποιει χρησιμωτεραν της ολιγης· χωρις δ' ἑκαστος ατελης περι το κρινειν εστιν.* Separatim verò singuli ad judicandum sunt imperfecti.

I. Objectio. *Atqui magistratum eligere, rationes gesti magistratus examinare, de rebus gravibus consultare, et de magnis controversiis rectè judicare, sunt res magni momenti: ad quas rectè peragendas, requiritur non vulgaris prudentia, longa experientia, et singulare judicium: quæ non videntur esse in imperita multitudine?*

Responsio. Vera quidem hæc sunt: το γαρ ἑλεσθαι ορθως των ειδοτων εργον εστιν· Rectè enim optare munus scientium est: και ὡσπερ ιατρον δει διδοναι τας ευθυνας εν ιατροις, ὑτω και τυς αλλυς εν τοις ὁμοιοις· Et quemadmodum medicum rationem redderem medicis oportet: ita et in aliis alios: sed tamen non propterea populum omninò à talibus negotiis administrandis excludunt. Namsi singuli ex populo seorsim intelligantur, tùm nihil horum possunt præstare: si verò conjunctim omnes simul intelligantur, tùm poterunt ea melius præstare, quàm pauci, licet videantur esse optimi. Εχει δε ἡ ταξις αὑτη της πολιτειας, αποριαν.

II. Objectio. *De rebus ignotis nemo potest recte judicare: populus autem ignorat, quo pacto magistratus sit administrandus. Ergò de rationibus rerum in magistratu gestarum non potest rectè judicare?*

Responsio. Non semper necesse eum, qui de aliorum operibus velit judicare, étiam tenere eam artem, per quam possit similia opera efficere. Neque enim soli artifices possunt de operibus suarum artium judicare, utrum rectè facta sint, necne: sed etiam ii, qui operibus eorum utuntur, etiamsi ea facere non possint. Ου μονον εστι γνωναι των ποιησαντων, αλλα και βελτιον ὁ χρωμενος κρινει. Exempli gratia, De domo, utrum ad usum commodè sit extructa, meliùs potest judicare is qui eam inhabitat, quàm ipse architectus: de Cithara utrum rectè sit fabricata, meliùs judicare potest Citharœdus, qui ea utitur, quàm is qui eam fecit: de epulis utrum benè sint præparatæ, meliùs judicare possunt convivæ, quæ illis vescuntur, quàm coquus: unde Mart. in Apophor. Epigr. 220. scribit: Coquum debere habere domini sui gulam. Επειτα και περι την αἱρεσιν.

CAPUT VIII.

Dixisti suprà, eos quibus magistratus et honores in civitate conferendi sunt, debere aliquo bono cæteris antecellere: intelligitne Aristoteles quorumlibet bonorum excellentiam ὑπεροχην?

Ει γαρ οἱ μεν βραδεις, οἱ δε ταχεις.

MINIME. Alioquin enim etiam propter excellentiam bonorum corporis, ut formæ, roboris, sanitatis, velocitatis pedum, et similium rerum, honores magistratus essent aliquibus conferendi: quod est absurdum.

Quæ sunt igitur illa bona, quæ in hujusmodi honoribus conferendis sunt spectanda?

Quinque potissimum ab Aristotele in hoc capite enumerantur, quæ propterea etiam ab eo nominantur αγαθα πολιτικα, bona civilia: quia ad civilem societatem et gubernationem magnum præstant adjumentum. Nempè ἡ αρετη, virtus: ἡ ευγενεια, nobilitas: ὁ πλουτος, divitiæ: ἡ ελευθερια, libertas: et ἡ δυναμις του πληθους, populi potentia.

Quare propter ista bona honores sunt conferendi?

Quia sine his civitas vel planè non consistere, vel saltem non benè constitui potest.

Suntne singula ista bona eodem modo spectanda in eligendis magistratibus, et conferendis honoribus?

Minime. Nam eorum magna est varietas et differentia. Quædam enim ex his sunt necessaria: quædam verò non sunt necessaria, sed honoraria. Et necessaria rursum sunt duplicia: quædam sunt simpliciter necessaria ad omnem civitatem constituendam, sive benè, sive malè sit constituta: ut sunt Divitiæ et Libertas: δει γαρ ελευθερους τ' ειναι και τιμημα φεροντας· ου γαρ αν ειη πολις εξ απορων παντων, ὡσπερ ουδ' εκ δουλων· Oportet namque et liberos esse et tributum conferentes. Nam ex solis pauperibus aut servis nulla potest constare civitas. Quædam necessaria sunt secundùm quid, nempè ad bonam beatamque constituendam civitatem: ut est virtus, cujus duas Aristoteles præcipuè species enumerat, quæ in civili

societate maxime sunt necessariæ: Justitiam nimirum domi in pace: Fortitudinem foris in bello. Ουδε γαρ ανευ δικαιοσυνης και αρετης πολεμικης οικεισθαι πολιν δυνατον· Neque enim absque justitia et virtute bellica civitas consistere potest. Honoraria bona sunt, quæ pertinent vel ad ornamentum et splendorem civitatis, ut est Nobilitas. Ἡ παρ' εκαστοις οικοι τιμιος, quæ apud singulos domi est honorata. Vel ad ejus defensionem et conservationem, ut est externa potentia.

Quod est autem præcipuum bonum ex his quinque, quod in honoribus et magistratibus conferendis maxime est spectandum?

Virtus: quia ea plurimùm confert ad commune bonum et principalem finem civitatis, qui est ἡ ευδαιμονια, id est, civilis felicitas: quæ potissimùm consistit in actione virtutis: per eam enim civitas optimè potest administrari.

Quomodo Aristoteles declarat?

Exemplo simili aliarum artium. Quemadmodum in aliis artibus et scientiis honores, laudes et præmia artificibus tantùm tribuuntur propter illud bonum, per quod in sua arte excellunt, ac possunt opes suæ artis optimè efficere: ita in Republica magistratus et honores iis tantùm conferendi sunt, qui excellunt eo bono, per quod Respub. optimè potest administrari: non autem propter alia bona, quæ ad Reipub. rectam administrationem parum, aut nihil conferunt.

An non videntur etiam reliqui cives istos honores jure in civitate petere, videlicet Divites, propter amplas possessiones, quas in urbe, et extra urbem habent: Nobiles verò propter antiquitatem et splendorem familiæ, quæ civitati sunt ornamento: Plebeii denique propter potentiam: quia numero sunt cæteris superiores?

Rectè dicis; quod isti quoque jus aliquod prætendunt; propter quod existimant sibi deberi imperium in Republica. Verùm hoc ipsorum jus, non est, απλως δικαιον, id est, simpliciter jus; sed solùm κατα

Ειρηται μεν ουν και προτερον.

τι, aliqua ex parte: proindè non sequitur, divites vel nobiles excellunt uno aliquo bono, ut divitiis, seu nobilitate: igitur simpliciter in omnibus sunt cæteris præferendi. Prætereà ista bona quibus excellunt, per se non multum conferunt ad principalem finem civitatis: nisi tantùm per accidens et secundum quid.

Sed quid faciendum est, si in aliqua civitate simul reperiuntur et divites, et nobiles et plebeii: qui de istis honoribus contendunt?

Hic considerandum est, qualis forma sit Reipub. Nam in Oligarchia honores isti conferendi sunt di-

Αρ' ουν ει παντες εισιν εν μια πολει.

vitibus et nobilibus: in Democratia verò, plebeiis: ουδεν γαρ κωλυει ποτε το πληθος ειναι βελτιον των ολιγων και πλουσιωτερον, ουχ ὡς καθ' ἑκαστον, αλλα ὡς αθροους· h. e. Nihil enim vetat multitudinem quandoque meliorem esse ac ditiorem quàm pauci, non secundum singulos, sed secundum universos: in Aristocratia iis, qui virtute excellunt.

Quid igitur in universum in magistratibus et honoribus conferendis est faciendum?

In conferendis magistratibus et publicis officiis semper spectandum est totius civitatis, omniumque civium commodum: το της ὁλης πολεως συμφερον, και το κοινον το των πολιτων· quod præceptum etiam bono legislatori imprimis observandum esse Cicero in libro primo Officiorum ex lib. 7. Plat. de Repub. his verbis refert: Qui Reipub. præfuturi sunt, hoc Platonis præceptum teneant: ut totum corpus Reipub. curent: qui autem parti civium consulunt, partem negligunt, rem perniciosissimam in civitatem inducunt, seditionem et discordiam.

CAPUT IX.

Estne pro cive habendus, et pari modo quo reliqui cives legibus subjiciendus is, qui virtute, nobilitate, divitiis, et aliis bonis, cæteris civibus adeò excellit, ut propter istam excellentiam non videatur cum illis esse comparandus?

Ει δε τι εστιν εἱς

SI quis fortè talis in civitate reperiatur, quem descripsisti: is revera neque pro cive est haben-

dus, neque iisdem legibus, quibus cæteri, subjiciendus. τοσουτον διαφερων.

Quibus argumentis Aristoteles hoc confirmat?

Quinque. Quorum primum est tale: quicunque est verus civis in aliqua civitate, is etiam dicitur esse pars ejus civitatis. Sed talis qui hoc modo virtute suâ cæteris omnibus civibus antecellit, non potest revera pars dici civitatis. Ergò talis non potest revera pro cive haberi: et per consequens etiam iisdem legibus non est subjiciendus. Minor probatur à natura partium alicujus totius, qua debent sibi mutuò analogicè, hoc est secundum proportionem ita correspondere, ne videantur diversorum corporum esse partes. Exempli gratia, si in corpore humano unus pes multò longior sit altero pede, non videbitur ad illud corpus pertinere: ita si caput aut aliud aliquod membrum, proportione non respondeat cæteris membris corporis. Quod perspicuum est etiam in artibus et scientiis. Ουτε γαρ γραφευς εασειεν αν τον ὑπερβαλλοντα ποδα της συμμετριας εχειν το ζωον, ουδ' ει διαφεροι το καλλος· ουτε ναυπηγος πρυμναν η των αλλων τι μοριων· των της νεως· ουδε δη χοροδιδασκαλος τον μειζον και καλλιον του παντος χορου φθεγγομενον εασει συγχορευειν· Neque enim pictor animantem sinat pedem, quamvis pulchrum, habere justa ratione majorem: neque navium faber puppim, vel quamvis aliam navis partem neque præcentor eum, qui altius et clarius, quam totus chorus canat, una canere sinet.

Quod est alterum argumentum?

Qui admodum sunt inæquales, non debent neque possunt æquali loco et jure haberi. Sed qui virtute adeò cæteris civibus antecellit, is est illis inæqualis. Ergò non potest æquali loco et jure cum illis haberi, et legibus subjici. Nam facta comparatione, videtur quasi Deus quidem inter illos esse· Ὡσπερ γαρ θεον εν ανθρωποις εικος ειναι τον τοιουτον.

Quod est tertium argumentum?

Leges feruntur tantùm iis, qui seipsos in officio continere vel non possunt, vel nolunt: ut nimirum

à vitiis coerceantur, 10. Ethic. 9. Sed qui virtutibus adeò excellit, ut omnes reliquos superet: is ultrò officium facit, et quodammodo sibiipsi lex est: imò etiam alios suo exemplo ad virtutem potest excitare. Αυτος εςι νομος· και γελοιος αν ειη νομοθετειν τις πειρωμενος κατ' αυτω· Ipse namque est lex: Et ridiculus sit, qui in hunc leges conatur scribere. Ergo talis non est iisdem legibus cum cæteris civibus subjiciendus.

Quod est quartum argumentum?

Quartum argumentum sumitur ab exemplo fabuloso Antisthenis, continens absurdum consequens: Quemadmodum olim in comitiis animalium, lepores diversi fuerunt, cum postularent, ut leones æquali jure, et iisdem legibus cum ipsis viverent: propterea quòd virtute et viribus leones plurimùm ipsis antecellere viderent. Ita quoque absurdum, et ridiculum esset, in civitate eos, qui plurimùm cæteris civibus antecellunt, velle cogere, ut iisdem legibus cæteris civibus sint subjecti.

Quod est quintum argumentum?

Διο και τιθεντας τον οςρακισμον.

Quintum argumentum sumitur à consuetudine, et facto quarundam civitatum Græciæ, quæ à populo gubernabantur. Hæc enim, ut æqualitatem inter suos cives conservarent, solebant eum, qui propter virtutis, nobilitatis, divitiarum, aut similium rerum excellentiam, vellet cæteris antecellere, et non amplius pari cum illis jure et loco haberi, talem inquam, solebant ad certos annos à civitate relegare, et quasi in exilium ad aliquod tempus mittere, ad reprimendam et imminuendam ejus auctoritatem et potentiam: ne fortè propter excellentiam suam altiores spiritus sumere, et dominatum atque imperium in civitate, cæteris civibus oppressis, affectare auderet. Hanc relegationem peculiari vocabulo οςρακισμον nominabant: απο των οςρακων, id est, à testis sive calculis, quibus nomina eorum, qui relegabantur, erant inscripta. Apud Syracusanos dicebatur πεταλισμος, απο των πεταλων, à foliis arborum: per quæ suffragia colligebantur.

Quomodo declaratur ab Aristotele hoc argumentum?

Hujus relegationis Aristoteles quatuor commemorat exempla. Primum est fabulosum de Hercule, qui è societate Argonautarum fuit exclusus, tantùm propter hanc causam, quòd existimarent eum excellentiorem esse, quàm ut possit cum illis pari loco et jure haberi in perferendis navigationis laboribus et molestiis.

Μυθολογειται δε και τας Αργοναυτας.

Alterum sumitur à Periandri Corinthiorum Tyranni consilio, quod dedit Thrasybulo Milesio affectanti Tyrannidem: suadens ut præcipuos cives è medio tolleret, si velit regnum occupare. Φασι δε Περιανδρον ειπειν μεν ουδεν, αφαιρουντα δε τας υπερεχοντας των σταχυων, ὁμαλυναι την αρουραν· Ferunt autem Periandrum nihil quidem dixisse, sed spicis eminentioribus vel exstantibus sublatis segetem æquasse. Reiterat hoc consilium Arist. infra lib. 5. cap. 10.

Tertium est de Atheniensibus, qui Chios, Samios, et Lesbios socios suos et confœderatos subegerunt, eorumque vires fregerunt: ne cogerentur sibi deinceps ab illis metuere.

Quartum exemplum est de rege Persarum: qui cum videret Medos et Babylonios recordatione veteris imperii, quod aliquando habuissent, rursum magnos spiritus assumere, et elatiore animo fieri: eorum vires ita fregit, nequid deinceps auderent adversus ipsum moliri.

Nota. Hujus relegationis etiam Cicero meminit in lib. 5. Tuscul. his verbis: Heraclytus Physicus de Principe Ephesiorum Hermodoro scribit, universos Ephesios esse morte mulctandos, quòd cum civitate expellerent Hermodorum, ita locuti sunt: Nemo de nobis unus excellat: sed si quis extiterit; alio loco et apud alios sit. Quid Aristides? nonne ob eam causam expulsus est patriâ, quòd præter modum justus esset?

Estne hæc ratio relegandi viros claros justa?

Ad hanc quæstionem Aristoteles respondet per duplicem distinctionem: quarum prima sumitur à

causa finali: altera ex differentia formarum Reipublicæ.

Quæ est prima distinctio?

Διο κατα τας ὁμολογȣμενας ὑπεροχας.

Ostracismus consideratur vel simpliciter et per se: et sic videtur esse injustus: Nam viri excellentes pótius retinendi sunt et honorandi in civitatibus, quàm ejiciendi. Vel consideratur respectû finis, propter quem fuit inventus, et tunc videtur in se habere το δικαιον πολιτικον, jus quoddam politicum: nimirum ad conservandum tranquillum statum civitatis: quem nonnunquam viri excellentes propter regnandi cupiditatem, et honorum ambitionem solent perturbare. Cujus rei manifestum est exemplum in Caio Julio Cæsare, qui regnandi gratiâ, etiam jus violandum esse cum Euripide affirmavit, teste Sueton. lib. 1. in Vit. ejus cap. 30.

Estne hæc ratio tollendi inæqualitatem inter cives, bona et laudabilis?

Minime: quoniam enim est violenta, ideò etiam est injusta. Proindè boni legumlatoris officium est, potiùs initiò Rempub. ita constituere, ne possit talis inæqualitas inter cives exoriri, quàm postquam exorta est, velle eam tàm violento remedio corrigere, aut tollere.

Quæ est altera distinctio?

Εν μεν ȣν ταις παρεκβεβηκυιαις πολιτειαις.

Altera distinctio sumitur à diversis speciebus seu formis Rerumpublicarum: quarum aliæ sunt bonæ, et ut Aristoteles suprà nominavit: ορθαι, rectæ: aliæ verô sunt vitiosæ et pravæ: quæ suprà nominantur παρεκβασεις, aberrationes. Itaque in bonis Rebuspub. iniquum est, ejusmodi excellentem virum, aut è civitate ejicere, aut cogere, ut legibus eodem modò sit subjectus, quo reliqui vulgares cives: cùm potiùs æquum esset, ut reliqui ultrò se illius imperio subjicerunt: ipseque veluti perpetuus rex in civitate esset. In malis verò et pravis Rebuspub. aliquomodo utile et justum videri potest, ejusmodi virum, qui propter virtutis excellentiam non potest pari jure et iisdem legibus cum cæteris vivere, non

habendum esse pro cive: propterea quòd videtur quasi Deus quidem esse inter homines. Ου γαρ πεφυκε το μερος υπερεχειν τυ παντος· τω δε τηλικαυτην υπερβολην εχοντι τυτο συμβεβηκεν. Nam natura repugnat, ut pars toti præstet: quod accidit ei, qui tanta præstantia sit præditus.

CAPUT X.

DE REGNO.

Quæ est prima et præcipua forma politicæ gubernationis?

Ea, quæ nominatur βασιλεια, Regnum, seu Μοναρχια βασιλικη, Regia gubernatio: et ut Cicero, lib. 3. de Leg. loquitur, regalis potestas: quod genus imperii, ipse in eodem loco affirmat, primùm ad homines justissimos et sapientissimos fuisse delatum.

Ισως δε καλως εχει μετα τυς ειρημενυς.

Suntne plures species regni?

Maxime, pro diversa Regum potestate. Nam Reges aliqui habent plenam et liberam potestatem imperandi et mandandi: atque hi nominantur αυτοκρατορες, quasi soli, et per se domini existentes: nominatur etiam ανυπευθυνοι, id est, non subjecti rationibus: qui nemini coguntur rationes suæ administrationis reddere. Alii verò habent potestatem definitam et limitatam: atque hi rursum vel certis legibus sunt circumscripti, secundum quas debent Rempub. administrare: vel adjunctos habent custodes, et quasi censores, qui eos continent in officio, ne sua potestate ad versos subditos abutantur: quemadmodum apud Lacedæmonios regibus additi fuerunt Ephori.

Quot igitur Aristoteles in hoc loco enumerat species Regni?

Quinque, ut sunt Regnum Laconicum, Barbaricum, Æsymnetia, Heroicum, et Plenarium. Λακωνικη, Βαρβαρικη, Αισυμνητεια, Ἡρωικη, Παμβασιλεια.

Ἡ γαρ εν τη Λακωνικη πολιτεια.

Quid est regnum Laconicum?

Regnum Laconicum est imperium militare, legi-

timum, perpetuum et hæreditarium, cum summa potestate. Ἡ βασιλεια Λακωνικη εςι ϛρατηγια τις νομιμος, αυτοκρατορων αιδιος, δια βιυ, κατα γενος. Erat quasi prætura militaris apud Romanos.

Quid est regnum Barbaricum?

Regnum Barbaricum est imperium quoddam herile, hæreditarium et legitimum. Μοναρχια βαρβαρικη εςιν αρχη δεσποτικη εκ γενυς, και κατα νομον.

Nota. Hæc species regni videtur esse quædam Tyrannica potentia: sed differt à Tyrannide. *Primùm,* quia Tyrannus nullis legibus est subjectus: sed omnia pro arbitrio administrat: hic autem Rex secundum leges patrias gubernat. *Deindè,* Tyrannus violenter imperat invitis et nolentibus ακοντων αρχει: Hic autem Rex non imperat invitis et nolentibus. *Tertiò,* Tyrannus cogitur metuere suos subditos, seque contrà eorum vim munire præsidiis. Hic verò Rex à suis subditis, eorumque custodia contrà externam vim defenditur. *Quartò,* quia hoc regnum est hæreditarium per successionem: Tyrannicum verò imperium plerunque est violentum.

Quid est Αισυμνητεια?

Ἑτερον δ' ἑπερ ην εν τοις αρχαιοις.

Αισυμνητεια est imperium propè Tyrannicum, per suffragia ad aliquem delatum. Αισυμνητεια εςιν αιρετη τυραννις: differt à barbarica monarchia: primùm quia non est κατα γενος, hæreditaria et per successionem: sed est per electionem. Deindè, quia hoc imperium non est perpetuum, sed ad certum tempus alicui conceditur.

Quid est regnum Heroicum?

Τεταρτον δ' ειδος μοναρχιας βασιλικης.

Regnum Heroicum est imperium, quale fuit Heroum temporibus, voluntarium, hæreditarium, ac legitimum. Ἡρωικη μοναρχια εςιν αρχη, ἡ κατα τυς ἡρωικυς χρονυς, ἑκυσιος τε, και πατριος γιγνομενη κατα νομον.

CAPUT XI.

Quid est Παμβασιλεια?

Περι δε της παμ-

ΠΑΜΒΑΣΙΛΕΙΑ est imperium, in quo unus omnium rerum summam habet potestatem. Παμβασιλεια εςιν

ἀρχη, καθ' ἣν ὁ βασιλευς παντα κατα την ἑαυτου βουλησιν βασιλευς πραττει και αρχει: ut in sequente capite dicitur. Hæc species regni similis est imperio Economico, in quo paterfamiliâs omnium rerum plenissimam habet potestatem, et omnia ad familiæ utilitatem administrat: ὥσπερ γαρ ἡ οικονομικη βασιλεια τις οικιας εςιν, ὅτως ἡ βασιλεια πολεως, και εθνους ἑνος, η πλειονος, οικονομια. Quemadmodum enim ratio domestica domus est Regnum quoddam: sic et Regnum gentis et civitatis unius aut plurium est ratio domestica. Est autem hæc forma gubernationis ex tribus bonis optima. καλουμενης.

Estne melius ab uno aliquo viro optimo Rempub. gubernari, an ab optimis legibus? vel quod idem est: Regine potiùs, quàm legibus in civitate concedendum est imperium?

Hæc quæstio comparationem habet Regis ac Legum: estque similis ei quæstioni, quæ suprà in septimo capite fuit explicata: Utrum summum imperium in civitate legibus potiùs, an hominibus sit permittendum. Disputatur autem ab Aristotele quoque in utramque partem. Ac primùm, quòd Regi potius, quàm Legibus concedendum sit imperium, ejus adfert duas rationes. *Prima*, Quia Leges solùm generatim et universaliter præcipiunt, de rebus faciendis vel omittendis: Rex autem potest sigillatim de singularibus rebus aliquid certi judicare et statuere: consideratis omnibus circumstantiis, quas leges neque prævidere, neque etiam verbis exprimere potuerunt. *Secunda* ab exemplo simili cæterarum artium. Quemadmodum artium perfectio magis cernitur in singularium operum effectione, quàm in sola cogitatione universalium præceptorum: ita quoque bona Reipub. administratio magis consistit et cernitur in prudentia virorum bonis consiliis circa negotia singularia rectè peragenda, quàm in universali legum præceptione, et observatione. Ἀρχη δ' ἐςι ζητησεως αὑτη.

Quibus argumentis probat legibus potius quàm Regi imperium esse concedendum?

Κρειττον δε ᾧ μη προσεστι. Etiam duobus. *Primùm,* Sine qua re neque Rex, neque ullus alius magistratus rectè imperare potest, ei quoque rei jure debet imperium concedi. Sed sine legibus neque Rex, neque ullus alius magistratus rectè imperare potest. Ergò legibus concedendum est imperium. *Alterum,* Imperium quod est sine affectibus, melius est eo, quod est cum affectibus. Sed legum imperium est sine affectibus: Regum autem imperium non est planè sine affectibus. *Τῳ μεν νομῳ το παθητικον ουχ υπαρχει, ψυχην δε ανθρωπινην αναγκη τουτ᾽ εχειν πασαν·* Quia mens humana omnis necessitate q. quadam perturbationibus subjecta est. Ergo Legibus potius debetur imperium, quàm Regi.

Quæ est Aristotelis sententia de hac quæstione?

Αλλ᾽ ισως αν φαιη τις. Aristoteles ingreditur mediam inter duas prædictas opiniones viam, et affirmat, utrisque, et Regi seu hominibus, et Legibus imperium esse concedendum. Legibus quidem, in iis rebus et negotiis, in quibus manifestè, et certò aliquid definiunt et statuunt. Regi verò sive hominibus in iis negotiis, in quibus leges deficiunt: et nihil certè potuerunt determinare: atque hujus responsionis tres adfert rationes. *Prima,* Quia Rex prudens potest particularia observare, et dijudicare: atque hoc modo ea legibus accommodare. *Secunda,* Quia Rex est legis corrector et interpres: quatenus sequitur equitatem, neque urget summum jus, quod sæpè est summa injuria. *Tertia,* Quia rex est custos et defensor legis: si modò lex sit justa.

Sed hic rursùm quæritur: utrum ab uno aliquo, an verò à multis sit determinandum illud, quod à legibus non est manifestè determinatum, et definitum?

Ει δε τουτο μη ῥᾳδιον. Ad hanc quæstionem respondet Aristoteles, Multorum prudentium virorum judicio potiùs standum esse, quàm unius alicujus, licet videatur esse prudentissimus: atque hujus rei adfert tres rationes.

Prima est, Quia multi simul conjuncti, prudentiores sunt, quàm unus aliquis. Hanc rationem declarat simili, quo et suprà cap. 7. usus: ὥσπερ ἑστιασις συμφορητος καλλιων μιας και ἁπλης· δια τυτο και κρινει αμεινον οχλος πολλα η εἱς ὁςις ὑν· Ut epulum collativum uno et simplice est pulchrius: ita et multitudo multa melius judicat, quam unus aliquis. *Altera*, Quia singularia melius possunt à pluribus observari et dijudicari, quàm ab uno. *Tertia*, Quia multi minus possunt pecuniâ corrumpi, quàm unus, μαλλον αδιαφθορον πολυ· καθαπερ ὑδωρ το πλειον, ὑτω και το πληθος των ολιγων αδιαφθορωτερων· Ut aqua copiosior, ita et multitudo est paucis incorruptior.

Objectio. Atqui si pluribus, quàm uni conceditur imperium: illi facilè possunt inter se dissidere: unus autem est ασασιαςος, id est, non obnoxius est dissidiis: igitur uni potiùs, quàm pluribus concedendum est imperium?

Solutio. Boni viri sive pauci sint, sive multi, non dissident inter se: quia propter virtutem, qua præditi sunt, semper eodem modo in Reipubl. administratione sunt affecti: respicientes nimirum ad eundem finem, communem civitatis utilitatem et felicitatem. Proinde adhuc videtur, plurib. potiùs bonis, quàm uni alicui imperium in civitate esse tribuendum. Ex quo etiam sequitur Aristocratiam meliorem esse Regno, seu Regia gubernatione.

Cur igitur initio apud antiquos pleræque ferè civitates, solùm ab uno, tanquam Rege fuerunt administratæ?

Aristoteles tres adfert rationes: *Prima*, Quia raro reperiebantur plures, qui imperio digni viderentur, σπανιον ην ευρειν ανδρας πολυ διαφεροντας κατ' αρετην. *Secunda*, Quia primæ civitates non adeò magnæ et amplæ fuerunt: ita ut facilè possent ab uno administrari. *Tertia*, Quia primi homines ultro, et sua sponte sese subjecerunt viris præstantibus, partim propter virtutem quâ excellebant: partim

Και δια τυτ' ισως εβασιλευοντο προτερον.

propter beneficia, quæ ab illis vel acceperant: vel se accepturos sperabant.

Quomodo autem factum est, ut regiæ istæ gubernationes fuerint mutatæ in alias formas Rerumpublicarum?

Επει δε συνεβαινε γιγνεσθαι. Principio quidem, ut antea dictum est, civitates ferè tantum per Reges, vel potiùs Regulos, gubernabantur: eò quòd non usque adeò magnæ essent: et pauci reperirentur homines virtute et prudentiâ excellentes, quibus imperium posset committi. Posteaquam verò civitates paulatim fierent majores, et plures reperirentur viri virtute et prudentiâ excellentes aut æquales: qui αριστοι nominabantur: factum est, ut ad illos pariter imperium seu gubernatio deferretur, unde αριστοκρατια extitit. Cùm verò hi dimisso virtutis studio, ex Republica quæstum facere, et suam potentiam stabilire conarentur, mutata est αριστοκρατια in ολιγαρχιαν: quæ posteà in Tyrannicam demigravit, cum unus aliquis, cæteris paucis oppressis, solus imperium affectare tentâsset. Tandem verò ex Tyrannide Democratia nata est: cùm populus ægrè ferens tyrannorum potentiam, avaritiam, et petulantiam, seditione concitatâ, eos per vim ejecit, aut è medio sustulit: seque in libertatem vindicavit: sibique imperium arrogavit.

Debetne Regnum esse hæreditarium?

Ει δε δη τις αριστον θειη. Si semper ex bonis Regibus etiam nascerentur tales filii, qui suorum parentum vestigiis insisterent, eorumque virtutes et facta imitarentur: æquum esset, ut quemadmodum in cæteris bonis sunt hæredes, ita etiam in hac dignitate illis succederent. Sed quia sæpè filii nascuntur degeneres, et juxta proverbium, plerunque Heroum filii noxæ: verumque est quod Euripides dicebat in Heracl. v. 328. et seq.

Ηνα γαρ εν πολλοις ισως
Ευροις αν, ός τις εστι μη χειρων πατρος.

Hoc est:

Unum inter multos fortè
Invenias qui non sit deterior patre.

Et in Eleid. v. 369, 370.

Ηδη γαρ ειδον ανδρα γινναιυ πατρος,
Το μηδεν οντα, χρηστα τ' εκ κακων τεκνα.

Et Horatius, lib. III. Od. 6. non frustra conqueritur: Ætas parentum pejor avis, protulit nos nequiores, mox daturos progeniem vitiosiorem: ideò et periculosum et perniciosum est, si regna ita sint hæreditaria, ut etiam ad improbos et malos posteros transferantur.

Debetne Rex habere circa se præsidium?

Non iniquum est, Regi aliquod præsidium concedere: partim ut possit subditos suos in officio continere, et contumaces ad obedientiam præstandam cogere: partim verò ut munitus sit contrà apertam vim, aut occultas insidias malorum et seditiosorum civium: unde etiam veteres Græci suis regibus custodes corporis addere solebant. Sed cavendum est, ne præsidia illa sint majora et potentiora, quam sit totius civitatis potentia: quoniam tantâ potentiâ muniti, facilè possunt ea abuti, ad opprimendos subditos, et occupandam Tyrannidem: quemadmodum Dionysius major Siculorum Tyrannus, et post eum Pisistratus Corinthiorum Tyrannus fecerunt.

Εχει δ' αποριαν και περι της δυναμεως.

CAPUT XII.

Quis dicitur Παμβασιλευς?

ΠΑΜΒΑΣΙΛΕΥΣ quasi plenarius Rex dicitur, liberam et plenam habet potestatem, in suo regno decernendi et agendi, quicquid regno suo utile visum fuerit: neque cogitur suæ administrationis cuiquam reddere rationem. Alio nomine appellatur αυτοκρατωρ, αυτεξουσιος, και ανυπευθυνος.

Περι δε της Παμβασιλειας.

Estne justum uni alicui, ejusmodi plenum imperium in civitate concedere?

Ad hanc quæstionem respondet Aristoteles per distinctionem. Nam qui ejusmodi civitatis sunt cives: bi vel sunt æquales et similes: vel sunt inæquales et dissimiles. Si sunt æquales, non est

Δοκει δε τισιν ουδε κατα φυσιν.

justum, ut unus solus cæteris imperet: hoc enim est contrà regulam justitiæ, quæ præcepit, æqualibus æqualia deberi. Τοις γαρ ὁμοιοις φυσει το αυτο δικαιον αναγκαιον και την αυτην αξιαν κατα φυσιν ειναι. Inter natura pares idem jus esse necesse est et eandem dignitatem esse natùra. Et capite octavo hujus libri dicitur: το δικαιον δειν τοις ισοις ισον ειναι φασι· Æqualibus æquale jus oportere esse aiunt. Atqui imperare et parere, sunt inæqualia: igitur inter eos, qui æquales sunt, non est justum, ut unus solus imperet: cæteri autem solùm pareant. Sed potiùs justum est, ut inter eos sit vicissitudo imperandi et parendi: hoc enim modo æqualitas inter eos potest conservari. Ὡς τ' ειπερ και το ισην εχειν τας ανισους τροφην η εσθητα, βλαβερον τοις σωμασιν· ὑτως εχει και το περι τας τιμας· Quare quemadmodum si impares parem habeant victum vel cultum, corporibus est perniciosum: sic et in honoribus se res habet. Si verò sunt dissimiles et inæquales: tunc non injustum est, ut is imperium habeat, qui omnes reliquos cives prudentiâ et virtutibus ita superat, ut meritò videatur præ cæteris imperio dignus esse: propter quam excellentiam etiam reliqui ultrò et libenter ei sese subjiciunt.

Quare autem Aristoteles existimat ad rectè imperandum et judicandum, hominibus leges esse adjungendas: Legibus autem adjungendos esse homines?

Κατα τον αυτον δε λογον. Legibus quidem ideò videntur homines tanquam νομοφυλακες και ὑπηρεται adjungendi esse: ut ipsi suâ prudentiâ partim rigorem legum mitigent: partim etiam defectum earum corrigant et suppleant. Quoniam enim universaliter debent scribi, ut ad omnes pertineant: non possunt omnes singulares casus et circumstantias verbis exprimere, aut de illis certi quid determinare. Hominibus verò ideò leges sunt additæ, ut coerceant eos, ne in judicando aut imperando ab affectibus abripiantur ab eo, quod honestum, verum, et rectum est. Sicut enim Ratio et Mens sunt divinum quiddam in homine; Lex

Ἡ γαρ ταξις νομος.

autem, ut Cicero XI. Philipp. ait, est recta, et à numine Deorum tracta ratio: ita affectus in homine sunt belluinum quiddam: qui nisi ratione regantur, pervertunt mentem et judicium hominis, ut de rebus agendis rectè judicare non possit. Rectè igitur Aristoteles hoc loco ait: ὁ μεν ουν τον νομον κελευων αρχειν, δοκει κελευειν αρχειν τον θεον και τους νομους· ὁ δε ανθρωπον κελευων, προστιθησι και θηριον· ἡτε γαρ επιθυμια τοιουτον, και ὁ θυμος αρχοντας διαστρεφει και τους αριστους ανδρας· Eos qui hominibus unà cum legibus imperium concedunt, etiam Deo tribuere imperium. Qui verò solùm hominem sine legibus imperare volunt, eos quodammodo belluæ tradere imperium; nam cupiditas tale quippiam, et ira eos, qui præsunt, etiam viros optimos detorquent.

Objectio. Atqui si homines adeò affectibus sunt obnoxii, videntur neque ipsi posse commodè legum defectum corrigere?

Solutio. Verum quidem hoc est: sed tamen leges, quia carent affectibus, melius possunt homines commonefacere et erudire: quid in rebus agendis sit faciendum aut omittendum: præterea docent, quo pacto affectus sint reprimendi: ne in judicando nos à vero et recto avertant. Αλλα μην ὁσα γε μη δοκει.

Objectio. An non licet interdum à legibus discedere: quemadmodum medici faciunt: qui etiamsi habeant in sua arte universales regulas, secundum quas curationem deberent instituere: tamen sæpè coguntur magis se accommodare ad ipsius ægroti et morbi singulares circumstantias, quam artis suæ præcepta sequi?

Responsio. *Primùm,* Diversus est medicorum et politicorum scopus seu finis, quem sibi habent in sua facultate propositum. Etenim medici sine pravo affectu, simpliciter in curando ægroto spectant ejus sanitatem: quàm quò citiùs et faciliùs eidem restituunt: eò majorem mercedem et laudem inde reportant. Politici verò in gerendo magistratu et administranda Repub. multa sæpe vel ad aucupan- Το δε των τεχνων ειναι δοκει.

dam gratiam et benevolentiam subditorum: vel etiam ad vitandam eorum offensionem, odium, et invidiam facere, vel omittere aut certè dissimulare coguntur.

Deindè, Tutior est ratio, in judicando sequi legem scriptam, quàm ab ea recedere ad hominum arbitrium et voluntatem, quæ est incerta et mutabilis. Quia Lex nihil aliud est quàm JUS: quatenus ostendit mediam viam, quàm sequi oportet: Medium autem respectu suorum extremorum est æquale quiddam: omne autem æquale est justum: igitur etiam Lex est Jus quoddam.

Ὁ γαρ νομος το μεσον.

Tertiò etiam medici suis propriis factis, suoque exemplo testantur: Tutius esse in curandis morbis, κατα γραμματα ιατρευειν, hoc est, secundùm artis suæ præcepta mederi: quàm illis relictis ad solam experientiam singularium confugere: et ipsimet ægrotantes consulunt eos maxime, quos sciunt artem medendi optimè didicisse, et tenere: denique de suis ægrotis quos curarunt, malunt fieri judicium secundum artis medicæ præcepta à peritis medicis, quàm ab imperitis, qui artem non perfectè didicerunt: neque ipsi de se volunt judicare, ὡσπερ ου δυναμενοι κρινειν το αληθες, δια το κρινειν περι το οικειων, και εν παθει οντες· Quasi nequeant verum dijudicare, quia et de suis rebus judicant, et sunt in perturbationibus.

Quare non aliqui existimant potiùs pluribus viris bonis, quàm uni alicui, licet optimo, imperium in civitate esse concedendum?

Qui Aristocratiam præferunt Regiæ gubernationi, quinque potissimùm nituntur rationibus: quarum prima est, quia plures meliùs et faciliùs possunt perspicere et dijudicare ea, quæ ad gubernationem Reipublicæ necessaria sunt, quàm unus aut pauci. Probatur à facto Regum, qui propter hanc ipsam causam, licet ipsis solis imperium sit commissum, tamen adjungunt sibi plures consiliarios et ministros, quorum consilio et operâ in administratione Regni utuntur: quod etiam interdum Tyranni facere

Αλλα μην ουδ' ῥαδιον εφοραν πολλα τον ἑνα.

coguntur, licet nullum imperii socium pati velint. Καὶ νῦν ὀφθαλμοὺς πολλοὺς οἱ μονάρχοι ποιοῦσιν αὑτῶν, καὶ ὦτα, καὶ χεῖρας, καὶ πόδας· τοὺς γὰρ τῇ ἀρχῇ καὶ αὑτοῦ φίλους ποιοῦνται συνάρχους· Et hodie Reges multos sibi faciunt oculos, et aures, et manus, et pedes: nam et imperio et sibi amicos socios imperii faciunt.

Altera ratio sumitur ex loco comparatorum, à minori ad majus: Si uni homini imperium est committendum, qui valet prudentia, et est vir bonus: igitur multò magis pluribus, qui prudentiâ et virtutibus excellunt, imperium est tribuendum. Τοῦ γὰρ ἑνός, οἱ δύο ἀγαθοὶ βελτίους· uno autem duo boni meliores sunt.

Tertia ratio sumitur à duplici testimonio Homeri: quorum unum extat in lib. 10. Iliad. v. 222. et seqq. ubi Diomedes noluit solus suscipere negotium sibi ab Agamemnone commissum: sed postulavit sibi adjungi Ulyssem: existimans per duos meliùs, quàm per unum posse illud negotium expediri. Alterum extat in lib. II. Iliad. v. 372. ubi Agamemnon optat, ut pro uno Nestore decem possit habere Nestores: existimans se faciliùs Troja potiturum, si plures tales haberet consiliarios.

Quarta ratio sumitur ab exemplo quarundam Rerumpub. in quibus licet summa sit legum auctoritas, secundùm quas Respubl. administranda: tamen idem sæpè magistratus pluribus gerendus committitur: ut quod per unum fortè effici non potest, per alium efficiatur.

Quinta ratio sumitur à simili per absurdum. Quemadmodum absurdum et falsum est, si quis dicat, unum aliquem posse plura videre, audire, et agere, quàm multos: ita quoque absurdum est dicere, unum meliùs posse Rempubl. administrare ejusque omnia negotia perficere, quàm plures.

LIBER QUARTUS.

Quod est argumentum, et quæ sunt partes hujus quarti libri?

QUEMADMODUM Aristoteles in fine præcedentis Libri explicavit duas præcipuas Politicæ gubernationis formas: Regnum scilicet, et Aristocratiam: ita in hoc Libro reliquas formas persequitur, earumque differentias indicat. Possunt autem hujus Libri tres constitui partes. *Prima* est veluti novum exordium, in quo primùm agit de officio politici scriptoris: deinde breviter repetit ea, quæ in Tertio Libro dixerat: et ostendit, quæ deinceps ei sunt explicanda. Constat autem hæc prima pars duobus primis capitibus. *Altera pars* à tertio capite usque ad 14. cap. extenditur: in qua singulas Rerumpub. formas, unà cum earum differentiis explicat. Peculiariter verò in 8, 9. cap. de ea forma Reipub. agit, quæ communi nomine πολιτεια appellatur. *Tertia pars* in quatuor ultimis capitibus continetur: in quibus agit de præcipuis partibus, ex quibus omnis benè constituta Respubl. debet constare.

CAPUT I.

In quibus potissimùm consistit officium hominis politici?

IN sex partibus consistit præcipuè politici scriptoris officium, quod exemplo artium et scientiarum docetur: εν ἁπασαις γαρ ταις τεχναις και ταις επιστημαις, μιας εστι θεωρησαι το περι ἑκαστον γενος ἁρμοττον. In omnibus enim artibus et scientiis, unius est videre, quid cuique generi conveniat.

Primum, ut sciat quænam sit optima Respublica.

Deindè, quæ forma Reipub. cuilibet civitati, et hominum multitudini maxime sit accommodata. Ου γαρ μονον την αριστην δει θεωρειν, αλλα και την δυνατην· ὁμοιως δε και την ῥᾳω και κοινοτεραν ἁπασαις· Neque

enim de optima tantum videndum, sed de ea quoque, quæ haberi possit: item de ea, quæ sit facilior et omnibus communior. Πολλοις γαρ της αριστης τυχειν ισως αδυνατον· Multis namque non datur fortasse optimam consequi.

Tertiò, ut talem possit introducere et constituere formam Reipub. quæ non solùm facilè haberi ex rebus præsentibus, verùm etiam quàm diutissimè in suo statu conservari possit.

Quartò, το δυνασθαι βοηθειν ταις πολιτειαις, posse opem ferre Rebuspubl. malè affectis et laborantibus. Εστι γαρ ουκ ελαττον εργον, το επανορθωσαι πολιτειαν, η κατασκευαζειν εξ αρχης· ὥσπερ και το μεταμανθανειν, του μανθανειν εξ αρχης· Non enim minoris est negotii, instaurare Rempublicam, quàm ab initio condere: ut et dediscere, quàm ab initio discere.

Quintò, scire quot sint differentiæ singularum formarum Reipub. Neque enim singulæ species sunt ejusmodi.

Sextò, scire quæ leges cuique formæ Reipub. maxime sunt accommodatæ: secundam quas et ipse magistratus imperare, et transgressores earum animadvertere oportet. Προς γαρ τας πολιτειας τους νομους δει τιθεσθαι, και τιθενται παντες· αλλ' ου τας πολιτειας προς τους νομους· Leges namque pro Rebuspublicis sunt scribendæ, et scribuntur ab omnibus: non verò Respublica pro legibus.

Sed quam tu vocas optimam Rempublicam?

Aristoteles in hoc loco optimam Rempublicam ait quatuor modis dici. *Primùm,* Eam quæ est ἁπλως αριστη, simpliciter et absolutè optima: cui nihil deest eorum, quæ ad perfectam ejus felicitatem pertinent, hæc infrà in 11. cap. nominatur πολιτεια κατ' ευχην. *Deindè,* Eam, quæ εκ των υπαρχοντων και υποκειμενων εστιν αριστη, hoc est, quæ quantum præsens rerum status ferre potuit, optimè est constituta. *Tertiò,* Eam, quæ dicitur εξ υποθεσεως αριστη, hoc est, quæ ratione finis et scopi, quem sibi propositum habet, optimè est constituta; in qua omnia

Ωστι την κρατιστην τι ἁπλως.

ad ipsam ὑποθεσιν sunt benè directa. *Quartò*, Eam quæ dicitur κοινως αριστη, communiter optima: seu quæ plerisque judicatur optima, etiamsi revera talis non sit.

CAPUT II.

Quomodo sibi mutuò opponuntur bonæ et malæ formæ Rerumpublicarum?

REGNUM et Tyrannis sibi mutuò opponuntur εναντιως: quemadmodum Bonum Malo: proinde quia Regnum est optima forma, tanquam quæ est antiquissima, et quodammodo divinæ gubernationi similis: ideò necesse est Tyrannidem, qua ei opponitur, esse deterrimam formam. Αναγκη γαρ την της πρωτης και θειοτατης παρεκβασιν, ειναι χειριστην· Quod enim optimo opponitur, id est pessimum. Aristocratiæ autem Oligarchia, et Politiæ Democratia opponuntur ὑπεναντιως, subcontrariè: neque enim sunt simpliciter vel bonæ, vel malæ formæ.

CAPUT III.

Quibus argumentis Aristoteles probat plures esse formas Rerumpublicarum?

Του μεν ουν ειναι πλειους πολιτειας αιτιον.

DUOBUS. Primùm sumitur ex natura totius et partium. Ea tota quæ ex partibus specie differentibus composita sunt, etiam specie inter se differunt. Sed formæ Rerumpublicarum constant ex partibus specie differentibus. Ergò Respublicæ specie inter se differunt. Major declaratur in sequenti capite exemplo simili, desumpto ab animalibus, quorum ideò tàm multæ et diversæ sunt species, quia constant ex partibus sive membris specie differentibus. Exempli gratia, alia est species capitis hominis, alia equi, alia leonis, asini, cameli et cæterorum animalium, sic etiam de reliquis eorum membris: igitur ipsa quoque animalia specie inter se differunt. Minor probatur. Quia plures sunt in civitate hominum ordines, qui specie inter se differunt. Enumerat autem Aristoteles in eodem loco octo ordines

hominum specie differentes, qui plerunque in civitatibus reperiuntur: veluti sunt Agricolæ, Opifices, Mercatores, Mercenarii, Milites, Senatores, Divites, Magistratus: sed præter hos sunt adhuc plures alii, quos enumerare supervacaneum est.

Quod est alterum argumentum?

Alterum argumentum sumitur à definitione της πολιτειας, Reipublicæ, quæ suprà in primo capite fuit posita. Ἡ πολιτεια των αρχων ταξις: Respubl. est descriptio seu constitutio magistratuum in omnibus civitatibus. Ergò etiam non est una solùm et eadem forma Reipubl. Et per consequens, plures sunt species. Major est definitio Reipubl. Minor probatur: Quia imperium et gubernatio in civitatibus aliquando est solùm penes unum, aliquando penes paucos, aliquando penes multos: prætereà aliqui deliguntur in magistratum, quia excellunt virtute, alii nobilitate, et ἱπποτροφια, equis alendis; (τουτο γαρ ου ῥαδιον, μη πλουτουντας, ποιειν· hoc enim aliis quàm divitibus non facilè factu); alii potentiâ, alii opibus et divitiis, alii propter alias causas.

Τουτων γαρ των μερων.

Quæ sunt igitur formæ sive species Rerumpublicarum?

Fuerunt nonnulli politici scriptores, qui solùm duas statuerunt esse species Rerumpubl. sibi mutuò oppositas: nempè Oligarchiam, in qua pauci divites et nobiles haberent imperium: et Democratiam, in qua imperium et gubernatio esset penes multos pauperes et plebeios. Et ad has duas formas existimarunt omnes alias posse referri. Verùm Aristoteles hoc loco rejicit hanc divisionem, et resumit eam, quæ in præcedente libro cap. 5. fuit posita: in qua sex enumeravit Rerumpubl. formas: quarum tres dixit esse ορθας, rectas et bonas: nempè βασιλειαν, αριστοκρατιαν, και πολιτειαν: tres verò nominavit, παρεκβασεις, aberrationes, et φθορας, vitiosas et corruptas formas: videlicet τυραννιδα, ολιγαρχιαν, και δημοκρατιαν. Plato in Politico ponit tres species, μοναρχιαν, ολιγαρχιαν, και πολυαρχιαν: Idem in lib. 8.

Μαλιστα δε δοκουσιν ειναι δυο.

de Republica enumerat quinque: τιμαρχιαν, ολιγαρχιαν, δημοκρατιαν, τυραννιδα, και πολιτειαν, communi nomine, specialiter sic dictam κατ' εξοχην.

CAPUT IV.

DE DEMOCRATIA.

Habetne singulæ jam enumeratæ formæ Rerumpublicarum proprias suas notas, quibus à se mutuò distinguuntur?

HABENT, quemadmodum etiam ex earum appellationibus aliquo modo intelligi potest. Nam αριστοκρατια dicitur, in qua αριστοι, optimates, qui virtute excellunt, habent imperium. Ολιγαρχια, in qua ολιγοι, hoc est, pauci dominantur. Δημοκρατια, in qua ὁ δημος, populus habet summam potestatem, et sic de cæteris.

Estne numerus, hoc est, paucitas et multitudo imperantium propria nota Oligarchiæ vel Democratiæ?

Minime. Etsi enim Oligarchia nomen habeat à paucitate imperantium, tamen ea non sola hîc consideratur, quoniam etiam in αριστοκρατια pauci habent imperium: itaque etiam aliæ circumstantiæ sunt considerandæ, veluti in Oligarchia sunt divitiæ, nobilitas, et potentia. Item: μεγεθος και καλλος, magnitudo et forma, ολιγον γαρ το πληθος, και το των καλων, και το των μεγαλων· Exiguus namque est numerus, et formosorum et magnorum. In Aristocratia verò virtus, doctrina, et res præclaræ gestæ eorum qui imperant. Sic in Democratia non solùm multitudo populi, verùm etiam æqualitas et libertas eorum qui imperium habent, spectantur. Μη γαρ εν των αδυνατων η, πολιν αξιον ειναι καλειν την φυσει δουλην· αυταρκης γαρ ἡ πολις, το δε δουλον, ουκ αυταρκες· Nam ex rerum numero earum, quæ fieri nequeunt, sit, eam civitatis nomine dignari, quæ natura sit serva. Civitas enim rebus omnibus instructa: quod autem servum, non est instructum.

Suntne omnes Democratiæ unius generis et similes? Ὅτι δ' ἐστι καὶ δημοκρατίας.

Non, sed quinque earum differentiæ seu species ab Aristotele enumerantur.

Quæ sunt illæ quinque differentiæ sive species Democratiæ seu popularis gubernationis?

Prima species Democratiæ est, in qua omnibus, qui civitatem inhabitant, tàm civibus quàm inquilinis patet aditus ad Reipublicæ administrationem: ea tamen conditione, ut secundum leges eam administrent, et illud solùm ratum habeatur, quod pluribus secundum leges placuerit. Ἐν ῃ ἁπαντες ὁμοιως κοινωνουσι της πολιτειας· κυριον δε το δοξαν τοις πλειοσιν.

Quæ est altera species Democratiæ?

Altera species est, in qua omnibus, qui censum, legibus præfinitum, habent, patet ad Rempublicam aditus. Ὅταν πασι τοις κεκτημενοις το τιμημα ὑπο των νομων διωρισμενον, εξεστι μετεχειν της πολιτειας. cap. 6.

Quæ est tertia species?

Tertia species est, in qua omnes ad magistratum et honores publicos admittuntur, qui nulla ignominiâ aut maculâ sunt notati. Ὅταν εξεστι πασιν τοις ανυπευθυνοις κατα το γενος μετεχειν, μεν τοι δυναμενοις σχολαζειν, infrà, cap. 6.

Quæ est quarta species?

Quarta species est, in qua omnibus, qui veri cives sunt, patet ad Rempub. aditus: ea tamen conditione, ut legum summa sit auctoritas. Infra, cap. 6. Ὅταν πασιν εξεστι μετεχειν της πολιτειας, ὁσοι αν ελευθεροι ωσι· μη μεν τοι μετεχειν, δια το μη δυνασθαι σχολαζειν·

Quæ est quinta species?

Quinta species est, in qua sine discrimine omnibus ad Rempub. patet aditus, qualescunque illi sint: omnisque potestas et auctoritas pendet ex voluntate et arbitrio promiscuæ multitudinis, non autem ex legibus, infrà, cap. 6. Ὅταν μετεχωσι μεν παντες της πολιτειας δια την ὑπεροχην του πληθους· κοινωνουσι δε και πολιτευονται και οἱ απορoι δια το δυνασθαι σχολαζειν μισθον λαμβανοντες· διο γινεται το των απορων πληθος κυριον της

πολιτειας, αλλ᾽ ουχ οἱ νομοι, hoc est, Quando omnibus quidem ad Rempubl. patet aditus, propter magnam multitudinem: Rempublicam verò etiam administrant pauperes, quia mercedem accipientes, otium habere possunt. Unde fit ut summa auctoritas et potestas Reipubl. sit penes pauperum multitudinem, et non penes leges.

Quæ ex his quinque speciebus est pessima Democratia?

Συμβαινει δε τουτο, δια τους δημαγωγους.

Ea quæ ultimo loco ponitur. Idque propter tres causas. Prima causa est, quia à malis hominibus est introducta: partim quidem à Demagogis, h. e. populi adulatoribus, qui suis blanditiis populi gratiam venabantur, ut ipsi interim auctoritate populi muniti, suam potentiam in Repub. paulatim augerent et stabilirent: donec ista sua potentia etiam populum opprimerent, et dominatum in Repub. obtinerent. Partim verò à Sycophantis, h. e. calumniatoribus: qui suis criminationibus et calumniis solebant magistratum apud populum falsò traducere, quasi multa injustè et violenter ageret, populique libertatem imminueret: atque hoc modo studebant magistratus auctoritatem elevare, populi animum ab eo abalienare, occasionem ad turbas et seditiones præbere, per quas ipsi magistratus abrogarentur, et populus imperium ad se traheret.

Quæ est altera causa?

Ὁ δ᾽ ουν τοιουτος δημος, ὡςτε μοναρχος ων.

Quia hæc Democratia similis est Tyrannidi. Quemadmodum enim Tyrannus propter potentiam solus vult pro suo arbitrio imperare cæteris etiam melioribus: nullisque legibus patitur se astringi: sed semper hoc in ore habet:

Sic volo, sic jubeo: sit pro ratione voluntas.

Ita imperitus populus nimiam potentiam nactus, solus vult omnibus aliis in civitate, licet prudentiores et meliores sint, imperare: nullisque bonis rationibus patitur se à suo proposito abduci, atque existimat sibi licere quasvis leges abrogare atque in

earum locum nova decreta et ψηφισματα introducere. Μοναρχος γαρ ο δημος γινεται, συνθετος εις εκ πολλων· οι γαρ πολλοι κυριοι εισιν, ουχ ως εκαστος· Nam populus Monarcha fit unus ex multis constitutus: nam domini sunt multi, non ut singuli sed ut universi, et cap. 5. Ουδε ευθυς μεταβαινουσιν, αλλα αγαπωσι τα πρωτα, μικρα πλεονεκτουντες παρ αλληλων· Neque verò statim momento mutantur: sed primis contenti sunt, paucis in rebus alios superantes.

Quæ est tertia causa?

Quia talis Democratia non digna est, ut vocetur Respublica, πολιτεια: sed potius est quædam colluvies et confusio hominum, quæ αναρχια, και οχλοκρατια, à Platone nominatur. Etenim ubi nulla est legum auctoritas, ibi quoque nulla est Respubl. Οπου γαρ μη νομοι αρχουσι, ουκ εστι πολιτεια· δει γαρ τον νομον αρχειν παντων. Nam ut Cicero pro Cluentio ait, Lex est fundamentum libertatis, fons æquitatis, mens, animus, consilium et sententia civitatis. Sine qua, ut idem in libro 3. de Legibus scribit, nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum universum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus consistere potest.

Ευλογως δ' αν δοξειεν επιτιμαν.

CAPUT V. ET VI.

DE OLIGARCHIA.

Quæ sunt differentiæ seu species Oligarchiæ?

QUATUOR ab Aristotele enumerantur species seu differentiæ Oligarchiæ. Prima species est, quando aditus ad magistratum patet iis, qui non usque adeò magnas, sed mediocres habent facultates: tantas tamen, ut possint citrà jacturam rei familiaris à privatis suis laboribus vacare, et Reipub. negotia juxta legum præscriptum administrare. Το δε δη εξειναι σχολαζειν, αδυνατον, μη προσοδων ουσων· Otiari autem ut liceat, non suppeditantibus vectigalibus aut sumptibus, fieri non potest, capit. 6. Circa hanc speciem observandum est, quod plures possunt in

Τα δε της ολιγαρχιας.

hac Oligarchiæ specie capaces esse honorum in magistratu, ideò quia non adeò magnus census talibus præfinitus est. Infrà, cap. 6. Τὸ της πρωτης ολιγαρχιας ειδος εςιν, ὅταν μεν πλειους εχωσιν ουσιαν, ελαττω δε, και μη πολλην λιαν.

Quæ est altera species Oligarchiæ?

Altera species Oligarchiæ est, in qua major census præfinitus est iis, qui capaces talium honorum esse cupiunt: prætereà electio fit per ipsos Oligarchicos, et ex certis solùm familiis: atque hi quoque juxtà legum præscriptum tenentur Rempub. administrare. Infrà in 6. cap. de hac specie sic scribit: εαν δε δη ελαττους ωσιν οἱ τας ουσιας εχοντες, η οἱ το προτερον, πλειω δε το της δευτερας ολιγαρχιας γινεται ειδος.

Quæ est tertia species Oligarchiæ?

Tertia species Oligarchiæ est, in qua adhuc major census, quam in præcedentibus præfinitus est iis, qui in magistratum cooptari cupiunt: et successio est hæreditaria secundum legem, quæ jubet ut in imperio filius succedat in locum patris. De hac specie in sequente capite sic scribit: εαν δ' επιτεινωσι τῳ ελαττονες οντες μειζονας ουσιας εχειν, ἡ τριτη επιδοσις γινεται της ολιγαρχιας.

Quæ est quarta species Oligarchiæ?

Quarta species Oligarchiæ est, in qua aditus ad magistratum solùm iis patet, qui maximas habent opes et divitias, qui etiam jure quodam hæreditario succedunt, qui denique amicorum potentia plurimùm valent in Repub. propter quas causas hi magis ex suo arbitrio, quàm secundùm leges cupiunt imperare. Ideoque hæc est deterrima Oligarchiæ species, quæ δυναςεια potiùs, quàm πολιτεια nominanda. De hac specie in sequente cap. sic scribit: ὅταν δ' ηδη πολυ ὑπερτεινωσι ταις ουσιαις, και ταις πολυφιλιαις, εγγυς ἡ τοιαυτη δυναςεια μοναρχιας εςι· και κυριοι γινονται οἱ ανθρωποι, αλλ' ουχ ὁ νομος· το τεταρτον ειδος της ολιγαρχιας τουτ' εςιν, αντιςροφον τῳ τελευταιῳ της δημοκρατιας.

CAPUT VII.

DE ARISTOCRATIA.

Quæ sunt species seu differentiæ Aristocratiæ?

QUATUOR: Quarum prima est, in qua solius virtutis habetur ratio in mandandis magistratibus: atque ideo imperium simpliciter est penes solos viros bonos: qui quoniam virtutibus excellunt, dicuntur esse αριστοι, optimi. Εν τη πολιτεια μονη ἁπλως ὁ αυτος ανηρ και πολιτης αγαθος εστιν· οἱ δε εν ταις αλλαις ἀγαθοι προς την πολιτειαν εισι των αυτων. In sola hac forma Reipub. bonus civis qui est, is etiam est vir bonus: (et vice versa) in aliis verò sunt boni pro Rebuspublicis. Et sic quoque eadem est virtus viri boni: quemadmodum lib. 3. cap. 3. dictum fuit.

Ετι δ' εισι δυο πολιτειαι πρα δημοκρατιαν τε.

Quot modis igitur dicitur civis bonus?

Duobus modis. *Primùm* ἁπλως, simpliciter et absolutè: qui est virtute præditus, et simul est civis bonus. *Deindè* dicitur civis bonus καθ' ὑποθεσιν, και προς την πολιτειαν, ex conditione, et respectu ejus Reipub. in qua vivit, et legibus ejus obtemperat.

Των γαρ εκ των αριστων ἁπλως.

Quæ est altera species Aristocratiæ?

In qua præter virtutem aliqua divitiarum et nobilitatis habetur ratio, in eligendis magistratibus.

Ου μην, αλλ' εισι τινες αἱ προς τι.

Quæ est tertia species Aristocratiæ?

In qua tria hæc simul considerantur in conferendis publicis honoribus: nempe virtus, divitiæ, et populi libertas. Ὁπου εν ἡ πολιτεια βλεπει εις τε πλουτον και αρετην και δημον, αὑτη αριστοκρατικη εστι.

Quæ est quarta species Aristocratiæ?

In qua virtutis, bonorum virorum, et libertatis populi habetur ratio in mandandis magistratibus.

Και εν αἱς εστι δυο μονον.

Quomodo distinguuntur hæ species?

Prima species est pura Aristocratia: reliquæ tres species sunt mixtæ: quia non solam virtutem spectant, sed ei aliquid adjungunt, nempè divitias, nobilitatem, libertatem.

CAPUT VIII.

DE POLITIA SPECIALITER SIC DICTA.

Quid est Politia?

Εςι γαρ ἡ πολιτεια ὡς ἁπλως ειπειν.

POLITIA communi nomine specialiter sic appellata, est commixtio quædam Oligarchiæ et Democratiæ. Aristoteles, ες̂ι γαρ ἡ πολιτεια ὡς ἁπλως ειπειν μιξις ολιγαρχιας και δημοκρατιας· Respublica ut summatim dicam, est cinnus Oligarchiæ et Democratiæ.

At sunt aliqui, qui talem commixtionem Oligarchiæ et Democratiæ, putant esse αριςοκρατιαν?

Hoc indè fit, quia hæ duæ formæ interdum non æquabiliter miscentur, ita ut plures sint divites quàm plebeii in magistratu. Quia autem divites ut plurimùm melius solent educari, quàm pauperes et plebeii: ακολυθει παιδεια και ευγενεια τοις ευπωροτεροις. Ideò etiam vulgò creduntur meliores esse, et magis ingenui: qui non videntur facilè posse pecuniâ corrumpi ad scelus aliquod perpetrandum. Δοκυσιν εχειν οἱ ευποροι, ὡν ἑνεκεν οἱ αδικυντες αδικυσι· Divites videntur habere ea, quorum gratia injurii ad has injurias impelli solent. Et paulò post, Σχεδον γαρ παρα τοις πλειςοις οἱ ευποροι των καλων καγαθων δοκυσι κατεχειν χωραν· Nam apud plerosque ferè divites præstantium locum virorum tenere videntur. Hanc ob causam homines imperiti, quando vident imperium in civitate esse penes ditiores: existimant talem formam Reipub. esse Aristocratiam. Sic enim, sed malè argumentantur. In Aristocratia imperium est penes viros bonos: sed in hac Repub. imperium est penes divites: Ergò divites sunt viri boni: et per consequens, eorum imperium est Aristocraticum.

In quibus autem præcipuè differunt hæ tres formæ Rerumpub. Aristocratia, Oligarchia, et Democratia?

Δοκει δ' ειναι των αδυνατων.

In duobus. Primùm ipsis legibus. Nam Aristocratia est, ευνομυμενη, hoc est, bonis legibus administratur, quibus qui obtemperat, is non solùm pro bono cive, sed etiam pro bono viro haberi potest.

Oligarchia verò et Democratia, quia sunt vitiosæ formæ Rerumpublicarum: ideo earum leges quoque non sunt simpliciter et absolutè bonæ: quibus qui obtemperat, etiamsi possit bonus civis nominari, tamen non perindè semper pro bono viro, potest haberi.

Quod est alterum discrimen?

Deindè differunt etiam hæ tres formæ: τῳ ὁρῳ, termino, quo veluti circumscribuntur et definiuntur: et quem sibi tanquam scopum habent propositum, ad quem et secundum quem præcipuè omnis earum gubernatio dirigitur.

Δοκει δ' αριστοκρατια μεν ειναι.

Quot sunt tales ὁροι, id est, termini, secundum quos formæ Rerumpub. æstimantur, definiuntur, et distinguuntur?

Tres: ἡ αρετη, virtus: ὁ πλουτος, divitiæ seu opes: et ἡ ελευθερια, libertas. Nam in Aristocratia honores et magistratus distribuuntur ratione virtutis. In Oligarchia præcipuè spectantur opes et divitiæ. In Democratia libertatis præcipua habetur ratio. Omnibus autem his formis hoc commune est, ut illud ratum firmumque habeatur, quod majori parti eorum, qui in magistratu sunt, visum fuerit.

An non est adhuc quartus terminus, qui circa hanc rem spectari solet, nempè Nobilitas?

Verum quidem hoc est: sed tamen Nobilitas non est talis terminus qui solus et per se possit peculiarem formam Reipub. constituere. Nam potest comprehendi vel sub virtute, quæ sola verè potest hominem nobilitare: vel sub divitiis: nam Nobilitas est antiquum patrimonium, et avita majorum virtus. Ἡ γαρ ευγενεια εστιν αρχαιος πλουτος, και αρετη. Et infrà, in lib. 5. cap. 1. ευγενεια εστι προγονων αρετη και πλουτος.

Sed quare in plerisque civitatibus videtur ferè ea solùm forma Reipub. usitata esse, quæ communi nomine πολιτεια appellatur?

Quia in eligendis magistratibus et conferendis honoribus, plerunque ferè homines neglectâ virtute solùm ad tria ista respicere solent: nempè ad no-

bilitatem, ad divitias, et libertatem: ex quorum commixtione, ut anteà dictum est, forma illa, quæ commune nomine πολιτεια appellatur, constituitur.

CAPUT IX.

Quot modis commiscentur hæ duæ formæ, nempè Oligarchia et Democratia, ut possint constituere specialem πολιτειαν?

Εισι δε ὁροι τρεις της συνθεσεως και μιξεως.

TRIBUS modis. *Primus* modus est, Quando ex utriusque formæ legibus et institutis quædam deliguntur, quæ videntur posse convenire ei Reipub. quam nos cupimus constituere. *Alter* modus est, quando medium inter excessum et defectum utriusque formæ Reipub. sumimus, et ad nostram Rempublicam accommodamus. *Tertius* modus est, quando partem aliquam ex lege Oligarchica, partem verò aliquam ex lege Democratica sumimus, et ex illis duabus partibus unam legem facimus, nostræque Reipub. accommodamus.

Ex quibus autem signis cognosci potest, quòd illa commixtio sit rectè temperata?

Τȣ δε ευ μεμιχθαι δημοκρατιαν.

Ex quatuor signis. *Primùm* est, si mixtio ita facta est, ut dubium sit, utrum forma illa Reipub. sit Oligarchia, an verò Democratia. Δει εν πολιτεια τη μεμιγμενη καλως αμφοτερα δοκειν ειναι, και μηδετερον· In Repub. optime temperanda utrumque et neutrum, ut inesse videatur, oportet. *Alterum* signum est, si Respub. quæ ex ista mixtura est constituta, tota simul considerata, repræsentet utramque formam: secundùm partes verò, neutra possit actu ab altera forma separari, ita ut ipsa forma Reipub. maneat salva. *Tertium* signum bonæ commixtionis est, si Respub. quæ indè effecta est, possit sine alienis et externis auxiliis conservari salva et incolumis. *Quartum* signum est, si ex illa commixtione ejusmodi forma Reipub. est effecta, quàm ipsi cives maxime amant, neque meliorem aliquam requirunt.

CAPUT X.

DE TYRANNIDE.

Quæ forma gubernationis propriè dicitur Τυραννις?

TYPANNIΣ est ejusmodi monarchia, quæ Regno sive Regiæ gubernationi quasi è Diametro opponitur: atque ideo est omnium deterrima.

Quæ sunt proprie notæ Tyrannidis?

Quatuor. *Prima* nota est, quòd Tyrannis nullis legibus vult esse subjectus, sed planè esse ανυπευθυνος, id est, non obnoxius reddendis rationibus suæ gubernationis: proinde omnia pro sua libidine et voluntate administrat. *Altera* nota est, quod solus vult imperare etiam iis, qui vel ei sunt pares et æquales, vel ipso sunt longè meliores. *Tertia* nota est, quòd pro imperio suo omnia agit, et dirigit ad privatum suum, non autem ad publicum et commune subditorum commodum. *Quarta* nota est, quòd imperat invitis et nolentibus: ουθεις γαρ εκων υπομενει των ελευθερων την τοιαυτην αρχην· Neque enim quisque liber, tale imperium sponte ferat, ideoque ejus imperium est violentum.

Nota. Ad Tyrannidem etiam possunt referri duæ species Regni, de quibus in præcedente libro, cap. 10. dictum fuit, nempè ἡ Βαρβαρικη μοναρχια; et ἡ Αισυμνητεια.

CAPUT XI.

In qua potissimùm re consistit optimus Reipub. status?

IN mediocritate opum et facultatum: quando cives neque nimium sunt divites, neque etiam nimium pauperes: sed possident mediocres opes et divitias. Το γαρ μετριον αριστον, και το μεσον· Mediocre enim et medium, optimum.

Quibus argumentis probat Aristoteles, ejus civitatis optimum esse statum, qui constat ex mediocribus civibus?

Septem. Quorum primum sumitur à natura mediocritatis. Si mediocritas in omnibus rebus est optima: igitur etiam mediocritas opum et faculta-

Ει γαρ καλως εν τοις ηθικοις.

tum est optima: et per consequens etiam in mediocritate opum et facultatum consistit optimus civitatis status.

Quomodo declarat Aristoteles hoc argumentum?

Distributione. Sunt enim tres ordines civium in civitatibus et Rebuspub. Quidam enim sunt σφοδρα ευποροι, valde divites: hi propter opum abundantiam ut plurimùm sunt petulantes, injuriosi et contumeliosi adversus alios: item contumaces et contemptores legum et magistratuum. Quidam verò sunt σφοδρα απορoι, valdè pauperes: qui, quoniam propter egestatem non possunt publicis muneribus obeundis in Repub. adhiberi, occupati nimirum propriis laboribus in acquirendo victu: ideò invident etiam aliis istos honores, insidiantur divitum bonis, efficiuntur malitiosi et improbi, ita ut divites cogantur sibi ab illis metuere. Inter hos duos ordines civium est etiam tertius ordo eorum, qui mediocres habent facultates: per hos civitates ut plurimùm gubernantur et conservantur: quemadmodum etiam Euripides in Supplicibus ait: ut adfert Stobæus, Serm. 41.

Τρεις γαρ πολιτων μεριδες· οἱ μεν ολβιοι,
Ανωφελεις τε, πλειονων τ᾽ ερως αει.
Οἱ δ᾽ ουκ εχοντες και σπανιζοντες βιυ,
Δεινοι· νεμοντες τῳ φθονῳ πλειον μερος,
Εις τυς εχοντας κεντρ᾽ αφιασι κακα
Γλωσση, πονηρων προςατων φιλυμενοι.
Τριων δε μοιρων, ἡ μεση σωζει πολιν,
Κοσμον φυλασσυσ᾽ ὁντιν᾽ αν δοξῃ πολιν.

Tria sunt civium genera: quidam divites sunt, Inutilesque et plura semper appetunt. Alii vero nihil possidentes, inopesque victus, Miseri, nimium tribuentes invidiæ, Malos aculeos in ditiores emittunt Lingua, improbis chari ducibus. Cæterum è tribus, quod medium est genus, urbem servat, Modum illum custodiens, quem civitas approbaverit.

Quod est alterum argumentum, quo probatur, optimum civitatis statum ex mediocribus civibus constare?

Qui faciliùs possunt legibus regi, iisque obedire: hi ad constituendum optimum civitatis statum

maxime sunt idonei. Sed qui mediocres habent facultates, magis possunt legibus regi, et ad obedientiam præstandam assuefieri: quàm ii qui sunt nimium divites vel pauperes, quemadmodum ex distributione civium quæ in præcedente argumento fuit allata, patet. Ergò mediocres cives ad optimum civitatis statum constituendum maximè sunt idonei.

Quod est tertium argumentum?

Ex æqualibus et similibus optimè potest civitas et Respub. aliqua ceu βιος τις πολεως, vita quædam civitatis constitui. Quia æqualitas et similitudo aptissima sunt media ad amicitiam constituendam, colendam, et conservandam. Nam φιλοτης εςιν ισοτης, secundum Pythagoreos: vetere proverbio dicitur, ut est apud Cicer. in Catone Maj. *Pares cum paribus facilimè congregantur.* Ἡ γαρ κοινωνια φιλικον· ουδε γαρ ὁδου βουλονται κοινωνειν τοις εχθροις· Societas namque ad amicitiam pertinet. Neque enim itineris quidem socios inimicos habere volunt. Sed qui mediocres habent facultates, sunt inter se pares et similes. Ergò ex talibus facilè optimus status civitatis potest constitui.

Βουλεται δε γε ἡ πολις εξ ισων.

Quod est quartum argumentum?

Inter quos nulla est invidia, nullæ insidiæ, nulla cupiditas alieni: ex iis optimè potest aliqua Respub. constitui. Sed inter mediocres ista locum non habent. Ergò ex mediocribus optima potest constitui civitas.

Και σωζονται δ' εν ταις πολεσιν.

Hoc argumentum confirmatur ab auctoritate et testimonio Phocylidis: qui ut tutius et securiùs in civitate posset vivere, optabat se ex mediocrium numero esse: propterea quod tales multa haberent, ad vitam quietè degendam commoda: inquiens:

Πολλα μεσοισιν αριςα· μεσος θελω εν πολει ειναι.
Esse volo medius: mediis sunt commoda multa.

Quod est quintum argumentum?

Quæ civitates minus obnoxiæ sunt seditionibus, earum status optimè est constitutus. Sed civitates

Ὁτι δ' ἡ μεση βελτιςη.

quæ constant ex mediocribus civibus, sunt ἀστασιαστοι minus obnoxiæ seditionibus. Ergò ex mediocribus civibus optimus civitatis status constat. Minor declaratur duplici comparatione, quarum una est magnarum et parvarum civitatum: altera Democratiæ et Oligarchiæ. Nam in magnis civitatibus et Democratiis ideò rariores sunt seditiones, quia in illis plures reperiuntur cives, qui mediocres habent facultates, quàm qui sunt nimium divites aut nimium pauperes. (Ὅπου γαρ πολυ το δια μεσου, ἡκιστα στασεις και διαστασεις γιγνονται των πολιτειων· Nam ubi medium est multum, minime existunt metus et distractiones Rerumpublicarum.) In pravis verò civitatibus et in Oligarchiis ferè tantùm duo ordines hominum reperiuntur, quorum aliqui sunt valdè divites, aliqui autem valdè pauperes: undè fit, ut crebriores in illis sint seditiones et mutationes: ac propterеà etiam minus durabiles.

Quod est sextum argumentum?

Quarum civitatum est status magis naturæ conveniens, is est optimus. Sed earum civitatum status, qui ex mediocribus civibus constat, naturæ magis est conveniens. Ergò civitatum status, qui ex mediocribus civibus constat, est optimus. Minor probatur, quia natura in omnibus rebus amat mediocritatem: excessum autem et defectum, hoc est, extrema odit et aversatur.

Quod est septimum argumentum?

Σημειον δε δει νομιζειν. Qui ordo civium præstantissimis legumlatoribus placuit, ex illis civibus etiam optimus Reipub. status potest constitui. Sed ordo mediocrium civium præstantissimis legumlatoribus placuit: nempè Soloni, Lycurgo, Charondæ, et quibusdam aliis. Ergò ex mediocribus civibus optimus Reipub. status potest constitui. Plato etiam in lib. 4. de Repub. præcipit, magistratibus diligenter providendum esse, ne ipsis insciis in civitatem irrepant nimium opulenti aut inopes: quoniam per tales sæpè solent in civitatibus exoriri turbæ ac seditiones.

Objectio: Si ea forma Reipub. est optima, quæ ex mediocribus civibus constat: quare igitur in tota Græcia vix ulla talis forma in civitatibus reperitur?

Hujus rei Aristoteles affert quatuor rationes. *Prima* est: quia mediocrium civium exiguus est numerus: aut si fortè contingit, ut eorum sint multi: tamen non sunt ita potentes, ut possint sibi vendicare imperium. *Altera* causa est, quia inter nimium divites et nimium pauperes sæpè oriuntur dissidia et contentiones de imperio: ita ut vel pauperes sua multitudine opprimant divites, et constituunt Oligarchiam. *Tertia* causa est, quia propè omnes civitates Græciæ erant subjectæ aut Atheniensibus, quibus placebat Democratia: aut Lacedæmoniis, qui Oligarchiam amabant: atque ideò etiam civitates, quæ illis erant subjectæ, eandem quoque formam Reipublicæ cogebantur amplecti. *Quarta* causa est perversa temporum illorum conditio, et depravata hominum consuetudo: per quam eò res deducta fuerat, ut nemo amplius pari jure cum aliis vivere vellet: sed cuperet aut imperare, aut si istud non posset consequi, imperium pati cogeretur. Ηδη δε και τοις εν ταις πολεσιν εθος καθεστηκε, μηδε βουλεσθαι το ισον, αλλ' η αρχειν ζητειν, η κρατουμενους υπομενειν· Nunc autem plerisque hæc consuetudo est in civitatibus, ne velle quidem æquitatem, sed cupere vel imperare, vel victos obedire.

Φανερον δε εκ τουτων.

Quomodo igitur bonitas alicujus Reipublicæ est æstimanda?

Ex mediocritate. Nam quô vicinior est aliqua Respublica ei formæ, quæ ex mediocritate constat: eò etiam est melior: quò verò abest remotior: eò est deterior.

Των δ' αλλων πολιτειων.

Quare autem divites et qui mediocres habent facultates, magis idonei sunt ad bonam Reipub. formam constituendam, quam ii, qui sunt nimium pauperes?

Quia tempore belli possunt non solùm ex propriis suis facultatibus arma sibi comparare, et se ad bel-

lum gerendum instruere: ita ut civitas neque arma illis cogatur suppeditare, neque stipendia solvere: sed etiam possint civitati in sumptibus bellicis faciendis, et comparando commeatu aliisque rebus necessariis auxilio et adjumento esse.

CAPUT XII.

Quæ forma Reipub. cuique civitati maxime est conveniens?

PRO hujus quæstionis declaratione Aristoteles præmittit tria præcepta, quæ in constituenda bona Repub. quoque sunt observanda.

Quod est primum præceptum?

Ad constituendam bonam Rempublicam, quæ diu possit in suo statu conservari, plurimùm confert, ut ea pars civium, quæ Rempubl. salvam esse cupit, sit potentior, quàm ea quæ præsente statu et forma Reipub. non est contenta.

Quod est alterum præceptum?

Ληπτιον δη πρωτον περι πασων.

In constituenda bona Repub. in civitate duo sunt consideranda: *Primùm*, quantitas, το ποσον, hoc est, multitudo seu numerus civium: et magnitudo seu amplitudo urbis. *Deindè*, Qualitas, το ποιον, hoc est, qualibus bonis sint instructi ii, qui tàm inhabitant, videlicet quâ virtute, doctrinâ, nobilitate, quibus etiam opibus et divitiis, quibus denique auxiliis et præsidiis sint instructi: quoniam in omnibus felicitatibus cernitur et consistit.

Quod est tertium præceptum?

Omnia hæc quæ jam dicta sunt, sunt inter se comparanda: ut per hanc comparationem cognoscatur, quinam cives sint vel numero et potentia, vel virtute, nobilitate, libertate, divitiis, et aliis rebus superiores aut inferiores.

Quæ igitur civitas maxime apta est ad Democratiam?

Ὅπου μεν ουν υπερεχει το.

In qua populus sua libertate magis superat divites et nobiles, quàm hi suâ nobilitate et divitiis suis possint populum superare.

Quæ accommodata est ad Oligarchiam?

In qua nobiles et divites suâ nobilitate et suis divitiis reliquos magis superant, quàm ipsi ab his superantur. Ὁπου δε το των ευπορων.

Quæ ad Aristocratiam?

In qua virorum bonorum virtus longè superat vel paucorum nobilitatem aut divitias, vel populi libertatem et multitudinem, quàm hi ab illis superantur.

Quæ ad Politiam specialiter dictam?

In qua cives, qui mediocres habent facultates numero superant reliquos duos ordines civium, vel utrosque simul, vel alterutrum eorum. Tales autem ideò ad bonam Rempub. constituendam magis sunt idonei, quàm nimium pauperes: quia tempore belli possunt non solùm de suis propriis sumptibus arma emere: sed etiam pro patria militare: ne civitas cogatur ipsis de publica pecunia stipendia solvere: ut in sequente capite Aristoteles indicat. Ὁπου δε το των μεσων υπερτεινει.

CAPUT XIII.

Quot modis solet interdum nova forma Reipub. in civitatem aliquam introduci?

DUOBUS præcipuè modis. Vel enim hoc fit apertè et rectè: vel occultè et clàm, seu obliquè. Apertè rursum fit duobus modis: vel per vim, invitis et repugnantibus civibus: veluti per hostes aut seditiosos homines, aut per Tyrannum aliquem post expugnatam urbem. Vel fit sine violentia, legitima quadam ratione: quando consentientibus civibus veteres leges abrogantur: et in earum locum novæ leges substituuntur, atque recipiuntur. Occultè verò et clàm hoc solet fieri ignorantibus civibus, per eos qui dominatum affectantes solent callida quædam consilia excogitare, per quæ existimant se posse sibi paulatim aditum patefacere, ad stabiliendam suam potentiam, et occupandam Rempublicam. Ανανκη γαρ χρονῳ ποτε εκ των ψευδων αγαθων, αληθες συμβηναι κακον· Nam necessario ex falsis bonis aliquando tamen verum existit malum, cap. præc.

Quomodo appellantur ab Aristotele in hoc loco ista fraudulenta consilia?

Σοφισματα και κατασκευασματα πολιτικα à Cornelio Tacito nominantur Arcana Reipub. quia non ab omnibus animadvertuntur, aut intelliguntur: in re militari vocantur Stratagemata. Vulgò appellantur προφασεις, id est, prætextus: item, τεχναι, artes, doli, fraudes, &c.

Quotuplicia sunt illa?

Duplicia: Oligarchica, et Democratica.

Quæ vocantur Oligarchica?

Oligarchica sunt, quibus ii, qui Oligarchiam, hoc est, paucorum dominatum, in Repub. aliqua affectant, uti solent ad decipiendum populum, ne ipsorum propositum animadvertatur, aut impediatur.

Quæ sunt autem illa, circa quæ solent tales populum decipere?

Εστι δ' όσα προφασεως χαριν.

Quinque. *Primùm,* circa conciones seu publicos conventus, in quibus de Reipub. negotiis est deliberandum et statuendum, περι τας εκκλησιας. *Deindè,* circa magistratus, hoc est, electionem magistratuum, quando novi magistratus sunt eligendi, περι τας αρχας. *Tertiò,* circa judicia, quando exercenda sunt publica judicia, περι τα δικαστηρια. *Quartò,* circa arma, et armorum usum atque tractationem, περι τα όπλα, και την όπλησιν. *Quintò,* circa alia publica civium exercitia, περι γυμνασιαν.

Quomodo autem populus circa ista ab Oligarchicis decipitur?

Quando divites coguntur talibus conventibus interesse sub mulcta aliqua pecuniaria: pauperibus autem impunè licet adesse, vel non adesse. Hinc autem fit, ut divites sint frequentiores in ejusmodi publicis actibus: pauperes verò sint rariores. Hinc autem fit, ut propter absentiam pauperum et plebeiorum divites majorem habeant occasionem aliquid decernendi et statuendi, quod ad ipsorum auctoritatem et potentiam amplificandum videbitur pertinere.

Quæ vocantur Democratica σοφισματα?

Democratica σοφισματα dicuntur callida inventa, quibus populus in Democratia utitur, ad stabiliendam suam auctoritatem, et potentiam adversus nobiles et divites.

Quæ sunt talia?

Sunt prioribus contraria: quando nimirum civibus pauperibus, qui publicis concionibus, judiciis, et aliis conventibus intersunt, aliquod præmium datur pro compensatione eorum, quæ per illud tempus domi in laboribus suis neglexerunt. A divitibus verò propter absentiam nulla mulcta aut pœna exigitur. Hinc enim fit, ut divites talibus conventibus rarò intersint: eò quòd impunè illis licet abesse. Contrà verò pauperes frequentiores veniant propter spem præmii, quòd indè accepturi sunt. Atque hac ratione pauperes propter divitum absentiam faciliùs possunt decernere ea, quæ ad conservandam Democratiam videbuntur pertinere. Εν δε ταις δημοκρατιαις.

CAPUT XIV.

DE SENATU.

Quot sunt primariæ partes, quæ Legumlatori et Politico in constituenda Repub. præcipuè sunt considerandæ?

TRES, videlicet Senatus seu Consilium, ἡ βουλη: Magistratus, ἡ αρχη: et Judicia, τα δικαστηρια. Εστι δε των τριων τουτων.

Quare hæ tres partes dicuntur esse primariæ partes Reipublicæ?

Propter duas causas. *Primùm*, quia ex earum bona vel mala constitutione existit vel salus, vel interitus Reipub. *Deinde*, quia ex varia et diversa constitutione, etiam variæ et diversæ existunt Rerumpublicarum formæ, quemadmodum suprà, c. 1. et 3. ostensum est.

Quid est Senatus?

Senatus est ea pars Reipublicæ, cui commissa est consultatio et deliberatio, de rebus communiter ad Κυριον δ' εστι το βουλευομενον.

Rempub. pertinentibus. Ἡ βυλη ες̓ι μερος της πολιτειας το βυλευομενον περι των κοινων. Atque hæc pars dicitur esse το κυριον της πολεως, id est, habere summam potestatem in civitate.

Quod est officium Senatus?

Officium Senatus est, βυλευεσθαι περι των κοινων, consultare et deliberare de iis, quæ communiter ad totam civitatem et Rempub. pertinent.

Quæ sunt præcipua capita eorum, de quibus plerunque consultatio suscipitur?

Εισι δε οἱ τροποι τυ παντως πλειυς.

Aristoteles hoc loco octo enumerat: 1. De bello et pace. 2. De societatibus et fœderibus vel faciendis, vel rumpendis. 3. De legibus ferendis aut abrogandis. 4. De morte et suppliciis. 5. De exilio. 6. De publicatione bonorum. 7. De creandis magistratibus. 8. De cognoscendis et repetendis rationibus eorum, quæ in Magistratu gesta sunt.

Nota. Aristoteles in lib. 1. Rhetor. c. 4. enumerat quinque capita, seu κρισεις de quibus plerunque solet suscipi consultatio in civitatibus. 1. De vectigalibus et reditibus civitatis. 2. De jure belli et pacis. 3. De defensione regionis. 4. De rebus importandis et exportandis. 5. De ferendis legibus.

Quæ sunt circa consultationem consideranda?

Tria: *Primùm* personæ, quæ adhibentur ad consultationem. *Deindè* res sive negotia, quæ veniunt in consultationem. *Tertiò* modi deliberandi.

Quæ in his notanda est varietas?

Etiam triplex: partim quoad personas, partim verò quoad res ipsas, partim denique quoad modum deliberandi attinet. Nam quod ad personas deliberantium attinet: vel licet omnibus civibus publicis deliberationibus interesse, vel tantùm aliquibus. Deindè quod ad res ipsas attinet: vel licet de omnibus negotiis ad Rempub. pertinentibus deliberare, et statuere, vel tantùm de aliquibus.

Quot hinc Aristoteles colligit modos consultandi?

Tres. *Unus* est planè Democraticus, in quo om-

nibus civibus permissum est de Reipublicæ negotiis omnibus deliberare, et sententiam dicere. *Alter* modus est planè Oligarchicus, in quo tantùm paucis concessum est de Reipub. negotiis deliberare et statuere. *Tertius* modus est Aristocraticus et Politicus: quando paucis aliquibus prudentioribus et melioribus permissum est, de Reipub. negotiis consultare et statuere. Singuli autem hi modi habent adhuc quasdam alias differentias: de quibus consulatur textus Aristotelicus.

Quot sunt præcepta circa electionem eorum, qui deliberationibus interesse debent, observanda?

Duplicia ea sunt: quædam Democratica: quædam Oligarchica. Συμφερει δε δημοκρατιᾳ τι.

Quæ vocas Democratica?

Quæ pertinent eò, partim ut populus frequentius concionibus et publicis consultationibus intersit: partim etiam ne divites et nobiles existiment se ab illis deliberationibus esse exclusos.

Quot sunt talia?

Tria. Primùm, Divitibus et Nobilibus propter absentiam pœna aliqua pecuniaria est constituenda: pauperibus verò præsentibus præmium aliquod proponendum.

Alterum, ex utroque ordine tàm divitum, quàm pauperum æqualiter deligendi sunt, sive per electionem, sive per sortem, qui ejusmodi deliberationibus debent interesse. Sic enim neutra pars poterit conqueri, se ab altera parte numero suffragiorum fuisse superatam.

Tertium, si multò plures sunt pauperes in civitate, quàm divites, aut mediocres: tùm vel non omnibus pauperibus præsentibus præmium est dandum: vel per sortem removendi sunt ii, qui excedunt numerum divitum: ut utrinque pares numero existant, qui deliberaturi sunt.

Quæ præcepta vocas Oligarchica?

Quæ Oligarchicis observanda sunt, ad præcaven- Εν δε ταις

ολιγαρχιαις. dam offensionem populi, ne existimet, se planè à deliberationibus publicis esse exclusum.

Quot sunt talia?

Quatuor. Primùm, Oligarchici debent aut ex populo sibi aliquos adjungere tanquam socios consultationis: aut negotium priùs diligenter inter se ipsos privatim examinare et deliberare, antequam de eo velint populi sententiam rogare.

Alterum, Oligarchici debent populo potestatem facere, ut vel approbet eorum decreta: aut si aliquid velit mutare, tamen nihil contrarium statuat.

Tertium, Oligarchici debent quidem potestatem populo facere, ut possit deliberationibus interesse, et sententiam suam dicere: concludendi verò deliberationem, potestatem sibi reservare. Συμφερει μεν συμβουλης μεταδιδοναι πασι, βουλευεσθαι δε τους αρχοντας.

Quartum, in Oligarchia potestas quidem absolvendi permittenda est populo: condemnandi verò potestas reliquenda est Magistratui.

CAPUT XV.

DE MAGISTRATIBUS.

Quid est Magistratus?

Εστι δε ουδε τουτο διορισαι ραδιον. VOCABULUM Magistratus communiter et latè acceptum, significat omnem eum, qui est cum potestate: ut ait Ulpianus. In hac significatione olim Romæ magistratus nomine habebantur Dictatores, Consules, Censores, Ædiles, Tribuni plebis, Quæstores, et alii similes. Πολλων γαρ επιστατων η πολιτικη κοινωνια δειται· Multis namque præfectis opus habet civilis societas. Cùm verò propriè accipitur, tunc dicitur esse is, qui habet jus consultandi, judicandi, et imperandi.

Quæ est præcipua et maxime propria nota Magistratus?

Jus habere imperandi: nam per hanc notam discernitur Magistratus ab omnibus aliis præfecturis

et procurationibus, ἀπὸ των ἀλλων ἐπιμελειων, quæ nullum habent imperium.

Recita verba Aristotelis de hac definitione?

Τας ἀρχας μαλιστα λεκτεον ταυτας, ὅσαις ἀποδεδοται βουλευσασθαι τε περι τινων, και κριναι, και επιταξαι· και μαλιστα τουτο· το γαρ επιταττειν αρχικωτερον εστιν· Hi maxime dicendi sunt Magistratus, quibus jus est de quibusdam et deliberandi, et judicandi, et imperandi: et hoc quàm maxime: imperare namque magistratus est magis proprium.

Suntne plures Magistratus in civitatibus?

Quoniam multa et varia sunt negotiorum genera in civitatibus, præsertim majoribus, et administranda et perficienda: ideò etiam plures requiruntur επισταται, hoc est, Præfecti, per quos illa gubernantur: qui omnes communi nomine, ut anteà dictum est, possunt Magistratus appellari: ex quo manifestum est plures in civitatibus esse Magistratus, eorumque species.

Quomodo differunt επιμελειαι et ἀρχαι, hoc est, procurationes et magistratus?

Επιμελειαι, propriè dicuntur functiones et procurationes negotiorum in civitate: absque publica auctoritate et potestate imperandi. Αρχαι autem, id est, Magistratus dicuntur functiones publicorum munerum, conjunctæ cum auctoritate et potestate imperandi.

Quotuplices sunt επιμελειαι?

Multiplices, pro publicorum negotiorum varietate. Enumerantur autem hoc loco ab Aristotele quatuor eorum præcipuæ differentiæ. Quædam enim sunt ἱερατικαι, sacræ: quæ pertinent ad divini cultus administrationem: aliæ sunt πολιτικαι, civiles, quæ in civitatis negotiis sunt occupatæ: aliæ πολεμικαι, quibus negotia bellica sunt commissa: aliæ sunt οικονομικαι, domesticæ, quæ versantur circa rem familiarem: aliæ sunt ὑπηρετικαι, administræ: quæ tantùm ad exequenda publica mandata referuntur: ut sunt magistratuum ministri.

Εισι δε αἱ μεν πολιτικαι των.

Dixisti plures esse in civitatibus magistratus: enumera aliquas eorum differentias et species?

Ποιαι δ' αι αρχαι, και ποσαι αναγκαιαι.

Magistratus pro varietate circumstantiarum etiam variis modis distinguuntur. Nam primùm ratione Temporis. Magistratus alii dicuntur perpetui, qui ad dies vitæ alicui conceduntur: alii temporarii, qui solum ad certum aliquod tempus conceduntur: et ex his alii sunt πολυχρονιοι, id est, longi temporis: qui prorogantur in duos, tres, aut plures annos: alii sunt ολιγοχρονιοι, brevioris temporis, ut annui, menstrui, semestres, trimestres, &c. Hùc referri quoque potest hæc distinctio: quod aliqui magistratus tantum semel alicui demandantur: aliqui verò sæpiùs eidem conceduntur, sed per intervalla temporis. Και βελτιον ἑκαστον εργον τυγχανει της επιμελειας μονοπραγματουσης, η πολυπραγματουσης· Et præstat ut singula opera suam quidque unam habeat curationem.

Αρμοττει δε και τουτο μη.

Deindè ratione Loci. Magistratus alii dicuntur Urbani, et Suburbani, alii Municipales, alii Provinciales.

Και κατα τας πολιτειας δε.

Tertiò ratione Personarum. Qui Magistratu funguntur, alii sunt optimates, ut in Aristocratia: alii Nobiles et divites, ut in Oligarchia: alii plebii, ut in Democratia: alii ex omnibus ordinibus mixti, ut in Politia specialiter sic nominata.

Quartò, ratione Electionis trifariam distinguuntur primùm enim eliguntur vel ex omnibus civium ordinibus: vel ex certo aliquo ordine. Deinde eliguntur vel ab omnibus civium ordinibus: idque vel simul, quando omnes sunt congregati, vel seorsim ανα μερος, per singulas tribus, vel à certo aliquo ordine eorum, qui ad electionem sunt deputati. Tertiò eliguntur vel per sortem, et nominantur κληρωτοι: vel per suffragia, et appellantur αἱρετοι. Ex istorum modorum combinatione, plures existunt modi electionis: quemadmodum in sequenti capite ostenditur.

Quintò, ratione Imperii et potestatis quam habent: Magistratus alii habent plenum imperium in tota civitate et in omnes cives: alii verò habent cir-

cumscriptum et limitatum imperium, in certa aliqua parte civitatis: et in certos civium ordines: ut sunt *αγορανομοι*, id est, quibus cura fori et rerum venalium est commissa: ita *παιδονομοι*, id est, quibus disciplina puerorum est commissa. Hinc etiam extat Juriscons. distinctio: qui dicunt Magistratus alios esse Majores, alios verò Minores.

Sextò, ratione Formarum Reipub. Magistratus alii sunt communes omnibus Rerumpub. formis: ut Consulatus, Ædilitas, Quæstura: alii conveniunt certis Rerumpub. formis: veluti Aristocratiæ convenit Magistratus, qui ex optimatibus constat: Oligarchiæ, qui ex nobilibus et divitibus: Democratiæ, qui ex plebiis.

Septimò, ratione Necessitatis. Magistratus alii dicuntur esse necessarii ad constituendam aliquam Rempub. sine quibus non potest civilis societas in civitate diu salva consistere: ut sunt præfecti judiciorum, concionum, legum, publicæ disciplinæ. Alii dicuntur esse honorarii, et utiles ad honestandam et condecorandam civitatem: ut sunt præfecti gymnasiorum, spectaculorum, ludorum, et similium rerum: qui licet in parvis civitatibus non sint necessarii, tamen magnis civitatibus adferunt ornamentum. De his infra, libro sexto, cap. 8.

Postremò, etiam hæc distinctio notanda est: quòd Magistratus interdum singulis et certis quibusdam personis demandantur: et quemadmodum fieri solet in magnis civitatibus, in quibus propter frequentiam civium plures reperiuntur, qui ad ejusmodi publicorum negotiorum administrationem sunt idonei. Interdum verò plures magistratus uni, aut paucis aliquibus solent mandari: ut in parvis civitatibus, in quibus propter *ολιγανθρωπιαν*, id est, paucitatem civium, etiam pauciores haberi possunt, qui ad varia ejusmodi publica officia administranda sunt idonei, *οιον οβελισκολυχνια*, tanquam verulucernæ.

Nota. *Οβελισκολυχνιον*, ac si dicas verulucernium, esse lucernam obelisco præfixam, qualis est qua prælucere solent viatoribus nocturnis, qua et ad

illustrandam viam et adversus hostilem impetum uti licet.

CAPUT XVI.

Quot sunt consideranda circa electionem Magistratuum?

TRIA circa electionem et creationem magistratuum sunt consideranda: quæ ab Aristotele hoc loco ὁροι της καταστασεως των αρχων nominantur. *Primùm,* inquit, considerare oportet τινες οἱ καθισταντες τας αρχας: quinam sint illi, penes quos est potestas eligendorum magistratum. *Deindè* εκ τινων, ex quibus, hoc est, ex quo ordine civium magistratus sint sumendi et eligendi. *Tertiò* τινα τροπον, qua ratione, seu πως, quo pacto sint eligendi vel creandi: utrum per sortem, an verò per suffragia, an per utrumque partim per sortem, partim per suffragia.

Quomodo autem distinguuntur hi modi eligendi magistratum?

Secundum formas Rerumpub. Alii enim sunt Democratici, alii Oligarchici, alii Aristocratici, alii Politici.

Enumera præcipuos modos singularum formarum?

Τουτων δ' αἱ μεν δυο καταστασεις. Democratici modi sunt quatuor: quorum præcipuus est: quando electio est penes omnes: qui ex omnibus civibus eligunt magistratum, vel per sortem, vel per suffragia, vel utroque modo.

Και το τινας εκ παντων. Το δε εκ τινων αἱρεισι παντας. Oligarchici etiam sunt quatuor: quorum præcipuus est: quando electio magistratuum est solùm penes aliquos paucos nobiles vel divites: qui eligunt vel ex omnibus nobilibus et divitibus, vel solùm ex aliquibus.

Aristocraticus modus est, in quo electio fit solùm ex paucis aliquibus, nempè veris bonis.

Το δε μη παντας ἁμα μεν καθιστασι. Politici modi etiam sunt quatuor: ex quibus præcipuus est: quando electio est solùm penes aliquos: qui eligunt vel ex omnibus ordinibus, vel solùm ex aliquibus eos, qui sunt cæteris virtute superiores. Electionem quoque faciunt vel per sortem, vel suffragia, vel utroque modo.

CAPUT XVII.

DE JUDICIIS.

Quid est Judicium.

JUDICIUM, Κρισις, est legitima et justa alicujus civilis causæ aut controversiæ disceptatio, cognitio, et dijudicatio.

Quare Judicia necessaria sunt in civitatibus?

Quia Judicia sunt nervi legum et disciplinæ, sine quibus nulla esset legum vis atque auctoritas: nullaque civitas aut Respub. diu salva et incolumis consistere posset.

Quot sunt hoc loco consideranda?

Eadem illa tria, de quibus in præcedente capite de Magistratuum constitutione dictum est: *primùm* scilicet personæ, ex quibus judicia et judices constant: utrum ex omnibus, an verò tantùm ex aliquibus sint sumendi. *Deinde*, res ipsæ quæ conveniunt in judicium, et de quibus est judicandum. *Tertiò*, modus partim eligendi judices partim judicandi de re proposita.

Quot Aristoteles hoc loco species judiciorum enumerat?

Octo: ex quibus prima species est περι των ευθυνων, hoc est, de reddendis rationibus gesti magistratus: quale etiam fuit judicium repetundarum apud Romanos.

Πρωτον εν διαιρεισθω, ποσα.

Altera species judiciorum est de peculatu: adversus eos, qui non bonâ fide publicam pecuniam tractassent.

Tertia species est, de crimine læsæ majestatis, vel perduellionis.

Quarta species est περι ζημιωσεων, de pœnis et mulctis.

Quinta species est de privatis contractibus, quorum magna est summa.

Sexta species est de privatis contractibus, quorum exigua est summa, veluti unius, duarum, aut paulò plurium drachmarum.

Septima species de Cæde seu Homicidio admisso, cujus enumerat hoc loco quatuor species: una voluntaria, εκ προνοιας: altera non voluntaria, ακουσιος: veluti per imprudentiam aut coactionem. Tertia, quæ jure defenditur. Quarta est de ea cæde, propter quam aliquis initio quidem aufugit, et ad tutiorem aliquem locum se contulit: posteà verò petit sibi concedi reditum ad se purgandum. Συμβαινει δε τα τοιαυτα εν τῳ παντι χρονῳ ολιγα, και εν ταις μεγαλαις πολεσι· Talia autem etiam in magnis civitatibus perpauca ex omni tempore accidunt.

Octava species judiciorum pertinet ad peregrinos: cujus facit duas species: una est, in qua peregrini cum peregrinis litigant: altera, in qua peregrinus cum sive controversiam habet.

Quām prætereà judiciorem distinctionem Aristoteles in hoc capite adfert?

Judicia etiam distinguuntur secundum formas Rerumpublicarum. Sunt enim quædam Democratica, quædam Oligarchica, quædam Aristocratica.

Quæ vocantur Democratica?

Τουτων δε τα μεν πρωτα. Democratica judicia sunt, in quibus ex omnibus civibus judices sunt delecti: quibus etiam licet de omnibus controversiis et causis judicare.

Quæ dicuntur Oligarchica?

Oligarchica judicia sunt, in quibus judices delecti sunt ex certo aliquo ordine civium, nempè nobilium aut divitum: qui etiam potestatem habent judicandi de omnibus causas.

Quæ sunt Aristocratica?

Aristocratica judicia sunt, in quibus judices partim ex omnibus, partim ex quibusdam civibus: nempè ex viris bonis et prudentioribus sunt delecti.

Quot sunt modi eligendi Judices?

Αναγκη δ' ητοι παντας περι παντων. Duo: Vel enim Judices eliguntur per suffragia, et dicuntur αιρετοι: vel eliguntur per sortem, et vocantur κληρωτοι. Omnes autem rursum eliguntur vel promiscuè ex universo numero civium: vel separatim ex certo aliquo ordine civium: ut ex

nobilibus, aut divitibus, aut optimatibus, aut plebeiis.

Quod ad modum judicandi attinet, quæ est notanda varietas?

Triplex circa modum judicandi est varietas. Primùm enim, vel omnes judicant, vel solum aliqui. Deinde, vel judicant de omnibus controversiis, vel solùm de aliquibus. Tertiò, vel judicant per suffragia, vel per sortem, vel utroque modo simul, partim per suffragia, partim per sortem.

LIBER QUINTUS.

Quod est argumentum, et quæ sunt partes Quinti Libri Politicorum Aristoteles?

QUEMADMODUM Aristoteles in præcedentibus libris præcipuè exposuit, quibus rationibus et modis civitates atque Respublicæ sint constituendæ: ita in hoc libro incipit ostendere, quibus rationibus civitates et Respublicæ jam constitutæ possint vel in suo statu conservari, vel iterum mutari aut omninò corrumpi. Potest autem commodè hic Liber distribui in quatuor partes. Nam in *prima parte* usque ad octavum caput, exponit causas tàm generales et communes, quàm speciales et proprias mutationis earum Rerumpub. quæ à pluribus quàm ab una administrantur: veluti sunt hæ tres formæ, Democratia, Oligarchia, et Aristocratia. *Deinde* in altera parte, hoc est, in octavo et nono capite, exponit causas conservationis trium prædictarum formarum. In *tertia* autem parte hoc est: in decimo et undecimo capite peculiariter agit de causis mutationis Monarchiarum, hoc est Regni et Tyrannidis. His *quarto* et postremo loco circa finem libri annectit refutationem Platonicæ opinionis de causa mutationis Rerumpublicarum.

CAPUT I.

Quid est μεταβολη της πολιτειας?

Περι μεν των αλλων.

MUTATIO, vel ut Cicero nominat, conversio Reipub. est, quando forma administrationis alicujus Reipub. mutatur in aliam formam: veluti cum popularis gubernatio mutatur in Regiam gubernationem: aut hæc in Tyrannidem, aut in aliam aliquam formam.

Quæ circa hanc μεταβολην consideranda?

Tria. *Primùm*, quo pacto affecti sint ii, qui statum alicujus Reipublicæ mutare cupiunt. *Deinde*, cujus rei gratia, id est, propter quem finem hoc faciant. *Tertiò*, quæ causæ eos plerunque soleant impellere. De his Aristoteles in sequente capite sic scribit: δει γαρ λαβειν πως τε εχοντες στασιαζουσι· και τινων ἑνεκεν· και τριτον τινες αρχαι γινονται των πολιτικων ταραχων, και προς αλληλους στασεων· Statuendum namque est, et quomodo affecti seditiones moveant, et quarum rerum causa, et quod est tertium, quæ civilium motuum et seditionum inter se sint principia.

Quomodo igitur affecti sunt, qui statum Reipub. conantur mutare?

Omnes quidem videri volunt se amare et quærere æqualitatem: inæqualitatem verò odisse et aversari. Sed quia non omnes æqualitatem illam eâdem re atque eodem modo æstimant: indè fit, ut ex illæ opinionum diversitate inter ipsos cives exoriantur dissensiones: per quas Respub. facilè perturbantur et mutantur.

Quæ est illa diversitas circa æqualitatis æstimationem?

Primùm, Æqualitatem æstimant alii libertate, alii opibus et divitiis, alii nobilitate et generis splendore: alii honore, alii virtute, alii aliis rebus. *Deinde* reperiuntur aliqui, qui quoniam in una aliqua re cæteris sunt æquales aut superiores: volunt etiam in omnibus aliis rebus illis haberi æquales aut su-

periores. (Το γαρ πλειον ανισον· Quod enim plus, est impar.) Exempli gratia, In Democratia quoniam omnes cives libertate sunt æquales, existimant quoque æqualiter sibi deberi imperium in civitate, sive apti sint ad imperandum sive inepti. In Oligarchia, quia pauci aliqui divitiis aut nobilitate sunt cæteris superiores: existimant se etiam superiores esse iis, qui virtute, doctrinâ, prudentiâ, aut aliis bonis excellunt. Ἡκιστα δε στασιαζουσιν οἱ κατ' αρετην διαφεροντες· μαλιστα γαρ ευλογον ανισους ἁπλως ειναι τουτους μονον· Minimè vero seditiones movent, qui virtute superant. Nam rationi maxime est consentaneum, hos tantum esse impares omnino.

Quæ est igitur præcipua causa mutationis Rerumpublicarum?

Ea maxime ex ejus contrario intelligi potest. Quemadmodum enim το δικαιον κατ' αναλογιαν ισον· Id est, Jus quod consistit in æqualitate analogica est præcipua causa, conservans Respub. teste Aristotele, lib. 5. Ethic. c. 5. Ita etiam το ανισον παρα την αναλογιαν, inæqualitas contrà analogiam est præcipua causa, per quam Respublicæ mutantur et corrumpuntur. Παντα χου δια το ανισον ἡ στασις· Ubique propter inæqualitatem oritur seditio.

Δει δε πρωτον ὑπολαβειν την αρχην.

Quot modis spectatur ista æqualitas?

Duobus modis: τῳ αριθμῳ και ἁπλως, numero et simpliciter, citrà ullum respectum personarum, secundum proportionem Arithmeticam, vel τῳ λογῳ, id est, certa aliqua ratione κατ' αξιαν, secundum dignitatem et respectum personarum, aliarumque circumstantiarum, juxta proportionem Geometricam: per quam, teste Platone, civitates maxime in tranquillo suo statu possunt conservari.

Ὁλως γαρ το ισον ζητουντες στασιαζουσιν.

Quando propter æqualitatem existunt in civitate offensiones inter cives?

Quando ii, qui existimant se æquales esse iis, quibus plura tribuuntur, minus accipiunt.

Quando propter inæqualitatem offenduntur?

Quando ii, qui existimant se superiores et excel-

lentiores aliis esse: tamen non plus, sed vel æqualia cum illis, vel etiam minus quàm illi accipiunt.

Quot sunt modi της μεταβολης των πολιτειων?

Διο και αἱ μεταβολαι γιγνονται.

Aristoteles quatuor modos recenset, eosque exemplis declarat. Primus modus est, quando tota forma Reipub. mutatur in aliam vel ab illa diversam, vel planè priori contrariam: ut cum ex Aristocratia fit Oligarchia: aut ex Regia gubernatione fit Tyrannicum imperium.

Quis est alter modus?

Quando forma quidem Reipublicæ non mutatur in contrariam aut diversam: sed solùm aliqui à gubernatione removentur: et alii seipsos in eorum locum intrudunt, et gubernationem ad se pertrahunt.

Quis est tertius modus?

Quando eadem quidem Reipub. forma manet sed ea vel magis intenditur, vel remittitur: ut cum ex moderata et tolerabili Oligarchia, fit Oligarchia magis intensa et dura, adeò ut propè accedat ad quandam potentiam Tyrannicam, aut herilem dominatum. Item cùm ex moderata Democratia fit pessima Democratia, in qua est summa omnium licentia, et quædam quasi αναρχια.

Quis est quartus modus?

Quando solum pars aliqua Reipub. mutatur: ut quando magistratus aliquis aut mutatur, aut planè abrogatur, et novis introducitur. Quemadmodum apud Lacedæmonios Theopompus, ut Cicero scribit, introduxit magistratum Ephororum: quem tamen posteà Pausanias rex iterum sustulit, cum vidisset Ephoros suâ potentiâ nimium abuti.

OBSERVATIO.

Aristoteles hos modos mutationis Rerumpub. infrà, in cap. 7. contrahit in duo: inquiens, Omnes Respub. mutantur vel in eam formam, ad quam magis inclinant, hoc est, in sibi vicinam formam: vel in contrariam.

Quæ formæ Rerumpub. magis aut minus sunt obnoxiæ mutationibus?

Διο και

Aristocratiæ et Politiæ, specialiter sic appellatæ,

omnium minimè obnoxiæ sunt mutationibus: Democratiæ autem rariùs: Oligarchiæ verò frequentissimè.

μαλιϛα δυο γινονται πολιτειαι.

Quare Aristocratiæ et Politiæ minus sunt obnoxiæ mutationibus?

Hujus rei tres adferuntur ab Aristotele causæ. *Prima* est, quia Aristocratiæ nituntur firmissimo fundamento, nempè bonorum virorum virtute: quæ ut ipsa per se et suâ naturâ est firma et stabilis: ita etiam qui ea præditi sunt, in proposito suo honesto sunt firmi et stabiles, et adhorrent à mutationibus et seditionibus. Unde vir bonus comparatur lapidi quadrato, 1. Eth. 10. *Deinde,* quia virorum bonorum exiguus est numerus, ideò non est eorum magna potentia: ευγενεις γαρ και αγαθοι ουδαμυ εκατον· Nobiles namque et boni nusquam centum, ac propterea non facilè audent aliquid moliri adversus reliquos, qui numero et viribus longè illis sunt potentiores. Atque hæc raritas bonorum virorum etiam est causa, quamobrem tàm raræ sint in civitatibus Aristocratiæ. *Tertiò,* quia bonæ Politiæ ut plurimùm constant ex civibus mediocribus: qui contenti sunt suâ sorte, et minùs laborant apud cæteros cives invidia, neque sunt ambitiosi: atque ideò suprà, lib. 4. cap. 11. dictum est, Eam civitatem, quæ constat ex mediocribus esse ατασιαϛοι.

Quare Democratiæ etiam interdum, sed tamen rarius quam Oligarchiæ, solent mutari?

Hujus rei Aristoteles tres adfert causas. *Prima* communiter pertinet ad utramque formam, quia nimirum ab initio malè fuerunt constitutæ: et sic malo nituntur fundamento. Undè non mirum est, eas non esse stabiles et diuturnas. Αδυνατον απο τυ πρωτυ και τυ εν αρχῃ ἡμαρτημενυ, μη ἀπανταν εις το τελος κακον τι· Fieri nequit, quin ex peccato in principio facto ad malum aliquem finem perveniatur. *Altera* causa est, quia Democratia magis similis est bonæ Politiæ, quàm sit Oligarchia. Nam plures sunt in ea cives, qui mediocres habent facultates, et qui

Διο δει τα μεν αριθμητικη ισοτητι χρησθαι.

possunt capaces esse publicorum honorum et magistratuum, quàm Oligarchia: in qua paucis aditus patet ad publicos honores: et plerique sunt aut admodum divites, aut extremè pauperes. *Tertia* causa est, quia in Democratia inter se non nisi ob res leves solent dissidere: in cæteris verò rebus, quæ ad statum Reipub. pertinent, ut plurimùm sunt concordes: omnes enim æquè sunt libertatis amantes, quam etiam pari studio conantur tueri. Propter has causas etiam Aristoteles in præcedente libro, cap. 11. scripsit: *αἱ δημοκρατιαι ασφαλεϛεραι των ὀλιγαρχιων εισι και πολυχρονιωτεραι.*

Quare Oligarchiæ frequentes patiuntur mutationes?

Εν μεν και ταις ολιγαρχιαις. Propter duas causas. *Primùm,* quia ipsi Oligarchici ambitione laborantes, frequenter inter se dissident, et de Primatu in Repub. contendunt. *Ελαττυς γαρ οντες, ὁπως ισοι ωσι, ϛασιαζυσι· και ισοι οντες, ὁπως μειζυς·* Nam inferiores seditiones movent, ut sint pares: et pares, ut sint superiores, cap. seq. *Deinde,* quia populus ægrè ferens illorum nimiam potentiam, qua elati efficiuntur petulantes, superbi, et injuriosi adversus alios, sæpè solet se illis opponere: ac cogitat de modis et rationibus, quibus possit eorum jugum excutere, seque iterum in libertatem vindicare.

CAPUT II.

Dixisti de primo capite, nimirum quo animo affecti sunt ii, qui mutationem in Repub. quærunt: Respondet jam de altera, nempè de fine, cujus gratia istud facere soleant?

Περι ὡν δε ϛασιαζυσιν, εϛι κερδος. DUO sunt præcipuè fines, quos cupiunt consequi ii, qui conantur statum alicujus Reipublicæ mutare, et novam ejus formam introducere. *Unus* nominatur *το κερδος η πλεονεξια,* quæstus et avaritia: quem finem sibi propositum habent homines avari, qui ex Reipub. administratione quæstum facere cupiunt, et magis privatum suum commodum, quam publicum bonum quærunt. *Alter* finis nominatur *τιμη,* honor, quem

præcipuè spectant et quærunt homines ambitiosi, quod vitium nominatur Ambitio, φιλοτιμια et κενοδοξια, qua Julium Cæsarem ita laborasse Cic. 3. Offic. scribit: ut sæpiùs in ore habuerit illud Euripidis dictum: Regnandi cupiditate etiam jus violandum esse. Et in 10. lib. Epist. ad Atticum, Ep. 4. de Cæsare et Pompeio loquens, ait: utrique semper patriæ salus et dignitatis posterior sua dominatione et domesticis commodis fuit. De utrisque supra, lib. 2. cap. 7. scribit Philosophus: τα πλειςα των αδικηματων συμβαινει σχεδον τοις ανθρωποις δια την φιλοτιμιαν, και φιλοχρηματιαν. Et Timon, μισανθρωπος, apud Stobæum, Serm. 10. affirmat, την απληςιαν, και φιλοδοξιαν ειναι ςοιχεια των ανθρωπινων συμφορων, h. e. insatiabilem opum et honorum aviditatem principia ac elementa omnium humanarum calamitatum, vide cap. 5. lib. 2.

Quæ sunt autem causæ quæ nonnunquam solent aliquos impellere ad excitandas turbas et seditiones in civitatibus, per quas forma Reipub. potest mutari?

Aristoteles in hoc et sequentibus duobus capitibus quindecim causas recenset, propter quas subditi et cives interdum solent commoveri, ut excitent turbas et seditiones, per quas status et forma alicujus Reipub. interdum solet mutari quas propterea nominat initia et fontes mutationum et seditionum in civitatibus. Αἱ δ᾽ αἰτιαι και αρχαι.

Quæ sunt circa has causas notandæ distinctiones?

Tres distinctiones ab Aristotele indicantur: quarum una est, quod causæ, propter quas formas Rerumpub. mutantur, aliæ possunt esse communes omnibus Rerumpub. formis, aliæ verò sunt peculiares.

Quæ est altera distinctio?

Formæ Rerumpub. mutantur, vel δια βιας και μετα ςασεως, per vim et seditionem: vel δι᾽ απατης και ανευ ςασεως, per dolum et fraudem absque seditione.

Quæ est tertia distinctio?

Aristoteles infrà, capite 7. etiam hanc ponit

distinctionem: quòd formæ Rerumpub. mutantur, vel ἐξ αὐτῶν propter intestina et domestica mala, veluti sunt civium et magistratuum dissensiones, simultates et odia: vel ἔξωθεν, propter externa mala, quæ vel ab hostibus apertè bello, vi, et armis inferuntur: vel à vicinis clàm et occultè sunt metuenda.

CAPUT III.

Explica ordine quindecim illas causas, quas anteà enumerasti?

PRIMA causa quæ seditionis occasionem præbet, est ὕβρις, contumelia, hoc est, contumeliosa civium et subditorum tractatio: quando nimirum ii, qui in magistratu sunt, privatos cives incipiunt contumeliis afficere, existimantes quidvis sibi adversus eos licere: hinc enim subditi irritantur, et cogitant de modis et rationibus, quibus nimiam licentiam et petulantiam suorum præfectorum coërceant: quemadmodum vulgò dicitur, ὕβρις τίκτει τιμωρίαν, contumelia excitat homines ad vindictam. Et Theognis scribit, v. 1099. ὕβρις καὶ Μάγνητας ἀπώλεσε καὶ Κολοφῶνα· Injuria et Magnesios perdidit et Colophonem.

Hinc Aristoteles annectit etiam alteram causam, nempè τὸ κέρδος seu τὴν πλεονεξίαν, quæstum seu avaritiam; quia unà ex altera nascitur: quemadmodum Cicero in Rosciana Oratione ait: Ex avaritia erumpit audacia. Duplicem autem facit πλεονεξίαν: unam, circa privatas possessiones et facultates: alteram circa publica bona, quæ ad civitatem pertinent. De hac causa Cic. lib. 2. Offic. scribit: Nullum vitium deterius est, quam avaritia, præsertim in principibus et Rempublicam gubernantibus: habere enim quæstui Rempub. non modo turpè est, sed sceleratum etiam et nefarium. Itaque quod Apollo Pythius oraculo edidit, teste Cælio, Rhod. lib. 18. ant. lect. c. 5. Spartam nullâ aliâ re nisi avaritiâ esse perituram, idque videtur non solùm Lacedæmoniis, sed etiam omnibus opulentis populis prædixisse.

Tertia causa est, ἡ τιμὴ, ἡ φιλοτιμία, honor, seu ambitio, id est, honorum cupiditas. De hac Cic. in 3. Offic. scribit: In liberis civitatibus regnandi cupiditate nihil deterius, nihil fœdius excogitari potest. Et lib. 1. Offic. maxime adducuntur plerique, ut eos Justitiæ capiat oblivio, cum in cupiditatem honorum inciderint. Hæc autem duplici nomine causam præbet seditionibus: vel enim cives offenduntur, quòd à publicis honoribus sunt exclusi: cum tamen existiment se æquè dignos esse, quibus illi conferantur: vel invident aliis istos honores, quos existimant eis indignos esse.

Quarta causa est ὑπεροχὴ, id est, unius aut aliquorum eminentia: quando tales existimant, se propter virtutis, aut aliarum rerum excellentiam et præstantiam, quâ cæteris omnibus antecellunt, non debere pari jure et iisdem legibus cum cæteris civibus vivere. Tales olim ad certum aliquod tempus è civitatibus relegabantur per Ostracismum: donec didicissent modestiùs de seipsis sentire. De qua relegatione supra, lib. 3. cap. 9. dictum fuit. Huic causæ præclaram subjicit Aristoteles sententiam, quam et supra posuit lib. 3. cap. 9. Βέλτιον ἐξ ἀρχῆς ὁρᾶν, ὅπως μὴ ἐνέσονται τοσοῦτον ὑπερέχοντες, ἢ ἐάσαντας γενέσθαι ἰᾶσθαι ὕστερον· Melius est initio videre, ne tantum alio præstantes in Repub. sint, quam postquam permissi sunt existere, postea mederi.

Quinta causa est, ὁ φόβος, metus. De quo Cicer. lib. 1. Offic. sic scribit: atque ille quidem injuria, quæ nocendi causa de industria inseruntur, sæpè à metu proficiscuntur, cum is qui alteri nocere cogitur, timet, ne si id alteri fecerit, ipse aliquo officiatur incommodo. Et in lib. 2. Offic. ad opes tuendas ac tenendas nihil alienius est quàm timeri: malus enim custos diuturnitatis est metus: atque hoc confirmat auctoritate Ennii, qui dixit: quem metuunt, oderunt: quem quisque odit, periisse expetit. Et paulò post inquit: Nulla vis imperii tanta est, quæ premente metu possit esse diuturna. Dupliciter

autem metus causam seditionibus præbere solet. *Primùm* enim homines improbi et qui sibi conscii sunt suorum malefactorum, cum metuunt ne propter peccata et malas actiones cogantur pœnas dare, aut rationes suorum factorum reddere: turbas movent et seditiones excitant, quibus impediuntur ordinaria judicia, violantur leges, introducitur omnium scelerum licentia, totus denique Reipublicæ status perturbatur: atque hac ratione existimant, se posse effugere suorum scelerum pœnas. Hoc metu, ait Cicero Catilinam impulsum fuisse ad concitandam seditionem. Eodem metu impulsus Pericles, ne scilicet propter publicam pecuniam malè collocatam, in judicium capitis vocaretur, movet bellum Peloponesiacum, quo Athenæ perierunt. *Deinde* metus etiam dicitur causa seditionum, quando una pars sive unus ordo civium metuit, ne ab altera parte sive ordine opprimatur: veluti cum plebeii metuunt, ne à nobilibus et divitibus aliquâ injuriâ afficiantur: itaque malunt prævenire quam præveniri, et eorum quos metuunt potentiam atque vires frangere, ne possint illis nocere.

Sexta causa est, ἡ καταφρονησις, contemptus, quando ea pars civium, quæ potentior est in civitate, contemnit eam partem quæ minus potens est: tunc facilè se adversus hanc solet erigere, ut omninò eam opprimat, quos enim contemnimus, iis parere recusamus.

Septima causa est, ἡ αυξησις παρα το αναλογον, incrementum alicujus ordinis civium in civitate adeò magnum, ut proportione non amplius respondeat cæteris civium ordinibus: neque videatur amplius esse pars seu membrum civitatis. Ὡσπερ γαρ σωμα εκ μερων συγκειται, και δει αυξανεσθαι αναλογον, ἱνα μενῃ συμμετρια· ει δε μη, φθειρεται· οὑτω και πολις· Nam ut corpus constat ex membris, et proportione quadam augeri debet, ut partes et membra inter se respondeant: quod si non, interit corpus: sic et civitas. Unde Plato in lib. 4. de Republica hanc partium

Reipub. compositionem comparat concentui et harmoniæ musicæ in qua si omnes voces æqualiter sunt temperatæ, suavis existit melodia: ita etiam civitates: et Respub. tum optimè se habent, si earum partes seu ordines proportione quadam correspondent. Et Cic. in Catilinaria Oratione 4. ostendit, in concordia trium ordinum, Senatorii, Equestris et Plebeii, salutem Reipub. Romanæ positam esse: quam concordiam quia Gracchus, Catilina et alii perturbarunt: ideò etiam totum statum Reipub. mutàrunt.

Octava causa est, ἡ ἐριθεία, hoc est, utilitas sordida, atque abjecta vitæ conditio eorum, quibus administratio civitatis est commissa: qui videntur magis dedecori quàm ornamento esse Reipublicæ, ac propterea à subditis contemnuntur, tanquam non digni, quibus obedientia sit præstanda. Veluti cum in Magistratum eliguntur homines imperiti, fatui, nimium juvenes, improbi, infamiâ aliquâ laborantes: item homines avari, fœneratores, ebriosi, helluones, caupones, aut ex sordido quæstu victum quærentes, et salsamentarii, cerdones, lanii, mercenarii, bajuli, et alii similes, qui nullam auctoritatem aut dignitatem secum ad magistratum gerendum adferunt. De hac re etiam Patricii conqueruntur apud Livium, Decade prima, quod etiam de infima plebe vilissimi quique irrepserint in magistratum. Hinc Imperator Augustus, ut est apud Suetonium, lib. 2. cap. 35. coactus est magistratum Romanum ab hac facie hominum purgare. Et Cicero in Epistolis ad Atticum conqueritur, se mulionibus in senatu assidere debere.

Nona causa est, ἡ ὀλιγωρία, negligentia seu incuria: quando summi magistratus mandantur iis, quibus salus Reipublicæ non magnæ curæ est: quique præsentem statum ejus non magnopere amant, aut conservare et ad posteros transferre student: sed facilè eum mutari patiuntur. Quod fieri solet, quando in magistratum cooptantur etiam

homines exteri et peregrini, item qui etiam alteri quoque civitati aut principi aliquo juramento sunt obstricti: item qui nullos habent liberos, quos sperent aliquando posse illis succedere: hi enim et similes non admodum curant, qualem post se relinquant Rempub.

Ετι δια το παρα μικρον.

Decima causa vocatur ab Aristotele, το παρα μικρον, id est, modicum seu parum. Quando parva initia futuræ mutationis, aut non animadvertuntur, aut contemnuntur: ὡς εγγυς η μηθεν διαφερον του μηθεν το μικρον· quasi nihil aut propè foret inter parvum et nihil: ex quibus paulatim progressu temporis maximæ mutationes interdum etiam ruinæ et interitus Rerumpubl. solent consequi. Γινονται μεν ουν αἱ στασεις ου περι μικρων, αλλ' εκ μικρων· στασιαζουσι δε περι μεγαλων· Existunt igitur motus non de parvis, sed ex parvis rebus: sunt autem de magnis, cap. seq. Undè etiam extat apud Græcos oraculum, μη παρορᾳν τα παρα μικρον, non negligenda esse parva initia, quibus paulatim fiunt magnæ accessiones. Rectè igitur Ovid. lib. 1. de Remed. Amor. v. 91. præcipit:

Principiis obsta, serò medicina paratur.

Et Aristot. dicto l. Αρχομενων ευλαβεισθαι δει των τοιουτων. ἡ γαρ αρχη λεγεται ἡμισυ ειναι παντος· ὡστε και το εν αὐτῃ μικρον ἁμαρτημα, αναλογον εστι προς τας εν τοις αλλοις μερεσιν· Talibus nascentibus malis occurrendum: Principium enim totius dimidium esse dicitur: quare et parvum in eo peccatum respondet aliis aliarum partium.

Στασιαστικον δε και το μη ὁμοφυλον.

Undecima causa est, ut Aristoteles inquit, δια το μη ὁμοφυλον, hoc est, Quia cives non sunt ejusdem genus et nationis: tunc enim sæpè fieri solet, ut una natio alteram cogitet vel opprimere, vel omninò urbe expellere. Nam diversarum nationum ut diversa est lingua, ita etiam diversi sunt mores et diversa studia: inter tales autem facilè solent existere dissidia et offensiones, quæ causam possunt præbere mutationum in Republica: quod Aristoteles declarat octo exemplis.

Duodecima causa est, ὁ τοπος, και ἡ χωρα της πολεως, locus vel situs urbis: cùm videlicet à natura ita est comparatus, ut videatur non unam sed duas civitates constituere: veluti cum dividitur magno aliquo flumine aut colle: quæ locorum diremptio interdum præbet occasionem seditionibus: maxime cum utrinque potentes familiæ habitant, quæ simultatibus et factionibus inter se laborant. Ὡσπερ γαρ εν τοις πολεμοις αἱ διαβασεις των οχετων, και των πανυ σμικρων, διασπωσι τας φαλαγγας· ὑτως εοικε πασα διαφορα ποιειν διαστασιν· μεγιστη μεν ουν ισως διαστασις, αρετη και μοχθηρια· ειτα πλουτος και πενια· Nam quemadmodum in bellis fossarum, etiam valdè parvarum, intervalla distinent legiones: sic omnis dissimilitudo dissidium afferre videtur: Maximum autem dissidium est virtutis et vitii: deinde divitiarum et paupertatis.

Στασιαζουσι δε ενιοτε αἱ πολεις.

CAPUT IV.

Quid in hoc capite agit Aristoteles?

CAPUT hoc est ejusdem cum præcedente capite argumenti: commemorat enim tres postremas causas, propter quas interdum seditiones et mutationes Rerumpub. in civitatibus solent existere. Est ergò decimatertia causa ἡ στασις των γνωριμων, id est, dissensio eorum, qui præcipui sunt in civitate. Nam principum seu magistratuum dissensiones, totam civitatem involvunt ac perturbant: eamque in diversas factiones et partes distrahunt. De qua re Cicero in lib. 3. de leg. scribit: Magnum malum est, quando principes peccant, quia qualis mutatio eorum in principibus extiterit, eadem quoque soleat subsequi in populo: eò quòd permulti existunt principum imitatores.

Quæ est differentia talium dissensionum?

Principum virorum in Repub. et civitate dissensiones sunt duplices: quædam enim sunt civiles, in quibus utraque pars dissidentium, salutem et incolumitatem Reipub. sibi propositam habet: sed dissimili via et ratione eam quærit: quale dissidium

Cicer. lib. 1. Off. dicit fuisse inter Scipionem Africanum et Q. Metellum: quam dissensionem dicit fuisse sine acerbitate; tale etiam vult fuisse dissidium inter Cæsarem Pompeium, ut ex Ligariana oratione apparet, ubi extenuat utriusque factum, quòd arma contrà patriam sumpsissent. Quædam sunt hostiles, in quib. altera pars de salute, altera verò de interitu Reipub. digladiatur, qualis fuit inter Ciceronem et Antonium.

Quæ est decimaquarta causa?

Μεταβάλλουσι δὲ καὶ εἰς ὀλιγαρχίαν.

Decimaquarta causa est, ἡ ὑπεροχὴ καὶ εὐπραγίας τινος μερους της πολεως· Excellentia et felix successio aliquorum civium, qui aut soli per se, aut communiter simul cum aliis, magni alicujus beneficii Reipub. auctores extiterunt: per quod potentia civitatis valdè fuit aucta: propter quod beneficium nolunt æquali amplius jure et loco cum cæteris civibus haberi: sed volunt cæteris esse superiores: propte quam superbiam et arrogantiam incurrunt in aliorum offensionem et invidiam. Qua ex re facilè existere solent inter cives turbæ et seditiones. Declaratur hæc causa etiam sex exemplis.

Quæ est postrema causa seditionum?

Κινοῦνται δ' αἱ πολιτεῖαι.

Postrema causa seditionum est, quando inter aliquos cives aut ordines civium, qui potentia et viribus sunt pares, exoritur quædam æmulatio: ita ut neuter velit alteri ultrò parere aut cedere: sed utrique volunt simul imperare. Ex hac æmulatione existit quædam contentio de dominatu et principatu, uter ordo debeat habere dominium et imperium in alterum: quà ex re facilè oriuntur seditiones et factiones, dum utrique sibi aliquos ex civibus adjungunt, quorum opera et auxilio sperant se posse superiores et potentiores evadere, et sibi in alios imperium acquirere. Monet autem Aristoteles ista præcipuè accidere in iis Rebuspubl. in quibus hi duo ordines, nempè nobilium seu divitum, et plebeiorum seu tenuiorum magnam habent potentiam. Non autem facilè movent seditionem, primùm ii, qui longè viri-

bus sunt inferiores, propter periculum quod illis à potentioribus imminet: deinde ii qui sunt mediocres, hoc est, neque nimium divites vel pauperes, quia sunt plerumque sua sorte contenti, et minùs laborant invidiâ. Tertiò ii, qui sunt viri boni; partim quia eorum sunt pauci: ita ut non facilè possint aliquid moliri: partim verò quia virtus suâ naturâ abhorret à motibus et seditionibus. Οἱ κατ' ἀρετην διαφεροντες ε στασιαζεσιν· ολιγοι γαρ γιγνονται προς πολλες· Virtute præstantes non temerè seditionem movent, quia pauci sunt adversus multos.

CAPUT V.

DE CONVERSIONE DEMOCRATIÆ.

Exposuisti hactenus generatim communes causas propter quas Respublicæ interdum commutantur: Expone jam etiam de singularum formarum conversionibus, et primùm de Democratiis, quibus præcipuè modis mutentur?

TRIBUS modis: vel in Oligarchiam, vel in Tyrannidem, vel in extremam et pessimam Democratiam.

Quæ est præcipua causa, propter quam Democratiæ mutantur in Oligarchiam?

Præcipua causa est nimia licentia et improbitas tribunorum plebis, qui δημαγωγοι, quasi populi ductores dicebantur: Hi enim ut gratiam populi aucuparentur, et hac ratione auctoritatem et potentiam suam in Repub. augerent ac confirmarent: solebant ditiores et nobiliores cives apud plebem variis calumniis partim occultè et privatim, partim quoque palàm in suis concionibus et aliis congressibus falsò traducere, et reliquis civibus exosos reddere: quasi insidiarentur eorum libertati et felicitati. Hi ergò metuentes, ne aliquando ab imperita multitudine populi incauti opprimerentur, aut eorum bona proscriberentur, (συναγει γαρ και τες εχθισες ὁ κοινος φοβος· communis namque metus et inimicissimos conciliat) existimarunt satius esse prævenire, quàm præveniri:

conspiratione inter se facta, dominatum atque imperium civitatis ad se pertraxerunt; atque hoc modo ex Democratiis Oligarchias in civitatibus constituerunt. Hanc causam declarat Aristoteles quinque exemplis. De hac Tribunorum plebis licentia et improbitate apud Romanos etiam Cicero variis in locis, præsertim in lib. 3. de Legibus, conqueritur, eamque dicit esse pestiferam Rebuspubl. quippè quæ in seditione et ad seditionem sit nata: ideoque laudat Syllam, quòd Tribunis suam potestatem ademerit.

Quare Democratiæ olim mutatæ fuerunt in Tyrannides?

Επι δε των αρχαιων. Hujus rei Aristoteles tres indicat causas. Primùm enim hoc inde videtur factum esse: quia olim ii, qui erant δημαγωγοι, hoc est, tribuni plebis, simul quoque erant ϛρατηγοι, duces belli, et præfecti militum, qui in præsidiis alebantur, ȣ γαρ πω δεινοι ησαν λεγειν: neque dum enim valebat eloquentia. Hi ergò videntes se publicâ potentiâ munitos esse: facilè potuerunt cæteris civibus esse superiores, et dominium affectare.

Deinde hoc etiam inde videtur accidisse: quòd olim Demagogis mandabantur summi magistratus: eò quòd populus illis multùm confidebat: quasi essent communis libertatis, contra nobilium et divitum potentiam, propugnatores. *Tertiò,* quia cum olim non ita magnæ essent civitates, et constarent majore ex parte ex agricolis: factum est, ut dum agricolæ extra civitatem in agris suis colendis essent occupati, neque multum soliciti, quo pacto civitatis negotia administrarentur: ut, inquam, unus aliquis ex Oligarchicis, totam gubernationem paulatim ad sese pertraheret. Cujus rei tria adfert exempla, *unum* Pisistrati, apud Athenienses: *alterum* Theagis, apud Megarenses: *tertium* Dionysii, apud Syracusanos.

Quando mutantur bonæ Democratiæ in malos?

Μεταβαλλȣσι δε Quando præcipui magistratus solùm creantur per suffragia imperitæ multitudinis, nullâ habitâ ratione

virtutis, prudentiæ, nobilitatis, auctoritatis; dignitatis, census, et similium rerum, quæ in idoneo magistratu solent requiri. Hac enim ratione facilè per largitiones possunt homines ambitiosi suffragia emere, et sic ad istos honores pervenire.

και εκ της πατριας.

CAPUT VI.

DE CONVERSIONE OLIGARCHIÆ.

In quam formam Reipublicæ mutantur Oligarchiæ?

OLIGARCHIÆ, sicut et Democratiæ, mutantur aliquando in contrarias formas ipsis oppositas: cum, ex Oligarchia, id est, paucorum dominatu, fit Democratia, id est, popularis gubernatio: aliquando verò mutantur in aliam ejusdem generis formam, sed deteriorem: ut cum moderata Oligarchia, quæ certis legibus gubernatur, fit Oligarchia nimis intensa, quæ est sine legibus et similis Tyrannidi.

Quæ sunt autem causæ, propter quas Oligarchiæ interdum in alias formas mutantur?

Aristoteles plures causas recenset, propter quas interdum Oligarchiæ in alias formas mutantur: ex quibus duæ sunt præcipuè: nempè ἡ ἀδικια, injuria: et αἱ ϛασεις, seditiones.

Quando propter injurias mutantur Oligarchiæ?

Quando Oligarchici id est, pauci illi nobiles et divites penes quos est imperium in civitate, injuriosè et nimium duriter tractant subditos: tunc enim hi, facta conspiratione adversus Oligarchicos, cogitant qua ratione possint à se injustum illum dominatum, tanquam intolerabile jugum, excutere: et Oligarchiam illam in aliam formam Reipublicæ convertere.

Ενα μεν εαν αδικωσι το πληθος.

Quando per seditiones mutantur Oligarchiæ?

Duobus modis. *Primùm*, quando seditiones excitantur inter ipsos, penes quos est gubernatio et administratio Reipub. *Deinde*, quando ab aliis qui non sunt in magistratu, moventur seditiones adversus ipsos Oligarchicos.

Γιγνονται δε μεταβολαι.

Quando excitantur seditiones inter ipsos Oligarchicos?

Καταλυονται δε και όταν εν τη. Propter varias causas, ex quibus Aristoteles solùm quatuor recenset, et exemplis illustrat: quarum prima est, profusio, όταν αναλωσωσι τα ιδια, ζωντες ασελγως, καινοτομειν ζητουσι· Quando aliqui ex Oligarchicis, qui in magistratu sunt, suas opes et facultates per profusionem et luxuriam inutiliter consumpserunt, et hoc modo ad inopiam atque egestatem sunt redacti: posteà verò rebus novis studere solent, et convertunt se ad rapinas aliorum bonorum, tàm privatorum civium, quàm publici ærarii: quæ ut commodiùs possint invadere et diripere, excitant in civitate turbas atque seditiones. Hujus rei Aristoteles adfert quatuor exempla.

Altera causa est Ambitio: Quando aliqui ex Oligarchicis soli volunt summos et majores magistratus administrare: reliquos verò inferiores et minores magistratus concedunt suis collegis: qua ex re magnam sibi pariunt apud hos invidiam.

Γιγνεται δε μεταβολη. Tertia causa est, ἡ απιστια, diffidentia: Quando ii, qui in magistratu sunt constituti, sibi mutuò diffidunt: ac propterea se quibusdam præsidiis munire incipiunt adversus vim et potentiam eorum, quos habent suspectos.

Γιγνονται δε στασεις. Quarta causa est, ἡ ὑβρις: Quando aliqui ex Oligarchicis propter contumeliam et ignominiam, qua se à suis collegis affectos esse existimant, cogitant quo pacto possint eos magistratu iterum removere: et hac ratione illatam contumeliam iterum vindicare.

Quando excitantur seditiones contra Oligarchicos, ab iis, qui non sunt in magistratu?

Πολλαι δε και δια το αγαν. Hujus rei tres causæ ab Aristotele indicantur. Prima causa est ἡ αδικια, injuria: de qua ab initio capitis dictum est.

Altera causa est paucitas eorum, qui adhibentur ad gubernationem: quibus reliqui, qui æquè sunt vel nobiles, vel divites, invident istam dignitatem:

existimantes se æquè dignos esse istis honoribus: ideoque blanditiis suis adsciscunt sibi alios vel ex suo ordine, vel ex populo, quorum operâ adjuti sperant se commotâ seditione, facilè posse paucos illos opprimere, et gubernationem ad se pertrahere. Εγχειριζουσι την φυλακην αρχοντι μεσιδιω, ὁς ενιοτε γινεται κυριος αμφοτερων· Custodiam committunt præfecto velut arbitro (qui ad neutram partem magis inclinare videatur) qui utriusque partis interdum fit Dominus.

Tertia causa est, Quando ipsi Oligarchici, qui in magistratu sunt constituti, suum dominatum nimium intendunt, et subditis suis non secus dominari volunt, ac si essent eorum servi. Talem autem dominatum, quia subditi ægrè ferunt: ideò modos et rationes excogitant, quibus possint eum excutere, et se iterum in libertatem vindicare.

Habetne præterea aliam aliquam causam propter quam interdum Oligarchiæ mutantur?

Aristoteles ait interdum etiam Oligarchias mutari in aliam Reipub. formam, εκ του συμπτωματος, id est, ex casu aliquo et eventu fortuito. Cujus rei tale adfert exemplum, veluti si initio constitutæ Reipubl. adeò magnus fuit constitutus census iis qui in magistratum, et ad publicos honores erant admittendi: ut admodum pauci essent, qui tantas opes haberent: ideò etiam pauci erant, quibus gubernatio Reipublicæ poterat secundum leges committi. Si verò posteà progressu temporis paulatim plures extiterunt, quorum opes et facultates fuerunt auctæ, ut possent illum censum legibus præfinitum habere: certè etiam tales efficiebantur capaces publicorum honorum: atque hoc pacto paucorum dominatus transibat ad plures: et sic ex Oligarchia efficiebatur quædam quasi πολυαρχια, seu πολιτεια, in qua gubernatio non est amplius penes paucos, sed penes plures.

Γιγνονται δε και απο συμπτωματος.

CAPUT VII.

DE CONVERSIONE ARISTOCRATIÆ.

Quæ sunt causæ propter quas Aristocratiæ interdum mutantur?

VARIÆ sunt causæ propter quas Aristocratiæ mutantur: quarum tamen præcipuè sunt tres: ἡ στασις, seditio: ἡ τȣ δικαιȣ παρεκβασις, justi transgressio: et ολιγωρια, incuria et negligentia.

Quomodo excitantur seditiones in Aristocratia?

Εν δε ταις αριστοκρατιαις. Primum, Quando pauci admittuntur ad honores, et publicorum negotiorum administrationem: cum tamen plures in civitate reperiri possint, qui propter virtutem, auctoritatem, et industriam, æquè digni essent talibus honoribus atque officiis.

Deinde, Quando aliqui magni et præstantes viri in civitate, ab iis qui in dignitatibus sunt constituti, non in eo honore, et existimatione habentur, quemadmodum ipsorum vitæ conditio videtur postulare.

Tertiò, Quando in civitate pauci reperiuntur cives, qui mediocres habent facultates: sed plerique aut sunt suprà modum divites, aut extremè pauperes: nam inter tales facilè solent exoriri dissensiones et seditiones.

Quartò, Quando in civitate existit unus aliquis, qui majore potentia et auctoritate est præditus, quam cæteri: ac propterea cogitat, quo pacto solus possit imperium obtinere, et fieri monarcha: quemadmodum olim apud Lacedæmonios fecit quidam Dux Pausanias: et apud Romanos C. Julius Cæsar.

Quæ est altera principalis causa mutationis Aristocratiæ?

Λυονται δε μαλιστα αι τε πολιτειαι. Ἡ παρεκβασις τȣ δικαιȣ, transgressio seu violatio juris.

Quot modis fit digressio à Jure?

Duobus. Primus est, quando discessio seu digressio fit ab eo jure, quo Aristocratia tanquam præcipuo fundamento utitur: nempè à virtute: quæ est, ut suprà nominavit, ὁρος, terminus et scopus,

qui in Aristocratia præcipuè spectandus est in eligendis magistratibus, in tribuendis honoribus, in ferendis legibus, in dicendis sententiis, et faciendis statutis.

Quis est alter modus της παρεκβασεως τȣ̃ δικαιȣ?

Alter modus transgressionis et violationis juris in Aristocratia est, quando οἱ γνωριμοι, h. e. præcipui in civitate incipiunt esse avari et rapaces in attrahendis tàm publicis, quàm privatorum civium bonis: aut quando sua auctoritate et potentiâ, quam à Repub. habent, abutuntur contra subditos: existimantes sibi quidvis licere pro arbitrio agere. Nam propter hanc πλεονεξιαν et petulantiam incurrunt in reliquorum odium et in invidiam: undè facilè seditiones et mutationes Rerumpublicarum possunt existere. Κρειττον γαρ και το πλειον· Nam quod plus est, idem plus potest.

Ετι δια το πασας τας.

OBSERVATIO.

Ista παρεκβασις του δικαιȣ est quoque communis causa mutationis omnium Rerumpub. Quæ tunc præcipuè mutari solent, quando ab eorum jure, quo tanquam fundamento nituntur, fit digressio. Veluti cum in Democratia violatur Libertas populi: cum in Oligarchia non habetur ratio Nobilitatis aut Divitiarum paucorum. Imò ipsæ quoque πολιτειαι, specialiter sic nominatæ, mutantur: quando isti termini, nempè Virtus, Nobilitas, Libertas, et Divitiæ, non sunt æquabiliter inter se mixti: sed unius magis, quàm cæterorum habetur ratio. Tunc enim in eam quoque formam paulatim degenerant, ad quam magis inclinant. Unde quoque accidit, ut interdum ex πολιτεια fiat aut Oligarchia, aut Democratia, aut alia aliqua forma Reipublicæ.

Quæ est tertia principalis causa mutationis Aristocratiæ?

Tertia causa mutationis Aristocratiæ nominatur ab Aristotele το κατα μικρον, et suprà, in 3. cap. δια το παρα μικρον, hoc est, quando parva initia mutationum contemnuntur et negliguntur, quasi non sint magni

Μαλιϛα δια το δε λανθανειν.

momenti: ea enim nisi tempestivè corrigantur et prohibeantur, possunt progressu temporis magnam secum adferre mutationem et ruinam Reipub. Ὅταν γαρ τι προοντωι των προς την πολιτειαν, μετα τυτο και αλλα μικρῳ μειζον, ευχερεστερον κινυσιν, εως αν παντα κινησωσι τον κοσμον· Nam postquam eorum, quæ ad Rempub. pertinent, aliquid neglexerunt, postea aliud quoque majus mutant facilius, donec totum ordinem mutarint.

CAPUT VIII.

Exposuisti hactenus de causis mutationis et interitus Rerumpublicarum, περι της μεταβολης και φθορας των πολιτειων. *Expone deinceps quoque* περι της σωτηριας αυτων, *id est, de causis per quas possint Respub. in suo statu conservari?*

Των εναντιων τα εναντια ποιητικα· φθορα δε σωτηρια εναντιον.

DE hac re Aristoteles deinceps usque ad 12. variæ tradit præcepta: ex quibus quædam generatim pertinent ad omnes Respub. ut in 8. et 9. cap. quædam verò speciatim pertinent ad Tyrannidem, ut in 10. cap. quædam denique ad Regiam gubernationem, ut in 11. cap.

Recita igitur communia præcepta φυλακτικα των πολιτειων?

Primum Præceptum. Nemini concedendum est, ut possit quantumcunque legem etiam minima re, impunè violare. Δει γαρ τυς αρχομενυς πειθαρχειν, και μη νεωτεριζειν· Oportet subditos parere et nihil novi moliri, lib. 2. cap. 2. Ratio præcepti, Quia ista impunitas imminuit et labefactat auctoritatem et vim non solùm unius, verùm etiam omnium reliquarum legum, apud imperitos homines. Διο μαλιςα το μικρον δει φυλαττειν· λανθανει γαρ παραδυυσα ἡ παραβασις, ὡσπερ τας υσιας αἱ μικραι δαπαναι δαπανωσι πολλακις γινομεναι. Λανθανει δε ἡ μεταβασις, δια το μη αθροα γιγνεσθαι· Exiguum maxime cavendum: occultè enim obrepit detrimentum, quemadmodum facultates parvis sumptibus sæpè iteratis consumuntur. Latet autem detrimentum eò quod non fiat universum.

II. Præceptum. Non temerè fidendum est iis,

qui callidis suis consiliis et adulationibus, conantur multitudinem imperitam decipere, et hac ratione aliquid in Repub. mutare.

III. Præceptum. Ad conservandum statum Reipublicæ utile est, si ii qui in magistratu sunt constituti, rectè se gerunt, non solùm erga subditos suos: verùm etiam erga suos collegas: qui unà cùm illis Rempub. administrant. Erga subditos quidem, si nulla eos afficiunt injuriâ: si eos, quos vident esse honestatis amantes, nullâ afficiunt ignominiâ: si interdum aliquos ex illis sibi adsciscunt: quasi etiam eorum consilio et opera cupiant in aliquibus publicis negotiis uti: si eos non impediunt in iis rebus et actionibus, ex quibus lucrum aliquid, aut victum quotidianum quærere solent. Erga collegas vero suos, si δημοτικως, populariter, hoc est, humaniter se mutuò tractent: si æqualitatem inter se servant: quæ ad concordiam fovendam plurimùm valet. φιλιαν γαρ οιομεθα μεγιστον ειναι των αγαθων ταις πολεσι· ουτω γαρ αν ηκιστα στασιαζοιεν· Nam amicitiam civitatibus maximum bonum esse arbitramur, ait Arist. lib. 2. Polit. 2. sic enim seditionibus minime distrahentur, et paulò post inquit: των ερωντων δια το σφοδρα φιλειν επιθυμουντων συμφυναι, και γενεσθαι εκ δυο οντων αμφοτερους ενα· Amantes propter vehementem amorem cupere coalescere, et utrumque ex duobus unum fieri.

Εστι δ' ὀργαι, ὅτι ἐναιμυσιν.

IV. Præceptum. Non facilè concedendum est, ut unus vel pauci aliqui summos magistratus diu administrent: sed ut ejusmodi magistratus plerunque sint tantùm semestres: sic enim fiet, ut tales magistratus paulatim possint pertingere ad omnes: et hac ratione præcidetur illis occasio, ne possint aliquam in Repub. affectare δυναστειαν η τυραννιδα, aliam causam vide libro 2. cap. 3. quæst. ult. et c. 7. q. 10.

V. Præceptum. Ad tollendam securitatem ex animis civium, et excitandam majorem vigilantiam et diligentiam in custodienda urbe: utile est civibus interdum metum aliquem incutere de periculo, quod

Σωζονται δ' αι πολιτειαι.

Reipublicæ imminet, vel à vicinis, vel à remotis hostibus. Και το πορρω, εγγυς ποιειν, et quod procul, facere propè. Φοβουμενοι γαρ δια χειρων εχουσι μαλλον την πολιτειαν, metuentes namque magis tractant Rempublicam.

VI. Præceptum. Legibus præcavendæ sunt dissensiones et contentiones principum et magnorum virorum in Repub. ne exoriantur: aut si exortæ fuerint, opera danda est, ut citò componantur: ne ulteriùs serpant in reliquam multitudinem. Δει γαρ την πολιτειαν την μελλουσαν σωζεσθαι, παντα βουλεσθαι τα μερη της πολεως ειναι και διαμενειν ταυτα· Rempublicam enim incolumem futuram, oportet velle omnes civitatis partes esse et permanere easdem, supra, lib. 1. cap. 7.

Προς δε την δια τα τιμηματα. VII. Præceptum. Ad conservandam Reipub. præsentem formam, utile est certis annis aut lustris, civium bona et facultates censere: ut inde cognosci possit, partim quatenus census singulorum civium, pro temporum ratione et conditione, sint vel augendi vel minuendi: partim etiam quinam ex civibus possint publicorum honorum in Republ. esse capaces, vel non capaces: partim denique quantæ et quibus opibus et facultatibus civitas instructa sit ad bellicas necessitates.

VIII. Præceptum. Nemini in civitate statim magni honores et magistratus sunt concedendi: sed si quis illis dignus videatur, permittendum ei est, ut gradatim possit ad illos accedere. Ratio, Quia honores, juxta vulgatum dictum, mutant mores, et animos hominum. Præterea non omnes possunt secundam fortunam moderatè ferre: quæ plerunque reddit homines insolentes, superbos, et aliorum contemptores. Και φερειν ου παντος ανδρος ευτυχιαν· Neque cujusvis est hominis, secundam ferre fortunam. Quod si verò per errorem aut fortunæ favorem alicui contigit, ad summos honores, quibus tamen indignus est, pervenisse: tùm ad præcavendas seditiones non subitò, de summo isto gradu est dejiciendus: sed

paulatim iterum istis honoribus est privandus. Quæ autem de honoribus dicta sunt, etiam de potentia sunt intelligenda: ne alicui nimis magna potentia in civitate concedatur: ne per eam possit affectare dominatum aut Tyrannidem.

IX. Præceptum. Ad conservandam Reipub. formam, utile quoque est constituere αρχην τινα εποψομενην, aliquem magistratum, tanquam censorem, qui observet utrum omnes qui in civitate sunt, vitam, mores, et actiones suas instituant, ut sint conformes et congruentes ad scopum et institutum ejus Reipub. in qua vivunt.

Εστι δε και δια τας ιδιας βιους.

X. Præceptum. Cùm tres sint præcipui ordines civium in civitatibus, unus Optimatum alter Nobilium et divitum, tertius Plebeiorum: cavendum est, ne unus aliquis ordo nimium crescat, et potens evadat: adeò ut facilè possit reliquos ordines opprimere.

XI. Præceptum. Cavendum est, ne ii, qui Rempublicam administrant, et in magistratu sunt constituti, videantur inde velle quæstum facere, et privata sua commoda augere. Hujus Præcepti etiam Cicer. lib. 2. Off. mèminit, et rationem subjicit, inquiens: Habere enim quæstui Rempub. non modo turpe est, sed sceleratum etiam et nefarium.

XII. Præceptum pertinet peculiariter ad Democratiam. In Democratia ii qui habent imperium, nempe plebeii et pauperes, cavere debent, ne divitum et nobilium bona, vel palàm, vel occultè invadant: aut aliis rationibus imminuere studeant imponendo illis publica opera, suis sumptibus efficienda: aut aliis oneribus eos gravando: ejusmodi fuerunt olim præfecturæ ludorum, spectaculorum, epularum, et similium rerum.

Δει δε εν μεν ταις δημοκρατιαις.

XIII. Præceptum pertinet propriè ad Oligarchiam: estque quadripartitum. 1. In Oligarchia etiam populo aliqui magistratus sunt concedendi, ex quibus possit habere aliquod lucellum. 2. Major pœna irroganda est diviti, si pauperem injuriâ affecit, quàm pauperi, si divitem offendit. 3. Hæreditates

non ex testamento vel donatione: sed jure agnationis vel cognationis, hoc est, ab intestato sunt concedendæ. 4. Non concedendum est, ut quisquam plures hæreditates præter unam adeat.

Συμφερει δε και εν δημοκρατια. XIV. Præceptum pertinet communiter ad Democratiam et Oligarchiam. Qui non sunt capaces publicorum honorum et magistratuum: hi ut æquiore animo reliquorum imperium ferant, in aliis rebus aut æquali loco et jure cum illis haberi debent: aut si necessarium videatur, prærogativa aliqua illis est concedenda: ii autem magistratus penes quos est summa Reipub. potestas, solùm committendi sunt iis, qui sunt principales Reipub. partes.

CAPUT IX.

XV. Præceptum. In eligendo summo magistratu tria sunt spectanda. *Primùm,* Amor ergà eam Reipub. formam, quæ ei est committenda. Hic enim facit, ut omnes labores et molestiæ, quas Reipub. gratiâ sustinere debet, ei sint leviores. *Deinde,* facultates gubernandi, et administrandi Reipublicæ negotia. *Tertiò,* virtus et justitia.

Sed quid faciendum est, si ista tria non omnia simul in aliquo reperiuntur?

Respiciendum est præcipuè ad illud, quod ei maxime necessarium est in eo magistrâtu: qui ei committendus est. Exempli gratia, in Imperatore belli requiritur præcipuè scientia rei militaris: εν στρατηγια εις την εμπειριαν μαλλον της αρετης δει βλεπειν· ελαττον γαρ στρατηγιας μετεχουσι, της δ' επιεικειας πλειον· In prætura militari usus magis, quàm virtus, est spectandus: nam hujus minus sunt participes, virtutis verò magis. In Judice, justitia: in Senatore, prudentia: in Quæstore, fidelitas: et sic de cæteris.

Απλως δε οσα εν τοις νομοις. XVI. Præceptum. Ad conservandum statum Reipub. diligentissima cura adhibenda est, ut leges sartæ tectæ conserventur et custodiantur: siquidem in iis salus et incolumitas totius civitatis, omniumque civium consistit. Sicut etiam Aristoteles in 1. lib.

Rhet. c. 4. scribit, ἡ σωτηρια της πολεως εν τοις νομοις εστι. Et Cic. lib. 2. de Leg. Ad salutem civium, civitatumque incolumitatem, vitamque hominum et quietam, et beatam, conditæ sunt leges. Μεγιστον στοιχειον, το τηρειν ὅπως κρειττον εσται το βουλομενον την πολιτειαν πληθος, του μη βουλομενου· Maximum principium et fundamentum politiæ est, videre, ut multitudo, quæ Rempub. velit, plus possit eâ, quæ non velit.

XVII. Præceptum. Opera danda est, ne ordo civium in civitate sit potentior, et summam habeat auctoritatem, qui maxime est amans præsentis status civitatis: et salvam cupit esse Rempub.

XVIII. Præceptum. Opera danda est, ut omnes leges, omniaque instituta Reipubl. referantur ad mediocritatem: excessum autem fugiant. Nam omnes leges, quæ mediocritatis terminos transgrediuntur, sunt vitiosæ: sicut etiam videre licet in vitiosis Rerumpub. formis. Παρα παντα δε ταυτα δει μη.

XIX. Præceptum. Officium boni legumlatoris et politici est, non ignorare, μη αγνοειν, quæ leges et qualia instituta cuilibet formæ Reipub. conveniant: quia sunt quædam quæ videntur esse δημοτικα και ολιγαρχικα, id est, convenire Democratiæ aut Oligarchiæ: quæ tamen magis eas evertunt et corrumpunt. Cujusmodi sunt ea, quibus Demagogi conantur populi auctoritatem, et libertatem extollere in Democratia. Qualis etiam erat ista formula juramenti Oligarchici: Erga populum malè animatus ero, et quicquid mali potero, adversus eum excogitabo.

XX. Præceptum. Ad præcavendas seditiones in Democratia leges eò dirigendæ sunt: ut etiam nobilium et divitum ratio habita esse videatur. Consimiliter in Oligarchia non tantùm nobilium et divitum, verùm etiam populi et pauperum habenda est ratio. Sic enim utraque pars minus poterit offendi: et faciliùs feret alterius imperium.

XXI. Præceptum. Ad conservationem Rerumpublicarum maximum momentum adfert, si futuri Μεγιστον δε παντων

των ειρημενων. cives statim à primis annis accommodatè ad formam Reipublicæ instituantur: ut nimirum doceantur quo pacto debeant vitam, mores, et actiones suas accommodare legibus atque institutis suæ Reipub. in qua vivunt. Οφελος γαρ ουθεν των ωφελιμωτατων νομων, και συνδεδοξασμενων, ει μη εσονται ειθισμενοι και πεπαιδευμενοι εν τη πολιτεια· Nam legum utilissimarum et decretorum, quæ ab omnibus Rempub. gerentibus sint facta, nulla est utilitas: nisi assuefacti et instituti sint homines in Republica.

XXII. Præceptum. Est autem παιδευεσθαι προς την πολιτειαν nihil aliud, quàm assuefieri ad ea, per quæ forma cujusque Reipub. possit rectè administrari: et quàm diutissimè in suo statu salva permanere.

XXIII. Præceptum. Vitiosa itaque educatio est in Oligarchiis, quando solùm pauperum liberi educantur ad labores: nobilium verò et divitum liberi educantur in deliciis et voluptatibus. Consimiliter quoque vitiosa est educatio in Democratiis, quando cuilibet permittitur vivere pro arbitrio: quasi libertas nihil aliud sit, quam licentia vivendi pro arbitrio. Vivere autem secundum leges, sit quædam servitus. Τουτο δ' εστι φαυλον· ου γαρ δει οιεσθαι δουλειαν ειναι το ζην προς την πολιτειαν, αλλα σωτηριαν· At hoc vitiosum est: neque servitus putanda est vivere Reipublicæ convenienter, sed salus.

CAPUT X.

Quid deinceps agit Aristoteles?

De Monarchiis, earumque conservatione et interitu: περι της σωτηριας, και φθορας των Μοναρχιων.

Quot sunt species Monarchiæ?

Duæ: ἡ Βασιλεια, Regnum, sive Regia gubernatio: et ἡ Τυραννις, Tyrannicum imperium. Ex quibus ἡ βασιλεια, similis est Aristocratiæ: τυραννις verò similis est deterrimæ Oligarchiæ: de quibus omnibus suprà dictum fuit.

Quomodo differunt hæ duæ species των Μοναρχιων?

Variis modis hæ duæ Monarchiæ differunt: ex quibus præcipuè hæc sex discrimina sunt notanda. Primùm enim differunt, ut Aristoteles ait, τη γενεσει, ortu seu origine, hoc est, causa efficiente, ut Dialectici loquuntur. Nam Reges olim per hæreditariam successionem, vel per legitimam electionem à subditis volentibus in demortuorum locum substituebantur. Tyranni autem ut plurimum vel per vim aperte, vel per insidias et dolum clàm, invitis subditis, seipsos ad imperium intrudere solent. Υπαρχει δε η γενεσις ευθυς.

Deinde differunt causa materiali. Nam Reges olim eligebantur εκ των επιεικων, ex viris bonis, propter υπεροχην, excellentiam virtutis, aut rerum ex virtute gestarum: item generis seu familiæ: item magni alicujus beneficii toti Reipubl. præstiti. Tyranni autem ut plurimum extiterunt εκ των πονηρων, ex malis et improbis hominibus: veluti in Democratia ex seditiosis Demagogis et Tribunis plebis: in Regno ex malis Regibus: qui descendentes à suorum antecessorum vestigiis, pro sua libidine conantur subditis imperare. Præthereà Reges imperant volentibus, à quibus ultrò fuerunt electi: Tyranni autem invitis, à quibus violenter fuerunt oppressi.

Tertiò differunt causa formali. Nam Reges imperant secundum leges: quibus etiam seipsos subjectos esse fatentur. Tyranni pro libidine sua et proprio arbitrio, spretis legibus omnia administrant.

Quartò differunt causa finali. Reges omnia referunt ad publicam honestatem, et subditorum suorum utilitatem atque salutem. Tyranni autem suam solùm quærunt voluptatem et utilitatem.

Quinto differunt τη φυλακη, custodia, hoc est, causa conservante. Nam Reges custodiuntur, et muniti sunt præsidio suorum subditorum: qui ex amore, quo Regem suum prosequuntur, ultrò parati sunt eum contrà externam vim defendere. Tyranni autem externis utuntur præsidiis contrà subditos, quibus

non audent fidere, scientes se illis propter metum et crudelitatem esse exosos.

Sextò differunt adjunctis. Nam Regia gubernatio habet plurima in se commoda, quæ communiter et ad Regem et ad subditos pertinent. Tyrannicum autem imperium plurimis malis est refertum: quorum tamen major pars in ipsos subditos redundat.

Quibus de causis etiam interdum Monarchiæ mutantur et intereunt?

Καθαπερ αν σχεδον ελεχθη.

Duplices sunt causæ, propter quas etiam Monarchiæ interdum in alias formas Rerumpubl. mutantur: quædam enim communiter pertinent ad utramque speciem: quædam verò sunt peculiares et propriæ singularum specierum.

Quæ sunt communes causæ της μεταβολης και φθορας των Μοναρχιων?

Quatuor. Prima est ἡ αδικια, injustitia, seu injuria. Ea autem infertur vel bonis et facultatibus subditorum: quando Monarchæ illa per fas et nefas ad se attrahere conantur. Vel infertur famæ et existimationi subditorum: quod fit vel verbis contumeliosis et injuriosis, et nominatur ὑβρις, contumelia, της δε ὑβρεως ουσης πολυμερους, εκαστον αυτων αιτιον γιγνεται της οργης· Contumelia autem cum sit multiplex, quæque iræ fit causa: vel plagis et verberibus ignominiosis: et vocatur αικια, vel αικισμος, id est, injuriosa corporis pulsatio. Hanc primam causam Aristoteles pluribus exemplis declarat: quibus ostendit, propter ejusmodi injurias et contumelias, multos Monarchas aut imperio suo spoliatos, aut omninò è medio sublatos fuisse.

Quæ est altera causa?

Ὁμοιως δε και δια φοβον.

Altera causa mutationis et eversionis Monarchiarum est ὁ φοβος, metus subditorum. Quemadmodum enim amor et benevolentia subditorum erga suum magistratum, est firmissimum præsidium diuturni imperii: ita odium et metus subditorum erga suum principem, est certissimum indicium interitus im-

perii. Nam ut Cic. lib. 2. Offic. ait: Quem metuunt, oderunt: quem quisque odit, periisse expetit. Et lib. 1. Offic. Nulla vis imperii tanta est, quæ premente metu possit esse diuturna.

Quæ est tertia causa?

Tertia causa, propter quam Monarchiæ interdum fuerunt mutatæ aut sublatæ, est ἡ καταφρονησις, contemptus: quando Monarchæ à suis subditis contemnuntur vel propter ignobilitatem, vel animi aut corporis vitia et deformitatem, vel vitæ turpitudinem, vel nimiam familiaritatem et facilitatem erga suos subditos, vel impotentiam et debilitatem virium ad subditorum defensionem. Declaratur hæc causa quinque exemplis eorum Regum, qui propter talem contemptum suis regnis fuerunt exuti. Αἱ δε δια καταφρονησιν.

Quæ est quarta causa?

Quarta causa est ἡ φιλοτιμια, η φιλοδοξια, honoris, laudis, et gloriæ cupiditas: ad quam etiam consequitur ἡ φιλοκερδεια, lucri cupiditas. Multi enim, ut ex interfectione alicujus Monarchæ vel magnum aliquod præmium reportarent: vel laudem et gloriam nomenque celebre apud posteritatem consequerentur, impulsi fuerunt, ut Monarchas vel clàm per insidias, vel apertè per vim è medio tollerent. Ob hanc causam maxime ii rem aggrediuntur, qui natura quidem audaces, dignitatem autem militarum apud Monarchas habent. Ανδρεια γαρ δυναμιν εχουσα, θρασος εςι· δι' ἁς αμφοτερας, ὡς ῥαδιως κρατησοντες, ποιουνται τας επι θεσεις· Nam fortitudo potentiam nacta, audacia est: quibus rebus, ut facilè rem perfecturi conjurationes faciunt. Et certum est, honestum habitum fuisse, Tyrannum necare: ut est apud Cicer. lib. 3. Off. Unde etiam olim Tyrannicidis magni honores, magnaque præmia fuerunt proposita. Των δε δια φιλοτιμιαν επιτιθεμενων.

Quæ sunt causæ speciales mutationis et interitus Tyrannici imperii?

Duæ sunt præcipuæ. Odium et contemptus: quibus etiam Aristoteles tertiam causam adjicit, nempè Iram: sed eam consequi ex odio. Sunt Δυο δε ουσων αιτιων δ' ἁς.

autem Tyranni in odio, propterea quòd volunt à subditis suis metui: ex metu autem existit odium ejus, quem metuimus: quemadmodum paulò antè dictum fuit. Contemnitur verò à subditis, propter vitam luxuriosam et flagitiosam. Mutantur etiam interdum Tyrannides propter easdem causas, propter quas Oligarchiæ et vitiosæ Democratiæ solent mutari, quia magnam habent cum Tyrannide similitudinem.

Quot modis Tyrannides mutantur aut evertuntur?

Duobus: *Unus* est internus: quando inter eos ipsos, penes quos est Tyrannici imperii administratio, existit aliqua offensio et dissensio. *Alter* modus est externus: quando potentior aliquis Rex vel Princeps, aut potens aliqua et vicina Respubl. quæ Tyrannidi est inimica et contraria, se ei opponit, et eam delere conatur. Ἃ δὲ βούλονται, δυνάμενοι, πράττουσι πάντες· At omnes, quæ volunt, si possint, faciunt.

Quibus de causis mutantur vel evertuntur Regna?

Βασιλεία δ' ὑπὸ μὲν τῶν. Pro hujus quæstionis declaratione, Aristoteles duas ponit distinctiones. Quarum prima hæc est: Regna sunt duplicia: quædam enim sunt Libera, quæ per liberam electionem et suffragia subditorum ad aliquem deferuntur. Quædam verò sunt hæreditaria, quæ per successionem jure hæreditario à regum filiis, et posteris occupantur.

Altera distinctio. Regnorum mutationes fiunt vel à causis internis, vel à causis externis.

Responde jam secundum has distinctiones ad propositam quæstionem de Regnorum mutatione?

Regna quæ per liberam electionem sunt constituta, non facilè ab externis causis mutantur: quia raro habent externos hostes, qui cupiant se illis opponere: idque propter tres causas: *Primùm*, quia eorum Reges amantur et defenduntur à suis subditis, à quibus fuerunt ultrò electi. *Deinde*, quia moderatè se gerunt in sua gubernatione, neque facilè vicinis regibus, aut civitatibus occasionem præbent alicujus offensionis aut inimicitiæ. *Tertio*, quia

operam dant, ut armis et aliis munitionibus ac pecunia ita sint instructi: ut necessario tempore facilè possint bellum, aliquod sustinere, et externis hostibus resistere.

Quæ sunt autem causæ internæ, propter quas interdum etiam talia regna mutantur?

Duæ præcipuè: *Prima* est, quando ii, qui regni sunt participes, inter se dissident. *Altera* quando ipsi reges incipiunt more Tyrannorum suis subditis imperare: et spretis legibus omnibus pro libidine et propria voluntate administrare: tunc enim eorum Regnum convertitur in Tyrannidem.

Sed quibus de causis Regna hæreditaria solent interdum mutari aut interire?

Præter duas causas modò allatas, etiam accedunt aliæ duæ causæ, propter quas ejusmodi Regna mutantur: quarum *prima* est ἡ καταφρονησις, contemptus: quando videlicet Regum filii et posteri degenerant à virtute et moribus suorum majorum: tunc subditi incipiunt eos contemnere, tanquam inutiles ad imperium, et indignos quibus parere debeant. Απολαυστικως γαρ ζωντες, ευκαταφρονητοι τε γιγνονται, και πολλους καιρους παραδιδοασι τοις επιτιθεμενοις· Nam cum in voluptatibus degant, in contemptionem eunt, et conjurantibus multas dant et præbent occasiones. Εκ δε του καταφρονεισθαι πολλαι γινονται των καταλυσεων· Ex contemptu verò plurimæ fiunt eversiones. *Altera* causa est ἡ ὕβρις, contumelia: quando ejusmodi reges incipiunt more Tyrannorum ὑβριζειν, id est, contumeliosè suos subditos tractare: et tamen non habent tantam potentiam, quâ possint absque subditorum auxilio seipsos tueri et defendere.

Εν δε ταις κατα γενος βασιλειαις.

CAPUT XI.

Qua præcipuè re Regna conservantur in suo statu?

MODERATIONE Regiæ potentiæ, hoc est, Regi non nimia concedatur potentia, qua possit insolens et injuriosus adversus subditos esse. Sic enim minori laborabit apud eos invidia: cum videatur aliqua

ex parte illis esse æqualis. Declaratur hæc ratio duobus exemplis, nempè Regni Molossorum, et Regni Lacedæmoniorum, quæ diutissimè durarunt: tantùm propter eam causam, quòd Regum potestas fuit certis legibus, tanquam limitibus circumscripta et definita.

Quomodo conservantur Tyrannides?

Αἱ δὲ τυραννίδες σώζονται.

Duo sunt modi, sibique contrarii, per quos Tyrannides conservantur. *Unus* est Tyrannorum proprius, barbárus, durus, et crudelis: *alter* est aliquo modo humanior et mitior, sed Sophisticus et simulatus. Vel ut Cicero lib. 3. de Legibus scribit: unus modus habet jus violentum et superbum: alter habet jus temperatum. Et ut Plutarchus in Lycurgo: unus modus habet επιτασιν τυραννιδος, intensionem, et quasi exasperationem Tyrannicæ dominationis: alter habet ανεσιν, relaxationem, et quandam moderationem Tyrannidis.

Quotuplicia tradit Aristoteles præcepta de primo modo?

Duplicia: quædam enim sunt admodum dura, et crudelitatis plena, vel ut Aristoteles vocat, τυραννικα περσικα, και βαρβαρα: quædam verò sunt mitiora et leniora, vel ut Aristoteles ait, βασιλικωτερα, magis Regia.

Quæ sunt præcepta primi generis?

Novem: Primum est, Viros virtute et rebus gestis præstantes deprimere: eorumque auctoritatem et dignitatem imminuere.

Alterum, Eos qui adeò generoso et magno animo præditi sunt, ut Tyrannis adulari aut servire neque velint neque possint è medio tollere.

Tertium, Non concedere civibus συσσιτια, id est, publica convivia, neque collegia, tribus, aut sodalitates.

Quartum, Prohibere publicas Scholas et rectam disciplinam, educationem, et institutionem juventutis.

Quintum, Cavere ne permittatur aliquid civibus,

unde possint vel altiorem animum sumere, vel inter se conspirare.

Sextum, Prohibere ne Cives inter se ejusmodi notitiam, amicitiam et familiaritatem contrahant, per quæ possint sibi mutuò fidere.

Septimum, Cives inter se ignotos reddere. Ἡ γαρ γνωσις πιςιν ποιει μαλλον προς αλληλους· Notitia enim fidem inter se magis efficit.

Octavum, Operam dare, ne peregrini in urbe lateant: sed semper versentur in urbis propatulo, et quasi pro foribus, et in conspectu Tyranni: ne possint clàm civibus aliquid contrà Tyrannum moliri.

Nonum, Assuefacere subditos, ut se servos esse cogitent: et propterea humiliter de seipsis sentiant.

Quæ sunt præcepta mitiora et magis moderata, conservandæ Tyrannidis?

Και το μη λανθανειν πειρασθαι.

Aristoteles octo tradit præcepta, quæ aliquantò sunt humaniora, quàm illa priora. Quorum primum est: Habere ποταγωγιδας και ωτακυςας, exploratores et judices, seu delatores omnium eorum, quæ cives inter se loquuntur et agunt: ne possint clandestina consilia inire, aut aliquid machinari adversus Tyrannum.

Alterum, Discordias et lites serere inter cives: et sic cives cum civibus, nobiles cum plebeiis, pauperes cum divitibus, et hos cum illis committere: sic enim fiet, ut non facilè possint inter se adversus Tyrannum conspirare.

Tertium, Subditorum opes et facultates paulatim imminuere et attenuare: ne ex opum affluentia vel reddantur insolentes et contumaces: vel habeant otium et occasionem movendarum turbarum et seditionum. Duobus autem præcipuè modis solent Tyranni subditorum opes imminuere. *Primùm*, quando illis injunguntur publica opera propriis suis sumptibus et laboribus perficienda. *Deinde*, quando illis imponuntur magna tributa et vectigalia, aut crebræ exactiones et contributiones ad gerendum bellum, aut ad alias munitiones civitatis extruendas.

Quartum, πολεμοποιειν, id est, bella movere adversus vicinos, aut subditis metum belli incutere: ut subditi non habeant otium moliendi res novas contrà Tyrannum sed potiùs ad eum tanquam ducem et protectorem confugiant.

Quintum, Non nimium amicis confidere. Quia Tyrannorum amici rarò sunt viri boni: ideoquè magis ab illis sibi cavere debent, quàm apertis hostibus. Ἡ μεν βασιλεια σωζεται δια των φιλων· τυραννικον δε το μαλιςʼ απιςειν τοις φιλοις· Regnum quidem per amicos conservatur: tyrannicum verò est, amicis minime fidere.

Sextum, Uxoribus suis et servis summam licentiam permittere: sic enim minus cogentur sibi ab illis metuere.

Septimum, Gaudere adulatoribus et hominibus improbis: quorum illi non facilè volent Tyrannum offendere: siquidem omnia ad gratiam ejus retinendam loquuntur et agunt: hi verò ad quævis facinora perpetranda sunt parati. Χρησιμοι γαρ οἱ πονηροι εις τα πονηρα· ἡλῳ γαρ ὁ ἡλος, ὥσπερ οἱ παροιμια· αλλα φιλυσιν οἱ επιεικεις, η ε κολακευεσι Sunt enim ad mala utiles improbi: Clavus enim clavo, ut est in Proverbiò, *Viri boni verò amant, aut non adulantur.*

Octavum, Amicos sibi asciscere homines, abjectos, humiles et peregrinos: à quibus non possit sibi aliquid mali metuere.

Quorsum videntur ista præcepta spectare?

Ταυτα και τα τοιαυτα, τυραννικα. Aristoteles ait ista præcepta præcipuè accommodata esse ad tres scopos, vel ut ipse nominat, ὅρυς, fines, quos Tyranni in sua gubernatione sibi ut plurimùm habent propositos: nempè subditos suos efficere primùm μικροψυχυς, pusillanimes, abjectos, et humiliter de seipsis sentientes: υδενι γαρ αν μικροψυχος επιβυλευσειε· Nam qui parvi est animi, nemini insidiatur. Deinde απιςυντας αλληλοις, sibi mutuò diffidentes et suspectos: tertiò αδυναμυντας, viribus et potentiâ destitutos. Sic enim propter μικροψυχιαν non volent, neque propter απιςιαν και αδυναμιαν facilè

audebunt aut poterunt aliquid contra Tyrannum moliri aut suscipere. Ουδεις γαρ επιχειρει τοις αδυνατοις· Nemo enim facile aggreditur, quod perficere non possit.

Quæ sunt præcepta de altero modo conservandæ Tyrannidis: qui non est ita barbarus et crudelis: sed humanior et mitior?

Aristoteles de hoc altero modo *primum* tradit hoc generale præceptum: Tyrannus ita debet suum imperium moderari, ut videatur esse βασιλικωτερον, id est, magis Regium, quam Tyrannicum: quam ad rem utile est, si possit καλως ὑποκρινεσθαι το βασιλικον, id est, aptè imitari et simulare regium erga subditos animum et imperium. *Deinde* tradit quædam specialia præcepta, quo pacto aptè possit imitari et simulare Regiam gubernationem: quæ præcepta sunt quasi ὑποκριτικα, item σοφισματα τυραννικα. Per quæ Tyranni suos subditos solent fascinare et decipere. Ὁ δ' ἕτερος σχεδον εξ εναντιας.

Quæ sunt ista præcepta?

Primum est, Tyrannus debet videri των κοινων φροντιζειν, id est, curam habere communium rerum, quæ ad omnium subditorum utilitatem et salutem pertinent. Hoc autem duobus modis consequetur. *Primò*, si publicas pecunias, quas ex laboribus et sudoribus subditorum colligit: non impendit in luxum et turpes voluptates. *Deindè*, si simulat se paratum esse de illis rationes reddere, in quos usus impenderit. Sic enim et minus erit suspectus ob avaritiam et luxuriam: et magis videbitur esse bonus economus, et fidelis dispensator publicarum pecuniarum. Πρωτον μεν δοκειν φροντιζειν.

Alterum præceptum. Tyrannus debet præ se ferre aliquam σεμνοτητα, gravitatem cum humanitate, et morum facilitate conjunctam.

Tertium præceptum. Tyrannus cavere debet, ne vel ipse, vel ejus domestici et ministri aliquem ex subditis contumelia aut injuria aliqua afficiant.

Περι τε τας απολαυσεις.

Quartum. Circa voluptates corporis ita se gerere debet, ut videatur eas non admodum expetere aut magnifacere: sed magis amare temperantiam et sobrietatem. Aut si cupiat illis interdum indulgere, ut illud clàm et occultè faciat: ne veniat in contemptum, aut per insidias opprimatur. *Ουτε γαρ ευεπιθετος, ουτ' ευκαταφρονητος ὁ νηφων, αλλ' ὁ μεθυων, ουδ' ὁ εγρηγορως, αλλ' ὁ καθευδων·* Neque enim siccus vel sobrius facilè invadi aut contemni solet, sed ebrius, neque is qui vigilat, sed qui dormit.

Τυραννιον τε ποιητεον.

Quintum. Ne videatur revera Tyrannus esse, sed potiùs quidam *επιτροπος*, curator, et bonus tutor civitatis: debet civitatem publicis ædificiis exornare: veluti sunt theatra, basilica, templa, porticus, thermæ, et his similia alia, quæ non solùm civitati splendorem, verùm etiam civibus utilitatem aliquam, et oblectationem adferre possunt.

Sextum. Ut Tyrannus in majore existimatione et auctoritate sit apud subditos suos, debet simulare pietatem et religionem sibi maxime curæ esse. Ista autem hypocrisis debet esse *ανευ αβελτηριας* absque stultitia, id est, callida et astuta, ne subditi possint animadvertere ejus simulationem: alioqùin enim magis ipsum contemnet.

Τας τε αγαθας περι τι γιγνομενας.

Septimum. Viris bonis, et benè de Repub. meritis, ipse in propria sua persona debet præmia, et quidem majora, quàm ab aliis liberis civitatibus fieri solet, distribuere: improbis autem et facinorosis per alios magistratus, et per legitima judicia pœnas infligere. Sic enim et benevolentiam apud subditos sibi conciliabit: et eorum odia declinabit.

Κοινη δε φυλακη πασης μοναρχιας.

Octavum præceptum communiter pertinet ad Tyrannum et Regem. Non debet unum aliquem solùm ex suis aulicis, præsertim si sit animo elato præditus, subitò ad magnos honores et potentiam evehere: sed plures simul conjungere: ut hac ratione se mutuo possint observare, et ex quadam æmulatione impedire, si fortè unus aliquis suâ potentiâ velit abuti adversus cæteros.

Nonum. Nemini debet subitò omnem potentiam, auctoritatem, et dignitatem auferre: sed illud facere ἐκ προσαγωγῆς, id est, sensim et paulatim: ut vix animadvertatur.

Decimum præceptum. Cavere sibi debet à contumeliosa tractatione, aut pulsatione seu verberatione suorum subditorum in infligendis pœnis: ne videantur magis ex quadam malevolentia et petulantiâ, quàm ex paterno animo ad emendationem eorum qui patiuntur, esse profectæ.

Undecimum. Tyrannus maxime sibi cavere debet ab aliis, qui videntur mortem contemnere, et vitam suam non magnifacere. Tales enim ad quodvis facinus perpetrandum sunt paratissimi. Nam ut Heraclitus ait: χαλεπὸν θυμῷ μάχεσθαι· ψυχῆς γὰρ ὠνεῖσθαι· Difficile factu est cum ira pugnare (h. e. iræ resistere) emi namque anima.

Duodecimum. Tyrannus debet operam dare, ut utrosque cives tàm divites, quàm pauperes habeat sibi ac imperio suo faventes: imprimis verò eos, quos videt esse potentiores. Ἔστι δ' αὖ πόλις ἐκ δύο.

Quod est summum caput omnium hactenus enumeratorum præceptorum?

Tyrannus hoc unum studere debet, ut videatur benignitate potiùs et clementiâ, quàm severitate et crudelitate suum imperium administrare et stabilire.

Quo pacto autem istud efficit?

1. Si ita imperium suum administret, ut non videatur esse verus Tyrannus, sed potiùs Rex, et bonus paterfamiliâs suorum subditorum. 2. Si non videatur esse σφετεριστής, id est, omnia in privatum suum commodum convertere: sed potius ἐπίτροπος, curator et tutor communium bonorum. 3. Si videatur in omnibus actionibus studiosus esse mediocritatis, fugere autem ea, quæ modum excedunt. 4. Si viros claros et nobiles sibi concilíet comitate et benevolentiâ: plebeios verò blanditiis et muneribus. 5. Si mores et actiones suas totamque vitam ita instituat, ut quantum ad virtutem attinet, videatur esse vel Περίεργον δὲ τὸ λέγειν καθ' ἕκαστον.

revera bonus: vel saltem semibonus, et non omninò malus et improbus.

Quid inde utilitatis habebit?

Multum sanè. *Primùm* enim imperium ejus videbitur esse honestius, et quodammodo Regium: ideoque magis expetendum. *Deinde* non erit in odio apud suos subditos: sed magis ab illis amabitur. *Tertiò*, non cogetur vivere in perpetuo metu: quia ejus salutem et vitam subditi potiùs, quàm interitum expetent. Denique Imperium ejus futurum est magis diuturnum.

Suntne Tyrannides diuturnæ?

Και τοι πασων ολιγοχρονιωτεραι.

Minime: et ratio est, quia nullum violentum potest esse diuturnum: atqui Tyrannides vel initio fuerunt per vim constitutæ, vel posteà per vim administrantur et retinentur. Quia autem Tyranni violenter imperant: ideò etiam plerunque violenta morte pereunt: quemadmodum Juvenalis Satyr. 10. scribit:

> Ad generum Cereris sine cæde et sanguine pauci
> Descendunt Reges, et sicca morte Tyranni.

Imò Tyrannus senex olim habitus fuit pro miraculo: sicut apparet ex responso Thaletis Philosophi, apud Diogen. Laërt. in Vita ejus, qui cum ex longa profectione domum reversus, interrogatus esset, quid maxime in illa peregrinatione observasset, quod ei mirum videretur? respondit, Se vidisse in quadam regione Tyrannum senem. In quam sententiam etiam Seneca in Hercule ait: Rarum est videre Tyrannum, qui sit felix, idemque senex.

Quomodo Aristoteles probat Tyrannides non esse diuturnas?

Aristoteles hoc declarat narratione historica quatuor exemplorum earum Tyrannidum, quæ illis temporibus maxime fuerunt celebres: quarum nulla ultrà centum annos duravit. *Primum* exemplum est de Tyrannide Orthagoræ Siconii, qui unà cum suis filiis et posteris centum annos regnavit. *Alterum* exemplum est de Tyrannide Cypseli Corinthiorum

Tyranni: qui unà cum suis filiis annos septuaginta tres, et sex menses Corinthum tenuerunt. Tertium est de Pisistrato, qui unà cùm filiis suis, annos tantùm 35. Athenis dominati sunt. Quartum est de Tyrannide Syracusana: quæ sub tribus Tyrannis Hierone, Gelone, et Thrasybulo solùm annos octodecim duravit.

CAPUT XII.

Exposuisti hactenus satis multa de causis mutationis et interitus Rerumpub. ex Aristotele sed cupio etiam ex te audire, quæ fuerit Platonis de hac quæstione opinio? Εν δε τῃ του Πλατωνος πολιτεια.

PLATO in octavo libro de Repub. causam mutationis et interitus Regnorum et Rerumpublicarum transfert primùm in naturam et conditionem omnium eorum, quæ in hoc mundo lunari globo sunt subjecta: quæ omnia talia sunt, ut nihil eorum sit firmum, stabile, et perpetuum. Sic enim, inquit, παντι γινομενῳ φθορα εςι· και εδη αυτων τον ἁπαντα μενει χρονον, αλλα λυθησεται. *Deinde* transfert causam in ipsos, penes quos est imperium, et qui in magistratu sunt constituti, quando hi ipsi inter se dissident: inquiens, ὁταν οἱ ποιμενες, και οἱ τας αρχας εχοντες προς αλληλους τε, και προς ἑαυτους ςασιαζωσι. *Tertiò* etiam causam transfert in degenerationem et pravitatem hominum: qui propter inæqualia conjugia ex se procreant liberos et posteros plerunque deteriores: qui quoniam nulla disciplina nullisque legibus patiuntur se coërceri et regi: perturbant harmoniam et tranquillitatem Reipub. undè tandem consequitur earum mutatio et eversio. Τουτο μεν αυτο λεγει ισως ου κακως. Ενδεχεται ειναι τινας, ὡς παιδευθηναι και γενεσθαι σπουδαιους ανδρας αδυνατον Atque hoc quidem ipsum fortasse non malè. Fit enim, ut tales sint, qui disciplina institui, et viri boni fieri minime possint.

Quando autem solent istæ mutationes in Rebuspublicis plerunque accidere?

Plato existimat istud solere fieri post conversionem

et revolutionem quorundam orbium cœlestium factam certo annorum numero, quem numerum ipse τελειον perfectum nominat: quem postquàm res attigerunt, incipiunt rursum quodammodò retrogradi, et paulatim in deterius mutari.

Sed quis est iste perfectus et solidus numerus?

Plato hunc annorum numerum, et istam rerum periodum seu conversionem, admodum obscurè indicat exemplo numeri novenarii in seipsum reducti et multiplicati. Quod exemplum cum adeò obscurum et perplexum sit, ut omnes etiam acutissimi Platonis interpretes fateantur, se non posse assequi, quemnam numerum Plato præcisè intellexerit, ideò existimo eum numerum neque à nobis scrupulosiùs esse inquirendum: præsertim cum ipse Plato videatur non omninò de eo certus fuisse. Nam in eodem loco ait, Musas invocandas esse, pro hujus quæstionis vera explicatione.

Quæ autem tu existimas circa hanc quæstionem utiliter posse observari?

Quatuor videntur circa hanc quæstionem de imperiorum et Rerumpub. mutatione esse notanda.

Quod est primum?

Primùm notandum est hoc ipsum, quod Cicerò lib. 2. de Divinatione, ubi hujus quæstionis mentionem facit, monet: Nimirùm se à Platone, et ex Philosophia didicisse, Naturales esse quasdam conversiones Rerumpublicarum, ut eæ tùm à principibus, id est, optimatibus: tùm a populis, ut in Democratia: aliquando à singulis, ut in Monarchia, à Regibus aut Tyrannis tenerentur.

Quod est alterum?

Deinde notandum est, quod Plato videtur voluisse indicare: fatales esse imperiorum et Rerumpub. periodos: quæ posteaquam ad summum dignitatis et potentiæ fastigium pervenerunt, ut non videantur ulterius progredi, incipiant paulatim facta conversione rursum decrescere, imminui, et omninò corruere: propterea quòd succedunt novi et imperiti,

et mali gubernatores, qui suâ vel stultitiâ, vel improbitate, aliisque vitiis perturbant harmoniam, hoc est, tranquillum Reipub. statum: unde necesse est existere seditiones, bella et tandem eversiones Rerumpublicarum.

Quod est tertium?

Tertium quòd hoc loco et quidem præcipuè notandum est, de quo etiam sacræ literæ nos admonent, est: Deum Opt. Max. in cujus omnipotenti voluntate et manu omnia posita sunt, esse eum ipsum, qui regna et imperia constituit, conservat, mutat, transfert: interdum etiam justo suo judicio propter hominum peccata et ingratitudinem omninò everti, et interire permittit: cujus rei passim et in sacris literis, et profanis historiis plurima extant exempla et testimonia. Danielis cap. ii. v. 21. dicitur: Deus transfert Regna et constituit. Proverb. cap. viii. v. 15. per me Reges regnant. Siracid. cap. 10. v. 8. Propter injustitiam transferuntur Regna de gente ad gentem: et propter delicta terræ, citò alii post alios fiunt principes, &c. Non igitur fatali quadam annorum revolutione neque casu aliquo, Regna, Imperia, et Respub. conservantur, mutantur, aut evertuntur: sed singulari DEI consilio.

Quod est quartum?

Potest etiam appendicis loco hoc quartum jam dictis adjici, de quo admonet Philippus Melanchthon in suis Chronicis, quæ olim sub Carionis nomine fuerunt edita: Nimirum experientiâ observatum esse, quod plerunque circa annum quingentesimum magnæ mutationes in Regnis et Imperiis acciderunt: sicut multis exemplis ibidem ostenditur.

Sufficiunt mihi pro hoc tempore ea, quæ de Platonis opinione commemorasti: sed quod est Aristotelis de ista Platonis sententia judicium?

Aristoteles videtur potissimùm quinque circa hanc Ἀλλ' αὕτη
quæstionem in Platonis opinione reprehendere. τι αν ιδιος
Primùm, quòd non adfert propriam causam istius ειη.

mutationis: sed eam quæ communis est etiam omnibus aliis rebus, quæ sunt in hoc mundo: nimirum quarum ea est natura et conditio: ut omne, quod generatum est, etiam tandem intereat, necessarium sit: 1. de Cœlo, c. 10. t. 102. et c. 12. t. 126 siquidem nihil in hoc mundo est, quod non sit corruptioni obnoxium: ut testatur quotidiana experientia.

Και δια τι του χρονου δ' ον λεγει. Deinde, quod causam mutationis et interitus Rerumpubl. transfert in tempus: quæ causa etiam est communis omnibus aliis rebus: siquidem omnes res tempore et vetustate mutantur, consumuntur et pereunt, teste Ovidio, lib. 15. Metamorph.

Tempus edax rerum, tuque invidiosa vetustas.
Omnia destruitis, vitiataque dentibus ævi,
Paulatim lentâ consumitis omnia morte.

Prætereà si solùm tempus esset causa mutationis et interitus rerum: tàm ea, quæ simul cepissent esse, etiam simul mutari aut interire necesse esset: sed consequens est falsum. Ergò et antecedens.

Προς δε τουτοις δια τιν αιτιαν. Tertio, quòd de modo mutationis Rerumpublicarum non rectè videtur sentire. Ait enim formas Rerumpub. per ordinariam quandam successionem, unam in alteram sibi proximè vicinam, antecedentem aut subsequentem mutari, et degenerare: Aristoteles verò ostendit, nullam esse certam causam propter quam hæc mutationis series servari debeat: sed sæpè accidere, ut aliqua forma Reipub. statim in sibi oppositam et contrariam mutetur.

Πολλων τε ουσων αιτιων δ' ον. Quartò, quod mutationis Rerumpubl. tantùm causam esse dixit Luxum et profusionem opum et facultatum: per quam cives ad paupertatem redacti, novas res moliuntur, et seditiones excitant: per quas existimant se posse iterum alias opes acquirere. Aristoteles verò ait etiam plures alias esse causas, propter quas interdum in Rebuspub. et civitatibus turbæ, seditiones et mutationes solent existere: de quibus prolixè suprà in primis septem capitibus dictum fuit: quænam sint αιτιαι φθοριας των πολιτειων.

Quintò, quòd præteriit mutationem Tyrannidis: et de Oligarchiarum mutatione neque veram causam, neque verum modum indicavit.

LIBER SEXTUS.

Quod est argumentum, et quæ sunt partes hujus Sexti Libri?

ARISTOTELES in hoc libro *primùm* tradit modum constituendi Democratiam et Oligarchiam in aliqua Republica aut civitate: idque in septem primis capitibus. *Deinde*, in postremo octavo capite enumerat varias species magistratuum, qui in civitate et Republ. benè constituta videntur esse necessarii.

CAPUT I.

Quid in hoc capite agitur?

HOC caput est veluti prooemium hujus libri: in quo hæc tria continentur: I. Ανακεφαλαιωσις eorum, quæ in duobus libris sunt explicata: nempè de sex diversis Rerumpub. formis: et de trib. præcipuis cujusque Reipub. partibus, veluti sunt, Senatus, Magistratus et Judicia.

II. Κατασκευη η προτασις, quadripartita eorum, quæ in hoc libro vult explicare. *Primùm* enim dicendum est, quæ sint instituta et leges Oligarchiæ et Democratiæ. *Deinde*, quo pacto diversæ Rerumpublicarum formæ possint utiliter inter se commisceri. *Tertiò*, de modo instituendi optimam Democratiam vel Oligarchiam. *Quartò*, quo ordine et qua methodo ista sint explicanda.

III. Pars hujus prooemii est de utilitate hujus doctrinæ.

Δηϻοκρατιων δε πλειους διαφοραι των μεθοδων.

Suntne plures et diversæ species Democratiarum?

Quinque sunt earum differentiæ sive species: de quibus in lib. 4. cap. 3. et 6. fuit explicatum.

Suntne plures Democratiæ?

Primùm, quia diversæ sunt partes sive conditiones, et vitæ genera populi: alii enim sunt occupati in colendis agris, et pascendis pecoribus: alii exercent opificia, aut mercaturam: alii sunt mercenarii: alii aliud vitæ genus, quo se alunt, amplectuntur. *Deinde*, quia Democratiæ aliæ sunt puræ: in quibus omnia instituta sunt δημοτικα, popularia: aliæ sunt mixtæ, in quibus sunt mixtæ, in quibus etiam quædam leges ex aliis formis Rerumpublicarum sunt desumptæ.

Quæ est utilitas eorum præceptorum, quæ in hoc libro explicantur?

Χρησιμον δ' εκαστον αυτων.

Duplex: *Una* est, ut sciamus, quo pacto Democratiæ et Oligarchiæ recte sint constituendæ. *Altera*, ut sciamus, quomodo vitiosæ Rerumpub. formæ sint corrigendæ: quorum utrumque est officium boni politici.

Quæ sunt in universum consideranda ei, qui vult recte bonam aliquam Rempubl. constituere?

Tria. *Primum*, τα αξιωματα, id est, opiniones et sententiæ, communiter receptæ et approbatæ ab iis, apud quos vult Rempub. constituere. *Deinde* τα ηθη, hoc est, mores et ingenia eorum. *Tertiò*, αι επιθυμιαι και τα παθη, quæ sint eorum cupiditates, et qui affectus: ut possit sua instituta illis, quantum fieri potest, accommodare: et in hac parte illis gratificari.

Unde hæc cognoscuntur?

Partim ex eorum sermonibus, partim etiam ex eorum actionibus. Nam οἱ λογοι, και αἱ πραξεις sunt σημεια, indicia sensuum animi.

Quare hæc tria consideranda sunt ei, qui bonam Rempub. vult constituere?

Causam hujus rei Aristoteles suprà in lib. 3. cap. 7.

refert: ἐπιδιώρθωσαι τὴν πολιτείαν τίθεσθαι τοὺς νόμους, ἀλλ' οὐ πρὸς τοὺς νόμους τὴν πολιτείαν. Quia leges accommodandæ sunt formis Rerumpublicarum, non autem Respublicæ ad leges.

CAPUT II.

Quæ est ὑπόθεσις, seu Fundamentum Democratiæ?

LIBERTAS. Ὑπόθεσις τῆς δημοκρατικῆς πολιτείας ἐστιν, ἡ ἐλευθερία· ταύτης γὰρ στοχάζεσθαί φασι πᾶσαν δημοκρατίαν. Democraticæ Reipub. finis sive scopus est libertas: quia hanc dicunt omnem Democratiam spectare.

Quæ sunt propriæ notæ, seu, ut Aristoteles vocat, ὅροι Libertatis politicæ?

Duæ. *Prima* est, Æqualitas juris secundum proportionem Arithmeticam, ex qua existit vicissitudo imperandi et parendi: τὸ ἐν μέρει ἄρχεσθαι καὶ ἄρχειν· καὶ γὰρ τὸ δίκαιον τὸ δημοτικὸν, τὸ ἴσον ἔχειν ἐστὶ κατ' ἀριθμὸν, ἀλλὰ μὴ κατ' ἀξίαν· Etenim jus populare est, æquale habere numero, sed non dignitate. *Altera* nota Libertatis est, Licentia seu potestas honestè vivendi ut velis: quam notam Aristoteles probat à contrario: Quia servitus est, non pro suo, sed pro alterius arbitrio vivere. Τὸ δούλου ὄντος τὸ ζῆν, μὴ ὡς βούλεται· Ejus qui est servus, vivere est, non ut velit. Hanc notam Libertatis Plato, lib. 8. de Repub. nominat ἐξουσίαν ποιεῖν ὅ, τι τις βούλεται. Et Cicero, in lib. I. Off. et in quinto Paradoxo Libertatem definit, quòd sit potestas vivendi ut velis.

Quæ sunt δίκαια δημοτικὰ, hoc est, jura et instituta, seu præcepta popularia?

Aristoteles undecim ordine enumerat. Quorum Primum est: Omnibus civibus potestatem concedere eligendi magistratum ex omnibus civium ordinibus. Τὸ τὰς ἀρχὰς αἱρεῖσθαι ἐκ πάντων.

Alterum. Omnibus civibus, per vicissitudinem concedere jus imperandi et parendi: ut hoc modo omnibus pateat aditus ad honores.

Tertium. Magistratus omnes non per suffragia,

sed per sortem eligere: exceptis iis, in quibus administrandis singularis prudentia et experientia requiritur.

Quartum. Nullos magistratus ex censu, nisi fortè admodum exiguo, alicui demandare.

Quintum. Nullum magistratum eidem sæpius committere: excepto bellico magistratu.

Sextum. Nemini magistratum nimis diu concedere.

Septimum. Judices ex omnibus ordinibus deligere; eisque potestatem judicandi de omnibus, aut saltem de gravioribus rebus concedere.

Octavum. Penes concionem populi, hoc est, penes Senatum, qui ex universo populo electus est, summam esse auctoritatem deliberandi et decernendi de rebus gravioribus ad Rempub. pertinentibus. Cæteris verò magistratibus, non nisi de rebus minimis aliquid statuendi potestatem permittere.

Nonum. Mercedem aliquam sive sportulas dare omnibus, qui publicis concionibus judiciis et deliberationibus intersunt: ut eo frequentiores conveniant.

Decimum. Homines obscuros, ignobiles, pauperes, et sordida opificia exercentes non planè à publicis honoribus et officiis excludere.

Undecimum. Quod ferè idem est cum sexto, Nullum magistratum debere esse perpetuum. Sic enim plures poterunt ad istos honores pervenire: et præcidetur iis, qui magistratum aliquem gerunt, occasio abutendi suâ auctoritate et potentiâ adversus Rempublicam.

CAPUT III.

Cum æqualitas juris ad concordiam inter cives alendam, maximi sit momenti: Quæro ex te, quomodo ea sit æstimanda?

Φασι γαρ οἱ δημοτικοι τουτο δικαιον.

ÆQUALITAS juris non eodem modo in Democratia et Oligarchia solet æstimari. Nam in Democratia à plebeiis, et à populo ea æstimatur secun-

dum proportionem Arithmeticam: si nimirùm omnes cives æquali loco et jure habentur, circa ullum respectum personarum: et illud sit δικαιον δημοτικον, quod pluribus et majori parti visum fuerit. In Oligarchia verò à nobilibus et divitibus æqualitas juris æstimatur secundum proportionem Geometricam: ita ut illud justum et ratum habeatur, quod ditioribus et potentioribus visum fuerit.

Quid ad hæc Aristoteles respondet?

Aristoteles utrorumque sententiam negat simpliciter veram et bonam esse. Nam si Democraticorum et plebeiorum sententia simpliciter debet esse vera: tunc illis secundum hoc jus licebit impunè invadere, et diripere bona divitum: et sic introducetur summa licentia pauperum adversus divites. Si verò Oligarchicorum sententia fuerit vera: tunc secundum jus licebit illis impunè pauperes injuriâ afficere et opprimere: et sic confirmabitur Tyrannis divitum atque nobilium adversus cives, pauperes et plebeios. Τις αν ουν ειη ισοτης ην ὁμολογησουσιν.

Quæ est igitur Aristotelis sententia de æqualitate juris inter cives constituenda?

Aristoteles ait utrumque ordinem civium, tàm nobilium atque divitum, quàm plebeiorum et pauperum simul considerandum esse: ita ut omnium simul habeatur ratio: et illud justum ratumque censeatur: quod majori parti ex utroque civium ordine utile et salutare visum fuerit: ne ulla pars civium videatur fuisse neglecta. Αλλα περι μεν του ισου και του δικαιου, καν ῃ πανυ χαλεπον εὑρειν την αληθειαν περι αυτων, ὁμως ῥᾳον τυχειν, η συμπεισαι τους δυναμενους πλεονεκτειν. Αει γαρ ζητουσι το ισον το δικαιον οἱ ἡττους, οἱ δε κρατουντες, ουδεν φροντιζουσι· Sed de jure et æquitate quamvis difficile sit veritatem reperire: id tamen inventu facilius est, quam persuadere iis, qui plus habere possunt, (ut scilicet invento jure et æquitate utantur). Semper enim tenuiores et minus potentes æquitatem et jus quærere solent, potentes verò ista non curant.

CAPUT IV.

Quæ Democratia judicatur ab Aristotele esse optima?

Δημοκρατιων δ' ὑσων τιττάρων.

EA quæ constat ex agricolis, quibus etiam annumerari possunt pastores: nam quod ad vitæ conditionem attinet, multa habent similia cum agricolis, vivam quasi agriculturam exercentes: quemadmodum suprà, lib. 1. cap. 5. dictum est.

Quare judicat talem Democratiam esse optimam?

Propter duas causas: *Primùm,* Quia est antiquissima. Nam primos homines, agricolas aut pastores fuisse, non solùm veterum poetarum et historicorum monumenta: Horat. lib. Epod. Od. 2. Justin. Histor. lib. 1. Joseph. lib. 1. Antiq. verùm etiam sacræ literæ testantur, Genes. iii. 23. Exod. iii. 1. I Sam. xvi. 11. *Deinde,* quia administratur ab ejusmodi ab hominibus, qui olim inter optimos habebantur. Cicero pro Roscio Amer.

Quare Agricolæ olim habebantur inter optimum populum?

Quoniam propter inopiam perpetuò occupati sunt in laboribus ad acquirendum victum, et reliqua vitæ necessaria: ita ut illis non sit otium insidiandi aliorum bonis et facultatibus. Propterea quia in urbibus multæ sunt voluptatum illecebræ, variæ se offerunt occasiones ad peccandum, plurima reperiuntur malorum et improborum hominum exempla, per quæ interdum etiam boni possunt corrumpi. Denique quia agricolæ non ambitiosè affectant honores in Republica. Sed ut Aristoteles inquit, ἥδιον αυτοις εϛιν εργαζεσθαι, η πολιτευεσθαι, malunt laborare, quàm Rempublicam administrare. Nam ex ejusmodi laboribus, honestas sibi acquirunt divitias, quæ illis longè sunt suaviores, quàm honores, qui ex magistratibus percipiuntur: qui interdum plus invidiæ et molestiarum, quàm utilitatis in se habent. Quod Aristoteles confirmat exemplo priscorum agricolarum: qui etiam Tyrannides, et duris-

Πολλοι μαλλον οϱεγονται του κεϱδυς, η της τιμης.

simas Oligarchias patienter tulerunt: modò non impedirentur in colendis suis agris, et in percipiendis ex eorum cultura fructibus. Hinc Cicero pro Q. Roscio inquit, Vita rustica maxime disjuncta est à cupiditate, scilicet honorum et pecuniæ: estque parsimoniæ, diligentiæ et justitiæ magistra.

Sed quid faciendum est, si etiam aliqui ex agricolis sint honorum cupidi?

Talibus Aristoteles existimat duplici ratione posse occurri, ne videantur planè ab honoribus excludi. *Primùm*, si etiam adhibeantur electioni magistratuum. *Deinde*, si quoque vocentur ad audiendas, et cognoscendas rationes gestorum magistratuum. Ετι δε το κυριους ειναι του αιρεισθαι.

Quæ sunt autem observanda circa electionem magistratuum in tali Democratia?

Tria. *Primùm*, ut omnibus potestas sit veniendi ad ejusmódi electionem. *Deinde*, ut magistratus non sorte, sed per suffragia eligantur. *Tertiò*, ut in majoribus magistratibus mandandis ratio habeatur, partim censuum et facultatum: partim etiam virtutis et industriæ: ne tales magistratus mandentur vel nimium pauperibus, qui illis recte administrandis propter egestatem vacare non possunt: vel hominibus imperitis, et ad ejusmòdi munia recte obeunda minus idoneis. Διο δε και συμφερον εστι.

Quæ utilitas est hujusmodi Electionis?

Primùm, quòd hac ratione præcipui magistratus semper per optimos quosque administrabuntur. *Deinde*, quòd populus non invitus, sed volens obtemperabit illis magistratibus: quos ipsemet suo suffragio elegit. *Tertiò*, qui hoc modo electi sunt, non laborabunt invidia apud subditos. *Quartò*, quòd hæc administratio non displicebit viris bonis et excellentibus: siquidem non cogentur subjecti esse deterioribus. *Quintò*, quòd hac ratione ipsi qui magistratu funguntur, magis continebuntur in officio, ut justè imperent: scientes sibi rationes reddendas esse populo, de omnibus iis, quæ in magis-

tratu gesserunt. Το γαρ επανακρεμασθαι, και μη παν εξειναι ποιειν, ὁτι αν δοξη συμφερον εςιν. Ἡ γαρ εξουσια του πραττειν, ὁτι αν εθελη τις, ου δυναται φυλαττειν το εν ἑκαςῳ των ανθρωπων φαυλον· Utile namque est, suspenso esse animo (vel compesci) et non licere quodlibet facere: Nam potestas faciendi, quod quisque velit, non satis est, quod in quoque est, malo continendo.

Quomodo autem potest in tali Democratia populus in agriculturæ studio retineri?

Περι δε το κατασκευαζειν.

De ea re Aristoteles commemorat, fuisse apud veteres tres leges constitutas: quarum *prima* fuit: Nemini licitum esse debere, plures agros coëmere et continuare: ne per hanc rationem omnes agri paulatim venirent ad paucos dominos divites: reliqui verò pauperes cogerentur egere. *Altera* lex. Nemini licitum sit, eam partem agrorum, quam vel à Repub. per sortem: vel à suis majoribus per hæreditatem accepit, vendere, vel alienare, vel alteri pro pecunia mutuò accepta, oppignorare. *Tertia* lex jubebat, ut singuli eam partem agrorum, quæ illis à Republ. assignata fuerat, ipsi colerent, et de illis censum annuum civitati persolverent.

Quare reliqua turba hominum, veluti sunt opifices, institores, mercenarii, et similes, non sunt æquè idonei ad constituendam bonam Democratiam, sicut agricolæ?

Τα δ' αλλα πληθη παντα.

Propter duas causas: *Primùm,* ὁτι ὁ βιος αυτων φαυλος, και ουδεν εργον μετ' αρετης: hoc est, Quia vitæ genus, quod sectantur, est vitiosum, et nulla habet virtutis exercitia: sed majore ex parte ad quæstum, avaritiam, dolum, et fraudes est directum. *Deinde,* quia hoc genus hominum plerunque est curiosum, et novarum rerum cupidum: ideoque tales frequentiores sunt in publicis conventibus et deliberationibus: in quibus sæpè solent bona consilia vel oppugnare, vel impedire, vel omninò evertere: ab agricolis verò et pastoribus, quia per agros, per sylvas, et montes extra urbem sunt dispersi, nihil tale est metuendum.

Quæ est deterrima Democratia?

Ea quæ ab Aristotele suprà, in 4. libro postremo loco fuit posita: in qua omnes qui in civitate habitant, indifferenter pro civibus habentur: et ad honores atque magistratus admittuntur. Πως μεν ουν δει καταςκευαζειν.

Quare hæc Democratia dicitur deterrima?

Quia in ea est magna confusio civium: cùm omnes tàm nobiles, divites, clari, quàm ignobiles, pauperes, et plebeii atque infimi eodem loco habentur. Et propterea quoque necesse est eam non esse diuturnam et stabilem.

Quæ sunt circa Democratiam observanda, ut possit esse firma?

De hac re tria ab Aristotele traduntur præcepta. Primùm est, Ad stabiliendam Democratiam utile est plebeiorum civium numerum augere: ut major sit populi potentia, ad resistendum divitibus et nobilibus: ut possint populum opprimere. Προς δε το καθιςαναι ταυτην.

Quomodo augetur civium numerus?

Si non solùm in civium numerum recipiuntur, qui ex utroque parente, sed etiam qui ex uno solùm parente cive nati sunt: præterea si etiam peregrini et exteri civitatis jure donantur.

Sed quid hîc est observandum?

Cavendum est, ne civium plebeiorum numerus nimium augeatur: sed tantùm eo usque, ut populi potentia major sit, quàm reliquorum civium. Etenim nimia populi multitudo parit in Republ. αταξιαν, id est, confusionem: deinde reddit populum petulantem et effrenem, existimantem sibi quidvis licere: undè facilè existunt seditiones, per quas ejusmodi Democratiæ tandem evertuntur. Ολιγον μεν γαρ πονηρον παρορᾶται· πολυ δε γινομενον, εν οφθαλμοις μαλλον εςιν. Nam exiguum quidem malum despicitur, majus verò factum, magis incurrit in oculos.

Quod est alterum præceptum stabiliendæ Democratiæ?

Ad stabiliendam et conservandam Democratiam Ετι δε και

τα τοιαῦτα κατασκευασματα. utile etiam est, servare quatuor instituta Clisthenis Atheniensis, qui pulsis triginta Tyrannis Democratiam populo restituit. Quorum *primum* est, quòd ejectis triginta Tyrannis, plures tribus φυλας et tribuum partes φρατριας constituit. *Alterum*, quod privata singularum familiarum sacra commutavit in publica et communia. *Tertium*, quòd omnia discrimina ordinum inter cives sustulit: et cives ita inter se permiscendos esse censuit: ut nulla, aut saltem exigua ratio haberetur nobilitatis generis, divitiarum, et similium rerum. *Quartum*, quod sustulit collegia et sodalitates civium, qua sub imperio xxx Tyrannorum fuerunt instituta: ne cives sub prætextu istarum sodalitatum possent deinceps inter se conspirare, et turbas movere.

Quod est tertium præceptum?

Ετι δε και τα τυραννικα κατασκευασματα. In stabilienda ultima Democratia, utile est etiam quædam Tyrannica instituta assumere: siquidem hæc ultima Democratia est species quædam Tyrannidis: unde etiam Cicero in lib. de Republ. populum nominat Tyrannum. Quæ autem sint illa Tyrannica κατασκευασματα, suprà, lib. 5. cap. 11. dictum est: quibus in hoc capite additur victus et vitæ licentia, hac namque via multi comparantur, qui huic statui, quo talis licentia permittitur, optimè cupiant, eumque auctum et conservatum velint. Ἡδιον γαρ τοις πολλοις το ζῆν ατακτως, η το σωφρονως. Quia plerisque jucundius est licenter vivere quàm modestè.

CAPUT V.

Quid in hoc capite agitur?

Εςι δ' εργον του νομοθετου. TRADUNTUR quædam alia præcepta generalia, quo pacto Democratiæ sint diu in suo statu conservandæ: siquidem boni politici et legumlatoris officium est, non solùm benè posse Rempub. aliquam describère et constituere: sed etiam rationem ostendere, quo pacto possit quàm diutissimè in suo statu

firma et stabilis permanere, juxta dictum Poëtæ, lib. 2. de Art. Amand. v. 13.

Non minor est virtus, quàm quærere, parta tueri:
Casus inest illîc, hic erit artis opus.

Ου το καταςησαι μεγιςον εργον, ουδε μονον εν, αλλ' όπως σωζηται μαλλον· Non illud est maximum, aut unum solum, (Rempub.) constituisse, sed potius ut conservetur. Imò ex diuturnitate alicujus Reipubl. optimè potest judicium fieri de ejus bonitate et perfectione. Quam ob causam etiam Lycurgi prudentia fuit celebrata: qui apud Lacedæmonios talem formam Reipubl. constituit: quæ per multa secula duravit.

Quot traduntur in hoc capite ab Aristotele præcepta δημοκρατικα?

Septem, quorum primum generatim pertinet ad omnes Respublicas videlicet vitare omnia ea, quæ Rempublicam possunt mutare aut perdere: contra verò ejusmodi leges et consuetudines introducere, quæ Reipub. possunt esse utiles et salutares.

Alterum, Populi potentiam non nimium augere: ne inde reddatur effrenis et petulans, et occasionem nanciscatur movendi turbas et seditiones. Και μη νομιζειν τουτ' ειναι.

Tertium, Non permittere Demagogis, ut bona et pœnæ pecuniariæ reorum condemnatorum publicentur, et inter populum distribuantur: sed potiùs in sacros usus et cultum divinum convertantur: ne populus in condemnandis reis et eorum bonis publicandis nimium sit facilis.

Quartum, Cavere ne publica judicia sint frequentia: et graves pœnas constituere iis, qui temerè aliquem accusarunt. Ετι δε τας γινομενας δημοσιας.

Quintum, Operam dare, ut vel omnes cives, vel saltem major et melior pars eorum, qui cæteris nobilitate, divitiis, prudentiâ, et usu rerum antecellunt, optimè affecti sint erga Rempub.

Sextum, Rariores habere conciones seu conventus civium, in quibus populo distribuenda est sportula,

hoc est, merces seu pecunia aliqua tenuioribus: quæ pecunia colligebatur vel à ditioribus, vel ex publico ærario erat sumenda. Sic enim divites minus gravabuntur: et ærarium minus exhaurietur. Ὁ τετρημενος γαρ εςι πιθος ἡ τοιαυτη βοηθεια τοις αποροις· Tale enim præsidium tenuioribus est pertusum dolium.

Αλλα δει τον αληθινως δημοτικον.

Septimum, Imprimis verò cavere oportet, ne populus nimiâ prematur egestate: Nam, απορον ειναι αιτιον εςι τα μοχθηραν ειναι την δημοκρατιαν· Egere enim causa est, cur Democratia sit vitiosa: et ut in lib. 2. cap. 4. dictum est, ἡ πενια ςασιν εμποιει, και κακεργιαν, h. e. Paupertas seditionis et maleficiorum effectrix est. Itaque excogitandi sunt modi aliqui, per quos possit pauperum egestas sublevari; quorum Aristoteles hoc loco quatuor enumerat. Primus modus sublevandi egestatem pauperum est, in civitatibus, quæ habent magnos reditus, ex publico ærario pecunia aliqua pauperibus danda est, quâ possint vel agrum aliquem sibi emere ad comparandum victum: vel negotiationem aliquam instituere, undè lucellum aliquod habeant.

Alter modus sublevandi pauperes sumitur ab exemplo Carthaginensium: qui pauperes cives mittere solebant in colonias et exteras provincias: iisque distribuebant agros et prædia colenda.

Tertius modus est, si Respubl. vel etiam alii privati nobiles et divites pauperibus præbeant aliqua opera efficienda, pro certa mercede: ut inde sibi vitæ necessaria possint comparare.

Quartus modus sumitur ab exemplo Tarentinorum: qui ut populi favorem et gratiam retinerent solebant suorum bonorum usumfructum aliqua ex parte etiam pauperibus communicare; proprietatem tamen eorum sibi reservantes. Ita etiam olim DEUS, populo Israëlitico præceperat, ne agros suos omninò demeterent; sed partem aliquam fructuum pro pauperibus illis relinquerent, Levit. xix. 9. Præterea magistratus solebant eligere partim per

sortem, partim per suffragia: ut hac ratione etiam pauperibus relinqueretur aliqua spes perveniendi ad tales honores.

CAPUT VI. ET VII.

Quid in his duobus capitibus agitur?

QUEMADMODUM in quatuor proximis capitibus Aristoteles præcepta quædam tradidit Democratica: ita in his duobus capitibus tradit præcepta Oligarchica, hoc est, de constituenda et conservanda Oligarchia.

Quotuplex est Oligarchia?

Aristoteles hoc loco duplicem facit Oligarchiam: *unam* nominat ευκρατον, id est, benè temperatam, hoc est, moderatam, non nimis duram: quam etiam nominat πρωτην, primam, hoc est, optimam: quæ vicina est ei formæ, quæ communi nomine πολιτεια appellatur. *Alteram* ακρατον, non temperatam, duram et servam: quæ est pessima, et vicina Tyrannidi: quam propterea nominat δυναστικωτατην, και τυραννικωτατην των ολιγαρχιων: ex Oligarchiis dynastiæ et tyrannidi simillimam.

Την μεν ευκρατον μαλιστα.

Quot habes de Oligarchia in his duobus capitibus præcepta?

Novem, quorum Primum est, In constituenda Oligarchia omnia ferè contrario modo instituenda sunt, quàm in Democratia: et ratio est, quia Oligarchia Democratiæ est contraria.

Alterum præceptum, In mandandis magistratibus et conferendis honoribus ratio habenda est censuum et facultatum: ita ut præcipua auctoritas et potestas sit penes eos, qui opibus et divitiis antecellunt.

Ἡ δει τα τιμηματα διαιρειν.

Tertium præceptum, etiam tenuioribus civibus aditus ad honores concedendus est, si assecuti fuerint eum censum qui præfinitus est: et idonei sint ad publica negotia rectè administranda.

Quartum præceptum, Interdum etiam census augendus est: ne nimis multi irrepant in magistratum: et sic ex Oligarchia paulatim fiat πολυαρχια.

Ὁμοιως δε και την εχομενην.

Quintum præceptum, In extrema et pessima Oli-

garchia, diligentissima cura et custodia opus est, ut in suo statu possit conservari. Ratio, quoniam ea quæ plus in se habent vitii, facillimè et levissima de causa offenduntur, et pereunt. Declaratur duobus exemplis similibus. Ὥσπερ γαρ τα μεν σωματα ευ διακειμενα προς ὑγιειαν, και πλοια τα προς την ναυτιλιαν καλως εχοντα τοις πλωτηρσιν επιδεχεται πλειους ἁμαρτιας ὡστε μη φθειρεσθαι δι' αυτας· τα δε νοσερως εχοντα τῶν σωματων, και τα των πλοιων εκλελυμενα, και πλωτηρων τετυχηκοτα φαυλων, ουδε τας μικρας φερειν δυνανται ἁμαρτιας· ὑτω και των πολιτειων αἱ χειρισται πλειστης δεονται φυλακης·
Ut enim corpora benè constituta, et naves ad cursum nautis benè instructæ plura incommoda sive peccata citra interitum vel læsionem in se recipiunt: morbosa verò corpora, et naves fatiscentes, malisque instructæ nautis, ne parva quidem incommoda ferre possunt: ita et pessima quæque Respub. plurimam cautionem desiderat.

Τας μεν εν δημοκρατιαις.

Sextum præceptum, Quemadmodum Democratiæ præcipuè conservantur et stabiliuntur numero et multitudine civium; ita Oligarchiæ conservandæ sunt τῃ ευταξιᾳ, bono ordine civium.

Septimum præceptum, Ad constituendam firmam et diuturnam Oligarchiam, eligere oportet regionem planam et campestrem: quæ apta sit ad alendum equitatum, et ad pedestres copias militum gravioris armaturæ: nam in his duobus præcipuè consistit robur, potentia et salus Oligarchicorum. Αἱ δ' ἱπποτροφιαι, των μακρας ουσιας κεκτημενων εισιν· Equos autem alere, est eorum, qui magna sunt re familiari.

Octavum præceptum, Ad publicos honores et magistratuum aditus patere debet, non solum iis, qui in præsenti tempore habent censum præfinitum: verùm etiam iis, qui postea eum sunt suâ industriâ consecuti si ad certum aliquod tempus à sordidis opificiis abstinuerunt: aut propter certas causas fuerunt ab aliis ex reliqua civium multitudine peculiariter electi.

Ετι δε και ταις αρχαις ταις.

Nonum præceptum, Ad conservandam Oligarchiam utile est, ut iis, qui majores magistratus gerunt, etiam injungantur quædam publica munia,

et onera suis propriis sumptibus, in communem civitatis usum sustinenda et perficienda. Veluti sunt, ut initiò sui magistratus publica sacrificia magnificè pro salute totius civitatis peragere: Templa Deorum splendidis donariis exornare: epulum populo præbere: munitiones quasdam, ut mœnia, aggeres, fossas, propugnacula, in defensionem urbis extruere: consimiliter etiam publica ædificia, theatra, porticus, basilicas, aquæductus, thermas, et his similia in communem civium usum adornare: denique ludos et spectacula populo exhibere. Ex quibus duplicem percipiunt utilitatem. Una est, quòd cives minus invidebunt ipsis illos honores: altera, quòd hac ratione ii, qui hos sumptus faciunt, relinquent post se perpetuam memoriam et monumenta suæ erga Rempub. liberalitatis.

CAPUT VIII.

Quid in hoc capite agit Aristoteles?

ARISTOTELES in hoc capite iterum agit de differentiis magistratuum in civitate et repub. recte constituenda: de quibus etiam supra, in lib. 4. cap. 15. cœperat agere.

Quare iterum de magistratibus agit?

Quia ex tribus partibus, quæ legumlatori et politico in constituenda Republica considerandæ sunt, Magistratus est præcipua pars, et maxime necessaria ειπερ ανευ αρχοντων αδυνατον ειναι πολιν· Absque magistratibus fieri nequit, ut sit civitas, lib. 4. cap. 4.

Quæ sunt illæ tres partes?

Una dicitur βουλη, id est, Senatus seu consilium, cujus officium est consultare et deliberare de rebus negotiis communiter ad civitatem et omnium civium salutem atque utilitatem pertinentibus. *Altera* pars nominatur αρχη, id est, magistratus, penes quem est imperandi et jubendi potestas atque auctoritas. *Tertia* pars sunt τα δικαστηρια, judicia, in quibus de controversiis et contractibus civium forensibus disceptatur.

Quare Magistratus est præcipua pars in Republica?

Quia etiam duas reliquas partes sub se complectitur, quibus quoque potestatem habet mandandi et imperandi ea, quæ videntur ex utilitate et dignitate Reipublicæ esse necessaria. Sic enim scribit Aristoteles, lib. 4. Politic. cap. 14. Ἡ αρχη εςι μερος της πολιτειας ῃ αποδεδοται τὸ βελευσασθαι περι τινων και κρινειν, και επιταττειν.

Quis dicitur Magistratus?

Magistratus est persona publica in potestate aliqua constituta, per quam habet jus tàm imperandi ea quæ fieri vel non fieri debent, quàm cogendi et puniendi inobedientes et delinquentes.

Quæ est igitur propria nota, vel ut Cicero nominat, Vis, hoc est, Officium Magistratus?

Proprium munus et officium Magistratus est, επιταττειν, id est, præcipere et imperare recta, utilia, et cum legibus conjuncta. Sic inquit Aristoteles, το επιταττειν αρχικωτερον εςι: præcipere et mandare maxime proprium est ipsius magistratus. Et Cic. lib. 3. de Legib. Magistratus hæc est Vis, ut præsit, præscribatque recta et utilia et conjuncta cum legibus. Ut enim magistratibus leges: ita populo præsunt magistratus: vereque dici potest: magistratum legem esse loquentem, legem autem mutum magistratum.

Unde magistratus habet suam auctoritatem et potestatem?

A Deo ipso, teste Apostolo Paulo, in Epistola ad Rom. cap. xiii. v. 2. 4. Is enim est qui primus magistratùm constituit, ejusque auctoritatem esse salvam voluit, et hactenus punivit eos, qui magistratui se opposuerunt: sicuti testantur tàm sacræ, quàm prophanæ historiæ seditiosorum hominum, qui divinitus fuerunt puniti: imò etiam Ethnici poëtæ affirmant, Reges Terræ Deo curæ esse, atque ab eo juvari atque defendi: undè Homerus eos nominat Διοτρεφεις, quasi Jovis alumnos, Iliad. β. v. 98. et Hymno in Musas et Apoll. ait: εκ δε Διος βασιληες,

h. e. Ex Jove Reges. Propter hanc causam etiam Apostolus, I. Timoth. cap. ii. et ver. 2. præcipit, pro Regibus et Magistratibus esse orandum.

Quare Magistratus in civitatibus sunt necessarii?

Propter officium quod sustinent, de quo anteà dictum est: quod consistit *primùm* et maximè in præscribendo et præcipiendo ea, quæ sunt honesta, utilia, et legibus consentanea: *deinde* in vitando et prohibendo ea, quæ illis sunt contraria: *tertiò* in coërcendis et puniendis iis, qui legum sunt contemptores et transgressores, de qua necessitate Cic. lib. 3. de Legibus sic scribit: Magistratibus in civitate opus est: sine quorum prudentiâ et diligentiâ esse civitas non potest: quorum descriptione et constitutione, quæ cujusque Reipublicæ forma sit, intelligitur. Et in eodem libro: Sine Imperio, hoc est, sine Magistratu, nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum universum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse Mundus durare potest.

Estne unus solus Magistratus?

In omni quidem Repub. benè constituta, unus est aliquis summus magistratus: verùm propter rerum et negotiorum civilium multitudinem et varietatem, quæ tanta est, ut non possint solùm per unum aliquem commodè administrari: ideò plures sunt magistratuum differentiæ sive species, quas Aristoteles partim suprà, in lib. 4. cap. 14. cœperat enumerare: partim verò pleniùs in hoc capite persequitur: quas sub sequente divisione possumus aliquo modo comprehendere.

Quæ est igitur ista Magistratuum divisio?

Magistratus alii sunt necessarii: alii non necessarii, sed honorarii. Necessariorum sunt tres differentiæ: alii enim sunt Politici, alii Bellici, alii Sacri. Necessariorum quinque sunt species, nempè Præfectura 1. Mulierum, 2. Puerorum, (τοις γαρ αποροις αναγκη χρησθαι και γυναιξι, και παισιν ὥσπερ ακολουθοις δια την αδουλιαν· Nam pauperibus necesse est uti mulieribus

Πρωτον μεν ουν επιμελεια.

et pueris tanquam ministris, quoniam servos non habent in fin. hujus cap.) 3. Legum, 4. Gymnasiorum, 5. Ludorum et Certaminum.

Quæ sunt differentiæ Politicorum Magistratuum?

Politicorum Magistratuum duæ sunt differentiæ: alii n. sunt Urbani, alii Suburbani. Ex urbanis unus aliquis magistratus est summus veluti ἡ βουλη, consilium seu senatus. Reliqui sunt inferiores: quorum septem species in hoc loco enumerantur: veluti sunt, 1. Οἱ αγορανομοι, præfecti fori, et rerum, venalium. 2. Αστυνομοι, præfecti ædificiorum in urbe tàm publicorum, quàm privatorum. 3. Επιμεληται των προσοδων, præfecti ærarii, et publicorum redituum. 4. Οἱ γραφεις, scribæ, et publici notarii contractuum. 5. Οἱ σωματοφυλακες, præfecti custodum carceris, et eorum qui Reipub. nomine captivi tenentur. Τους δε μοχθηρους ουκ ασφαλες ποιειν κυριους· αυτοι γαρ δεονται φυλακης μαλλον, η φυλαττειν αλλους δυνανται· Pravos autem nequaquam tutum est ei præficere: cum ipsi potius indigeant custodia et carcere, quam alios debeant custodire. 6. Οἱ πρακτορες, exactores mulctarum ab iis, qui judicio sunt condemnati. Ὁτι ουδεν οφελος γινεσθαι μεν δικας περι των δικαιων, ταυτας δε μη λαμβανειν τελος· Nam nihil prodessent de rebus justis judicia aut sententiæ, nisi forent, qui eas executioni mandarent. 7. Εξεταςαι των ευθυνων, præfecti audiendis, cognoscendis et corrigendis rationibus eorum, quæ quis in magistratu suo gessit. Suburbanorum Magistratuum sunt duæ species: nempè οἱ αγρονομοι, agrorum procuratores: et ὑλωροι, sylvarum custodes.

Quæ sunt differentiæ Bellicorum Magistratuum?

Μετα δε ταύτας, τας αναγκαιας.

Ex bellicis magistratibus unus aliquis est summus, πολεμαρχος: reliqui sunt ei subjecti: ex quibus alii sunt primarii et duces: quorum sunt tres species: nempè ἡ ςρατηγοι, duces peditum: ἱππαρχοι, magistri equitum: ναυαρχοι, præfecti classici. Alii verò sunt secundarii: videlicet φυλαρχοι, ταξιαρχοι, λοχαγοι, εκατονταρχοι, δικαδαρχοι, et similes.

Quæ sunt differentiæ Sacrorum Magistratuum?

Qui circa res sacras versantur, sunt duplices: aut ipsi res sacras peragunt et operantur: ut sunt ἱεροποιοι, sacrifici et sacerdotes: aut procurant, ut ea, quæ ad divinum cultum pertinent, ritè administrentur et conserventur: atque horum alius est supremus, qui dicitur Rex sacrorum, et πρυτανις: alii inferiores, veluti sunt ejus ministri: item ναοφυλακες, templorum custodes: item ταμιαι των ἱερων χρηματων, quæstores et dispensatores sacrarum pecuniarum, et aliarum rerum quæ ad ornatum templorum pertinent. Αλλο δ' ειδος επιμελειας ἡ περι τους Θεους.

Atque hæ sunt differentiæ Magistratuum, quæ ab Aristotele in hoc capite enumerantur. Quæ autem fuerint singulorum officia, et quis usus: consulatur præter textum Aristotelicum qui hic ὡς ει τυπῳ docet, Carolus Sigonius in libello de Republica Atheniensium.

LIBER SEPTIMUS.

Quod est argumentum, et quæ sunt partes hujus Libri?

QUOD argumentum hujus Libri sit, statim ex primis ejus verbis intelligi potest: inquit enim Aristoteles se velle instituere ζητησιν περι της αριστης πολιτειας, inquisitionem de optima Repub. quo pacto ea sit constituenda. Quod verò ad partes hujus libri attinet: videtur quoque ipse Aristoteles in principio quarti capitis duas ejus constituere partes: prooemium scilicet, et εκθεσιν: cum ait se ea, quæ in tribus primis capitibus habentur, procemii loco scripsisse: deinceps verò restare, ut ostendat, quo pacto ex voto optima Respub. sit constituenda.

Quid in exordio agitur?

In exordio hujus libri præcipuæ hæ tres quæs-

tiones explicantur: *Prima,* Quæ sit hominis optima vita? *Altera,* Utrum eadem sit felicitas seu beatitudo totius civitatis, quæ est singulorum civium? *Tertia,* Utra vita sit præstantior, Politicane seu practica: an Philosophica seu theorica. His tribus quæstionibus in *secundo* capite etiam annectitur quarta quæstio, Quis sit optimus status civitatis? quæ quæstio postea in altera hujus libri parte explicatur.

Altera pars hujus libri, ἡ ἐκθεσις, quæ continet?

Ἡ ἐκθεσις, incipit in quarto capite, et continet in se duas partes: quarum prima est de modo et ratione constituendi optimam Rempub. Altera continetur in duobus postremis capitibus, nimirum de ratione educandi et instituendi eum, qui bonus civis fieri debet: facto initio ab ipsa infantia, seu potiùs à tempore conceptus, usque ad finem anni septimi.

CAPUT I.

Quid præcipuè considerandum est ei, qui cupit optimam constituere civitatem seu Rempublicam?

Περὶ πολιτειας ἀριστης τον.

Ei qui cupit optimam constituere civitatem et Rempub. præcipuè considerandum est, quæ sit optima, hoc est, beata hominis vita: quæ ei maxime est expetenda. Nam in hunc finem initiò civitates præcipuè fuerunt conditæ: ut homines inter se mutuò benè beateque viverent.

Quæ est autem hominis optima vita?

Optima hominis vita est, quæ conjuncta est cum virtute: insuper etiam omnibus iis bonis satis instructa, quæ requiruntur ad virtutum actiones sine impedimento exercendas.

Quare talis vita dicitur esse optima?

Quia est perfecta: constat enim ex omnibus tribus bonorum generibus, Animi, Corporis et Fortunæ: inter quæ tamen, Animi bona, hoc est, Virtutes, præcipuum locum habere debent: ita ut ea vita sit optima, in qua plurimùm est virtutis.

Objectio. Atqui plerique homines eam vitam optimam esse existimant, in qua plurimum est bonorum Fortunæ: etiamsi parum ei adsit virtutis, unde etiam semper illud Poëtæ in corde et ore habent: O cives, cives: quærenda pecunia primum: Virtus post Nummos?

Est quidem hæc vulgi opinio qui virtutis quidem satis habere se putant, quantumcunque habeant: divitiarum vero infinitum magnitudinem quærunt: της μεν αρετης εχειν ἱκανον νομιζουσιν ὁποσονουν· πλουτου δε εις απειρον ζητουσι την ὑπερβολην. Eam verò falsam esse Aristoteles affirmat, posse duplici modo probari: primum δια των εργων, id est, ipsis rebus et factis: seu ab experientia: deinde, κατα τον λογον, id est, rationibus et argumentis. Ἡμεις δε αυτοις ἐρουμεν.

Quo pacto istud probat εκ των εργων?

Duobus argumentis sive signis. Primùm, Quia ex communi vita compertum est per bona animi, hoc est, per virtutes, doctrinam, et eruditionem posse comparari et acquiri honores, dignitates, opes, atque divitias: sicut testantur infinita exempla eorum, quos virtus et eruditio è pauperibus divites fecit: ex obscuris nobiles et claros reddidit: apud Ælian. lib. 12. Var. Hist. cap. 43. et ex humili loco ad altissimum dignitatis et honoris gradum evexit, apud Valer. Max. lib. 4. c. 4. Etenim ut Plautus ait, in Amphitr. a. 2. sc. 2. v. 20. Virtus omnia in se habet, omniaque bona adsunt ei, penes quem est virtus. Et Virgilius, libro 10. v. 468.

Virtutis opus est famam extendere factis.

Et Ovidius: lib. 1. de Ponto Eleg. 10.

Si modò non census, nec clarum nomen avorum,
Sed probitas magnos ingeniumque facit.

Imò sine virtute bona externa non sunt firma, nec diuturna: sed paulatim amittuntur et evanescunt.

Quod est alterum argumentum? Και τι ζην ευδαιμονως ὁτ᾽ εν.

Alterum argumentum sive signum sumitur à communi hominum judicio, atque ab ipso facto. Etsi

enim omnes propè homines majore studio contendant ad divitias cumulandas, quàm ad comparandam virtutem: tamen velint, nolint, coguntur beatiores judicare, et magis admirari, et honorare eos, qui virtutibus, doctrinâ, et sapientiâ cæteris antecellunt, licet non sint divites: quàm eos qui divitiis quidem abundant: nullâ autem virtute aut doctrinâ sunt præditi. Undè apparet beatam vitam magis ex animi, quàm ex fortunæ bonis æstimandam esse.

Quomodo autem hoc ipsum Aristoteles probat κατα τον λογον, id est, argumentis et rationibus, ex ipsa re desumptis?

Ου μην αλλα και κατα τον λογον.

Hujus probationis ab Aristotele commemorantur quinque argumenta: quorum primum sumitur à natura externorum bonorum. Bona externa sunt finita: igitur in illis non quærenda est nimia multitudo: et per consequens ex eorum multitudine et affluentia non est hominis felicitas æstimanda. Antecedens probatur. Omne instrumentum est finitum, suprà, lib. 1. cap. 5. et infrà, cap. 4. Bona autem externa sunt instrumenta ad actiones virtutis exercendas utilia. Παν δε το χρησιμον εστιν, ὠν την ὑπερβολην, η βλαπτειν αναγκαιον, η μηδεν οφελος ειναι αυτων τοις εχουσι· Quicquid autem utile est, est in iis rebus, quarum magnitudinem sive nimium necesse est aut nocere, aut nihil prodesse iis, qui habent. Ergò sunt finita.

Alterum argumentum sumitur ab effectu contrario. Quæ bona multis hominibus fuerunt exitiosa, in illis non potest collocari beata hominis vita: Sed bona externa, veluti sunt honores, forma, et robur corporis, divitiæ, et his similia, multis fuerunt exitiosa: quod infinitis exemplis potest demonstrari. Ergò in bonis externis non ponenda est beata hominis vita.

Tertium argumentum sumitur à dignitate et præstantia subjecti, cui virtutes insunt, nempè ab animo, quem debent perficere, qui longè præstantior est corpore aut fortunâ.

Quartum argumentum sumitur ex comparatione bonorum animi et externorum: nam animi bona per et propter se expetuntur: externa autem bona expetuntur non propter se, sed propter animi bona, id est, virtutes: quatenus sunt instrumenta. Confirmatur hæc ratio exemplo Dei, qui per se et propter se est beatus et laudandus et non propter aliud. Ὁ θεος ευδαιμων μεν εϛι και μακαριος, δι' ουθεν δε των εξωτερικων αγαθων αλλα δι' αυτον αυτος, και τῳ ποιος τις ειναι την φυσιν.

Ετι δε της ψυχης ενεκεν.

Quintum argumentum sumitur à discrimine, quod est inter beatam vitam et secundam fortunam: nam si ευδαιμονια, id est, beata vita hominis posita esset in externis bonis: tàm ea nihil differret ab ευτυχια, id est, secunda fortuna: et sic omnes ευτυχεις, id est, fortunati, quoque essent ευδαιμονες, id est, beati. Sed consequens est falsum: nam viri boni propter virtutem dicuntur revera esse beati: etiamsi sæpe numero non sint fortunati. Sic multi sunt mali et improbi, quibus fortuna favet, et judicantur esse fortunati: qui tamen non possunt dici beati.

Si itaque de optimè constituta civitate judicandum est ex hominis optima vita: quæ igitur civitas dicitur optimè esse constituta?

Eam civitatem optimè constitutam esse existimo: in qua omnes aut saltem plerique cives virtutis sunt studiosi, id est, secundum virtutem vivunt et agunt. Αδυνατον δε καλως πραττειν τοις μη τα καλα πραττουσιν. Fieri autem non potest, ut rectè agant, qui recta non agunt. Ratio sumitur à vi et efficacia, seu ab effectu virtutis. Etenim quemadmodum virtus potest singulos homines privatim reddere beatos: ita etiam potest universam civitatem publicè beatam efficere.

Εχομενον δ' εϛι και των αυτων.

CAPUT II.

Estne eadem totius civitatis beatitudo, quæ est singulorum civium?

MAXIME, siquidem totum sequitur naturam partium. Confirmat autem hoc Aristoteles a communi hominum judicio et consensu: qui licet dissentiant

Ποτερον δε την ευδαιμονιαν.

de ipsa re, in qua beatitudinem collocant: siquidem aliqui eam in voluptate, aliqui in divitiis, aliqui in honore, aliqui in potentia, alii in alia re ponunt: tamen omnes uno quasi ore fatentur, totius civitatis felicitatem pendere ex singulorum civium felicitate: et vice versa: ita ut eadem sit totius civitatis, et singulorum civium beatitudo: Eadem autem non numero, sed τῳ ειδει, id est, specie: ita tamen, ut civitatis beatitudo sit splendidior, quia latiùs se extendit, quàm singulorum civium beatitudo: quemadmodum Aristoteles, in lib. 1. Ethic. cap. 2. ait: ει γαρ και ταυτον εϛιν αγαθον ενι, και πολει· μειζον γε και τελειοτερον τὸ της πολεως φαινεται.

Cum autem duplex sit vita, una Theorica seu Philosophica: altera Practica seu Politica: utra est præstantior?

Αλλα ταυτα ηδη δυο εϛιν ἃ δει.

Philosophi præferunt vitam Theoricam: propterea quòd sit quieta et tranquilla: libera nimirum à civilibus actionibus et negotiis: in quibus expediendis multæ subeundæ sunt curæ et molestiæ, multi perferendi labores, incurrendum est in multorum offensiones et invidiam.

Politici præferunt vitam Practicam: propterea quòd in ea plurimæ se offerunt occasiones exercendarum actionum virtutis, in gubernatione Reipub. et administratione civilium negotiorum: ut Prudentiæ in deliberationibus et Senatu: Justitiæ in judiciis, in distribuendis honoribus, præmiis et pœnis: Fortitudinis in defendenda patria, in administrando bello, in dicenda et exequenda sententia: Liberalitatis in sublevandis egenis: Magnificentiæ in faciendis publicis sumptibus, partim ad ornatum et splendorem, partim etiam ad munitiones urbis pertinentibus. Ex quibus constat vitam politicam quodammodo materiam præbere ad actiones virtutum, in quibus beatitudo hominis secundum Aristotelem consistit. Αδυνατον γαρ νομιζουσι τον μηδεν πραττοντα, πραττειν ευ· την δ' ευπραγιαν και την ευδαιμονιαν ειναι ταυτον· Neque enim fieri posse existimant, ut qui nihil agit,

benè agat: benè autem agere et beatam vitam idem esse, cap. seq. Και το μαλλον επαινειν το απρακτειν του πραττειν, ουκ αληθες· Et otium magis laudare quàm negotium, non rectum est. Ibid.

Est vero etiam adhuc tertia opinio eorum scilicet, qui vitam bellicam et militarem extollunt, et cæteris vitæ generibus præferunt: propterea quòd per hoc vitæ genus possunt sibi dominium et imperium in alios etiam invitos acquirere. Quæ opinio non solùm apud Barbaras nationes invaluit, cujusmodi fuerunt olim Persæ, Scythæ, Thraces, Celtæ, Iberi, et similes alii populi: verum etiam à Lacedæmoniis et Cretensibus fuit approbata: quorum disciplina, et major pars legum, tota ad rem militarem, et amplificandos Imperii sui fines erat accommodata: quemadmodum etiam suprà, in lib. 2. cap. 6. et 7. ostensum fuit. Διαφερει δε ου μικρον ποτερως εχει το αληθες· αναγκη γαρ τον τε ευ φρονουντα προς τον βελτιω σκοπον συντατεσθαι, και των ανθρωπων εκαστον, και κοινη την πολιτειαν· Neque vero parvi refert utrum sit veriùs. Debet enim sapiens, tum quisque hominum, tum communiter Respublica ad meliorem scopum dirigi.

Quod est Aristoteles judicium de his tribus opinionibus?

Aristoteles respondet per distinctionem: et affirmat duas priores opiniones, de vita Theorica et Practica, esse ex parte veras, ex parte verò falsas. Tertiam verò opinionem rejicit, et negat eum civitatis statum esse optimum, in quo omnes leges, omniaque instituta diriguntur ad herilem dominatum et ad Tyrannicam potentiam stabiliendam: quoniam ejusmodi dominium plerunque est iniquum et injustum, atque hoc probat quinque argumentis.

Και τοι δοξειεν αν αγαν ατοπον.

Quod est primum argumentum?

Quod iniquum est et bonis legibus repugnat, in eo non potest esse optimus civitatis status, aut optima civium vitæ. Sed herili more velle omnibus tàm liberis hominibus, quàm servis, tàm invitis, quàm volentibus dominari: iniquum est, et bonis legibus repugnat. Ergò in ejusmodi dominio non potest

esse optimus civitatis status, aut optima civium vita. Minor suprà, in primo libro, cap. 4. fuit declarata: ubi dictùm est, illud dominium solùm esse justum, quod exercetur in eos, qui naturâ sunt servi, et volentes se aliis subjecerunt.

Alterum argumentum?

Αλλα μην ουδ' εν ταις αλλαις. Quemadmodum medicus non curat ægrotum invitum et nolentem: neque nauclerus navigantes invitos defert in aliam terram: ita magistratus politicus non debet velle herili more dominari invitis et nolentibus subditis. Ουτε γαρ του ιατρου, ουδε του κυβερνητου εργον εστι, το η πεισαι η βιασασθαι· του μεν τους θεραπευομενους, του δε τους πλωτηρας· Neque enim medici nec gubernatoris est officium vel persuadere vel cogere: hujus quidem, ægrotos, illius verò, nautas.

Tertium argumentum

Αλλ' εοικασιν οι πολλοι την. Quod quis iniquum esse judicat, adversus seipsum ab alio fieri, idipsum quoque debet existimare iniquum esse adversus alium facere: juxta vulgatum dictum: Quod tibi non vis fieri, id alteri ne feceris. Vel ut Servator ipse effert Matth. vii. v. 12. Luc. vi. 31. Quæcunque volueritis ut faciant vobis homines, et vos facite illis. Sed unusquisque iniquum esse judicaret, si quispiam ipsi invito cuperet dominari. Ergò invitum dominium est iniquum: et propterea in eo non consistit optimus civitatis status, aut optima civium vita.

Quartum argumentum?

Quod ordini naturæ repugnat, id est, injustum. Sed liberis hominibus velle herili more, δεσποτικως, dominari, repugnat ordini naturæ: quia non sunt δεσποτοι, id est, apti ad ferendum tale dominium. Ergò tale dominium est injustum. Confirmatur hoc argumentum ab exemplo simili. Quemadmodum non licet quas libet bestias venando capere, sed tantum feras belluas, quarum usus aliquis esse potest vel in cibis, vel in sacrificiis, vel in aliis rebus: ita non licet indifferenter omnibus hominibus dominari: sed tantùm iis, qui naturâ ad tale dominium feren-

dam sunt idonei: veluti sunt servi. Ου δει παντων πειρασθαι δεσποζειν, αλλα των δεσποςων· ωσπερ ουδε θηρευειν επι θοινην η θυσιαν ανθρωπους, αλλα το προς τουτο θηρευτον.

Quintum argumentum?

Hoc argumentum habet ενςασιν. Si potest aliqua civitas esse beata, in qua magistratus non herili more dominatur suis subditis: sed tantùm πολιτικως, id est, civili more: igitur dominium herile non est certum signum civitatis benè constitutæ. Sed antecedens est verum: Ergò etiam consequens est verum.

Αλλα μην ειη γ' αν καθ' εαυτην.

CAPUT III.

Quare ea vitæ conditio à multis judicatur esse optima: per quam possunt pluribus dominari?

QUONIAM in ejusmodi vita plurimæ offeruntur causæ et occasiones exercendarum actionum virtutis, in quibus civilis hominum beatitudo seu felicitas, secundum Aristotelis sententiam videtur esse posita; quemadmodum ex beatitudinis definitione, quæ in Ethicis, lib. 1. cap. 7. traditur, licet videre.

Προς δε τους ομολογουντας μεν.

Estne hæc opiniò hominum vera?

Minime. Quia non omne dominium seu imperium simpliciter est causa actionum virtutis: sed tantùm illud quod est secundum naturam, et justum.

Οτι το μεν αμφοτερον λεγουσιν.

Quomodo Aristoteles hoc probat?

Duobus absurdis consequentibus. Primùm enim, Si dominium in plures simpliciter præbet causam agendi ex virtute: igitur nulla occasio negligenda est, per quam tale dominium possit acquiri. Το γαρ αριςον, αιρετον, αιρετωτατον· το δ' ευ πραττειν αριςον· Id enim quod optimum, maxime est expetendum, benè autem agere, est optimum; siquidem in actione virtutis consistit civilis hominum beatitudo; quæ est summum bonum, cujus gratia quævis alia sunt expetenda, suscipienda. Quòd, si verum est: igitur dominandi gratiâ nec pater filio, neque filius patri, nec denique amicus amico parcere debet: et verum erit illud Julii Cæsaris dictum, apud Suetonium,

lib. 1. cap. 30. quod ex Euripide est desumptum: ubi dicitur, etiam Jus, regnandi gratiâ, violandum esse. Hæc autem omnia sunt falsa: igitur etiam antecedens est falsum.

Quod est alterum absurdum?

Si pluribus dominari est indicium vitæ beatæ: igitur etiam beati dici possunt Tyranni, et homines mali ac improbi, qui violenter alios spoliarunt, et sibi subjecerunt: et per consequens, inter virum bonum, et revera propter virtutem beatum: et inter ejusmodi malum et improbum hominem, qui per vim dominium in alios injustè acquisivit: nullum erit discrimen: quod absurdum.

Quotuplex est igitur dominium seu imperium in alios?

Duplex: vel enim est justum, vel injustum.

Quod est justum dominium?

Justum dominium seu imperium est, quod est κατα την φυσιν, secundum naturam: in quo is qui dominatur, cæteris omnibus, quibus imperat: tantum virtute, auctoritate, et dignitate antecellit: quantum vir præstantior est fœminâ, pater liberis, dominus servo.

Quare tale imperium dicitur justum?

Primùm, quia justitiæ regula postulat, ut imparibus imparia tribuantur: cùm autem talis sit cæteris dignitate impar: non potest pari cum illis loco haberi: itaque æquum est, ut ille imperet, reliqui verò pareant. *Deinde*, quia natura in omnibus rebus ita constitutum est, ut semper id quod imperfectius est, et minus præstans, cedat perfectiori et præstantiori.

Quod est injustum imperium?

Injustum dominium seu imperium est, quod est παρα την φυσιν, contra naturam: in quo is, qui dominatur, vel par et æqualis est, vel etiam inferior iis quibus imperat. Ουδεν δε των παρα φυσιν καλον· Nihil autem eorum, quæ contra naturam, est honestum. Nam si cæteris est par seu æqualis: in-

justè sibi soli imperium vindicat: Justitia enim requirit, ut paribus et æqualibus paria seu æqualia tribuantur. Si verò est cæteris inferior, nullo jure ei imperium debetur.

Quæ igitur requiruntur in eo, cui jure imperium debetur?

Duo: *Primùm* ἡ αρετη, virtus: maxime verò φρονησις, prudentia, και ἡ δικαιοσυνη, justitia: sine quibus nullum imperium aut rectè administrari, aut diuturnum esse potest. *Deinde* δυναμις πρακτικη, δεινοτης, id est, facultas et dexteritas agendi et expediendi ea, quæ in administrandis publicis negotiis sunt necessaria.

Δει δ' ου μονον αρετην αλλα και.

Dixisti hactenus de vitæ Practicæ seu Politicæ beatitudine: sed quæ est vitæ Theoricæ seu Philosophicæ beatitudo?

Vitæ Theoricæ seu philosophicæ beatitudo consistit εν τη θεωρια, in contemplatione et cognitione rerum divinarum et cælestium, quæ in se jucundam et veram habet voluptatem.

Objectio. Atqui vulgus hominum existimat Philosophos, qui in contemplatione et cognitione rerum versantur, esse homines otiosos, et nihil agere: quomodo igitur illis potest competere beatitudo, quæ consistit in actione virtutis?

Solutio. Pro hujus objectionis declaratione, notanda est hæc Actionum distinctio. Actiones sunt duplices: quædam extendunt suam vim et operationem in extremum aliquod objectum: et nominantur hoc loco πραξεις προς ετερον, et πραξεις εξωτερικαι, actiones quæ in aliam rem pertingunt, item actiones externæ: à Dialecticis πραξεις μεταβαινουσαι, transeuntes. Tales sunt actiones politicæ: quia suscipiuntur propter civitatis et civium utilitatem. Quædam verò actiones suam vim non exerunt in rem aliquam extraneam: sed intra seipsas quasi vertuntur, et manent in ipso subjecto, in quo sunt excitatæ: vocantur hoc loco αυτοτελεις, quia in seipsis habent suam perfectionem: à Dialecticis nominan-

Αλλ' ει ταυτα λεγεται καλως.

tur πραξεις εμμενουσαι: tales sunt αἱ θεωριαι και διανοησεις, contemplationes et meditationes mentis: suntque longè præstantiores et perfectiores, quàm illæ priores.

Quid ex dictis colligit Aristoteles?

Philosophos et homines literatos, quando in suis studiis et contemplationibus sunt occupati, non esse planè otiosos: sed etiam aliquid agere: eorumque actiones esse præstantiores actionibus politicorum: et habere quoque propriam suam et quidem præstantissimam beatitudinem. Μαλιϛα δε και πραττειν λεγομεν, και κυριως των εξωτεριχων πραξεων, τους της διανοιας αρχιτεκτονας· Maxime agere dicimus, dominosque esse externarum actionum eos, qui animo sive mente duces sunt.

Quibus argumentis hoc confirmat?

Quatuor. Primùm sumitur à definitione Beatitudinis. Cui tribuitur Beatitudo, ei quoque tribui potest actio: nam Beatitudo est actio, ut dictum est in Ethicis, lib. 1. c. 7. Sed vitæ Theoricæ tribuitur aliqua beatitudo: nam in Ethicis, lib. 10. cap. 6. Beatitudo sic dividitur, quòd alia sit Practica, alia Theorica. Ergò in vita Theorica est etiam alia actio. Et per consequens Philosophi, qui hanc vitam amplectuntur, non sunt homines otiosi, sed etiam dicuntur aliquid agere.

Alterum argumentum?

Αλλα μην ὐδ᾽απρακτειν.

Alterum argumentum sumitur ab exemplo simili earum civitatum, quæ licet ita procul ab aliis civitatibus sint remotæ, ut nulla possint cum illis habere commercia: tamen propterea non dicuntur esse otiosæ, et nihil agere: quia intra se, et inter suos cives mutua exercent officia et commercia. Ita quoque Philosophorum contemplationes et meditationes sunt internæ quædam mentis actiones seu operationes.

Tertium argumentum?

Tertium argumentum etiam sumitur ab exemplo simili. Quemadmodum architecti et præfecti ædi-

ficiorum, aut aliorum operum, dicuntur aliquid egisse in extruendo ædificio, etiamsi ipsi manus suas operi non admoverint: sed tantùm ex sua arte consuluerint et præceperint, quid et quomodo aliquid faciendum: ita etiam Philosophorum contemplationes et meditationes possunt aliquo modo operationes mentis nominari.

Quartum argumentum?

Quartum argumentum sumitur ab absurdo consequente: nam si tantùm istæ actiones sunt nominandæ, quarum vis et motus se exerit in aliud objectum, quod est extra agentem: igitur DEI et totius mundi nullæ essent actiones: θεῳ γαρ και παντι κοσμῳ ουκ εισι εξωτερικαι πραξεις παρα τας οικειας τας αυτων· Dei et universi mundi præter suas ipsorum non sunt externæ actiones; et per consequens, DEI nulla esset beatitudo: quia beatitudo consistit in actione. Sed hæc sunt absurda. Ergò. Σχολη γαρ αν ὁ Θεος εχοι καλως.

CAPUT IV.

Quæ sunt in constituenda civitate initio tanquam fundamenta et materia civitatis consideranda?

DUO: *Primùm* οἱ ανθρωποι, homines, qui debent civitatem inhabitare: *Deinde* ἡ χωρα, regio, ager, sive locus, in quo civitas est extruenda. Ωσπερ γαρ και τοις αλλοις δημιουργοις, οιον ὑφαντῃ και ναυπηγῳ, δει την ὑλην ὑπαρχειν, επιτηδειαν ουσαν προς την εργασιαν· ὑτω και τῳ πολιτικῳ· Ut enim et aliis opificibus, verbi gratia, textori et navium ædificatori materia suppeditare debet, quæ ad opus sit necessaria: sic et Politico. In eandem sententiam etiam suprà, lib. 2. cap. 4. Δει τον νομοθετην εις δυο βλεποντα τιθεναι τους νομους· προς τε την χωραν, και τους ανθρωπους, hoc est, oportet legumlatorem in scribendis legibus ad duo respicere: ad regionem sive locum, et ad ipsos homines. Hæc autem duo Aristoteles per metaphoram nominat χορηγιαν πολιτικην, id est, materiam et quasi supellectilem earum rerum, quæ ad civitatem et civilem societatem constituendam sunt necessaria. Επει δε πεφροιμιασαι τα νυν.

Quæ sunt in utroque rursum consideranda?

Duo: *Primum*, Quantitas, hoc est, quantus numerus debeat esse civium: et quàm magna sive ampla debeat esse civitas. Επει το καλον εν πληθει και μεγεθει ειωθε γινεσθαι· Cum pulchritudo rei in multitudine et magnitudine soleat consistere. *Deinde*, Qualitas, hoc est, quales debeant esse homines, ex quibus civitatem constituere volumus: qualis debeat esse regionis et loci natura et situs: neque enim in quovis loco civitas extruenda est.

Quomodo æstimanda est magnitudo civitatis?

Οιονται μεν αν οι πλειστοι.

Non ex numero et frequentia hominum: neque ex amplitudine loci: sed ex facultate, per quam possit optimè finem suum et scopum assequi: nempè communem totius civitatis, et privatam singulorum civium felicitatem seu beatitudinem.

Quibus argumentis Aristoteles hoc probat?

Tribus argumentis probat Aristoteles magnitudinem civitatis æstimandam esse non ex multitudine hominum, sed ex propria ejus δυναμει, id est, facultate. Primùm constat tali Sorite seu Syllogismo composito: Magnitudo cujusque rei æstimatur ex ejus perfectione. Nam ea demum magna sunt, quæ sunt perfecta. Perfectio rei æstimatur ex proprio ejus munere: proprium cujusque rei munus proficiscitur ex propria ejus facultate et virtute. Ergò magnitudo civitatis æstimanda est secundum ejus propriam facultatem, per quam potest proprio suo munere fungi.

Quod est alterum argumentum?

Ου μην αλλα και ει δει κρινειν.

Alterum argumentum sumitur ab absurdo consequente. Si magnitudo civitatis æstimanda est ex sola multitudine et frequentia hominum: tùm ea civitas posset magna, et per consequens perfecta dici, in qua est magna copia inquilinorum, servorum, mercenariorum, sordidorum, opificum, pauperum et mendicorum, et similium, qui revera ne quidem inter cives possunt numerari. Sed consequens falsum. Ergò sola πολυανθρωπια, non est

verum signum, unde civitatis magnitudo est æstimanda.

Quod est tertium argumentum?

Quicquid impedit την ευνομιαν και ευταξιαν της πολεως, ex eo non potest neque debet magnitudo et perfectio civitatis æstimari. Sed nimia hominum multitudo impedit την ευνομιαν και ευταξιαν της πολεως. Ergo. Minor probatur απο του αδυνατου. Nam impossibile est nimiam multitudinem rectè bonis legibus coërcere et in officio continere: ὁ λιαν ὑπερβαλλων αριθμος, ου δυναται μετεχειν ταξεως· θειας γαρ δη τουτο δυναμεως εργον, ἡτις και τοδε συνεχει το παν· Numerus nimius ordinis particeps esse nequit, id enim potentiæ divinæ, quæ et hoc omne continet, munus est et opus: humana autem vis, quantumvis sit magna, hoc præstare non potest. *Deinde* ab exemplo earum civitatum, quæ tùm maxime interierunt, quando cœpit civium et inhabitantium numerus nimium augeri et crescere: veluti fuerunt Athenæ, Thebæ, Sparta, et aliæ Græciæ urbes. *Tertiò* à legum natura: nam ὁ νομος εστι ταξις, ἡ ευνομια εστιν ευταξια. Nimia autem turba parit αταξιαν, id est, confusionem: quæ adversatur bonis legibus et ordini.

Αλλα μην και τουτο γε εκ των εργων.

Quæ est igitur justa magnitudo civitatis?

Justa et vera magnitudo civitatis ea est, quæ est mediocris et moderata, ita ut civibus non sit impedimento ad benè beateque vivendum, hoc est, ad exercendas virtutum actiones inter se mutuò: qua in re præcipue politica civitatis felicitas et beatitudo consistit. Probatur hoc per inductionem, exemplis rerum naturalium et artificialium: quæ cùm à justa sua magnitudine recesserunt, tàm in hanc, quàm in alteram partem, non possunt amplius commodè suo officio, ad quod factæ sunt, fungi. Οἱον, πλοιον σπιθαμιαιον μεν ουκ εσται πλοιον ὁλως, ουδε δυοιν σταδιοιν· εις δε τι μεγεθος ελθον, ὁτε μεν δια σμικροτητα φαυλην ποιησει την ναυτιλιαν, ὁτε δε δια την ὑπερβολην· ὁμοιως δε και πολις, ἡ μεν εξ ολιγων λιαν, ουκ αυταρκης (ἡ δε πολις, αυταρκες) ἡ δε εκ πολλων αγαν, εν μεν τοις αναγκαιοις αυταρκης, ὡσπερ

Αλλ' εστι τι και πολεσι μεγεθους μετρον.

-ἐθνος, ἀλλ' ἡ πολις· Verbi gratia, navis palmi quidem unius, prorsus navis non erit, ut neque duorum stadiorum: ad quandam verò magnitudinem progressa, nunc quidem propter parvitatem, nunc verò propter magnitudinem cursum sive navigium reddet incommodum. Similiter et civitas ea quidem, quæ ex nimis paucis, non erit se contenta (est autem civitas quiddam seipso contentum) ea verò, quæ ex nimis multis, erit illa quidem instructa rebus necessariis, ut gens, sed non civitas.

Quæ sunt veræ notæ, secundum quas justa magnitudo civitatis est æstimanda?

Duæ: *Una* est αυταρκεια του ευ ζῃν, sufficiens rerum necessariarum ad vitam commodè degendam copia. Nam propter hanc præcipuè causam civitates initiò fuerunt constitutæ: quemadmodum suprà, lib. 1. cap. 2. et lib. 3. cap. 1. dictum fuit. *Altera* nota est, ἡ ευσυνοψια, και ευγνωσια προς αλληλους, facilis civium inter se mutua notitia et conspectus: quod in nimis magna hominum multitudine et ampla civitate difficulter fieri potest.

Ad quid prodest inter cives esse mutuam notitiam?

Διο πρωτην μεν ειναι πολιν.

Hujus rei multæ et magnæ sunt utilitates: Aristoteles verò hoc loco tres præcipuas videtur indicare: quarum *Prima* est, ut cives facilius possint inter se contrahere et mutuis officiis colere amicitiam. *Altera,* ut ii, qui in magistratu sunt, rectiùs possint subditis suis imperare, eorumque causas cognoscere, et controversias dijudicare ac componere. Subditi verò minus possint errare in eligendis magistratibus. *Tertia,* ne peregrini possint irrepere in magistratum, et ad publicorum officiorum administrationem adhiberi.

CAPUT V.

Circa locum in quo civitas extruenda est, quæ sunt consideranda?

Duo: *Primum,* ipse ager circa civitatem: *deinde,* situs loci. Quod ad agrum attinet, etiam duo sunt

spectanda. Qualitas, hoc est, bonitas et fertilitas agri: et Quantitas, id est, magnitudo seu amplitudo agri.

De qualitate quid præcipitur?

Ea consideranda est partim quoad ipsos cives et incolas: partim quoad exteros et hostes. Quoad cives: debet ager esse αυταρκεςατος, id est, maxime sufficiens ad suppeditandum omnia ea, quæ ad vitam commodè degendam sunt necessaria: ita ut non opus sit ea aliundè quærere et importare: et ut ipse Aristoteles se explicat: ut sit παντοφορος, id est, ita fertilis, ut possit omnia ad victum necessaria suppeditare. Το γαρ παντα υπαρχειν, και δεισθαι μηθενος, αυταρκες· Omnia namque adesse, et nullâ re egere, id est esse instructum. Quod verò ad hostes attinet, debet ager sive locus ille hostibus esse δυσεμβολος, difficilis ad incursiones: ipsis verò civibus ευεξοδος, facilis ad excursiones.

De quantitate agri quid præcipitur?

Duo hîc sunt observanda. *Primùm,* ut tantus sit ager, undè ipsi cives possint in otio et pace non solùm temperanter, verùm etiam liberaliter vivere, hoc est, ut non solùm pro se ipsis habeant necessaria: sed etiam possint de suis bonis exteris aut vicinis communicare. *Deinde*: ut ager ita sit ευσυνοπτος, id est, in conspectu civitatis positus: ut si opus sit, cives facilè possint eum propter urbis vicinitatem ab incursionibus et vastationibus hostium tueri ac defendere.

Quis situs maxime conveniens est civitati?

Optimus situs civitatis est, qui est communis et terræ et mari: hoc est, si non nimis vicina est mari aut magno flumini, neque etiam nimium ab eo remota: ita ut civis et terra et mari commodè uti possint, ad comparanda ea quæ ipsis sunt necessaria: *primùm* quo ad victualia, ut eà ex vicinis locis et regionibus, facile possint ad eam vel navibus, vel curribus aut jumentis adferri. *Deinde,* quoad auxilia bellica: ut ea facilè possint à sociis aliundè et terrâ

Της δε πολεως την θεσιν ει χρη.

et mari transmitti et adduci. *Tertiò*, quo ad exercenda commercia cum vicinis civitatibus et regionibus, in advehendis importandis iis rebus, quibus cives egent: et exportandis iis, quibus abundant; veluti sunt frumenta, vina, fructus, lignæ, et plurima alia, quarum in vita quotidiana maximus est usus. Et hoc est quod Aristoteles ait, civitatem debere ita sitam esse, ut sit ευβοηθητος et ευπαρακομιστος.

CAPUT VI.

Estne vicinitas Maris civitati utilis?

Περι δε της προς την θαλατταν κοινωνιας.

ARISTOTELES hanc quæstionem in utramque partem, affirmando et negando disputat.

Quare igitur existimat civitati non utilem esse Maris vicinitatem?

Propter multa incommoda, quæ indè civitati possunt accidere. Præcipuum autem est, quòd per hanc occasionem, beneficio navigationis, multi exteri et peregrini homines solent in civitatem ex variis locis confluere: per quos etiam simul introducuntur novi, peregrini, et mali mores: quibus ipsi cives facilè tanquam contagio aliquo inficiuntur et corrumpuntur: impeditur et labefactatur bona disciplina: imminuitur veterum legum auctoritas: substituuntur novæ leges: unde necesse est tandem infinita mala et incommoda consequi. Propter quam causam etiam Strabo in libro septimo affirmat Platonem την θαλατταν πονηροδιδασκαλον: id est, Mare magistrum scelerum nominasse. Et Lacedæmonii olim, teste Xenophonte, sanxerunt ξενηλασιαν peregrinorum expulsionem, ne cives ab illis corrumperentur. Adfert igitur vicinitas maris hæc duo incommoda: πολυανθρωπιαν, id est, colluviem et turbam multorum et variorum hominum: κακοηθειαν, morum et disciplinæ corruptionem.

Sed habetne vicinitas maris etiam quædam commoda pro civitatibus?

Ὀτι μεν

Ex vicinitate maris etiam multa possunt civitati

contingere commoda: ex quibus duo præcipuè Aristoteles commemorat. *Primum* pertinet προς την ασφαλειαν της πολεως, ad securitatem urbis tempore belli, adversus hostium vel incursionem impediendam, vel obsidionem repellendam: item in adducendis militibus præsidiariis, et advehendo atque importando commeatu. *Alterum* commodum pertinet προς την ευποριαν των αναγκαιων, ad comparandam copiam eorum, quibus in vita quotidiana indigemus, hoc est, ad exercendam mercaturam, et negotiationem: quæ fit vel per commutationem, vel per emptionem et venditionem rerum necessariarum: ut civitas habeat αυταρκειαν προς το ευ ζην.

ων ει ταυτα μη συμβαινει.

Sed quo pacto prœcavendum est, ne in civitatibus maritimis peregrinorum conversationes et commercia civibus noceant?

Aristoteles monet peregrinis mercatoribus, qui negotiandi et commerciorum gratiâ, aliundè in civitatem veniunt: proprium quendam et separatum à reliquorum civium ædibus locum emporii seu fori extruendum et designandum esse: ubi sua cum civibus possint exercere commercia: ne ipsis necessarium sit propterea in urbe inter cives habitare aut versari.

Εστι δε και νυν ὁρωμεν πολλαις.

Estne civitatibus maritimis necessaria navalis quædam potentia?

Maxime. Sed ea non debet esse nimis magna, alioquin enim per eam civitas repleretur multis hominibus. Monet igitur Aristoteles eam æstimandam esse εκ του βιου της πολεως, ex vita civitatis, hoc est, ex scopo et instituto Reipublicæ. Nam si civitas seu Reipublicæ administratio hoc sibi habet propositum, quòd velit imperium et fines imperii amplificare, atque aliis vicinis populis et civitatibus dominari, tùm necesse est, ut etiam habeat tantam vim et potentiam, per quam possit istud efficere, hoc est, dominatum illum sibi comparare et retinere. Si verò cupit pari jure cum aliis vicinis vivere, et suis se finibus continere: tùm non necessariæ ei sunt magnæ navales copiæ.

Περι δε της ναυτικης δυναμεως.

CAPUT VII.

Explicasti de loco et regione constituendæ civitatis: Responde jam de hominibus, quales esse debeant, ex quibus optima Respubl. possit constitui?

Ποιυς δε τινας την φυσιν ειναι δει.

PRO hujus quæstionis explicatione Aristoteles talem distinctionem seu differentiam hominum facit. Nam quod ad civilem societatem attinet, tria sese offerunt hominum genera. Quidam enim sunt ἀπολιτευτοι, id est, expertes civilis societatis: qui propter ingenii et intellectus stupiditatem, ac morum ferociam, neque ipsi aliis rectè imperare: neque aliorum imperium facilè ferre possunt. Quidam verò sunt δουλικοι servili ingenio præditi: qui propter innatam timiditatem, mollitiem et ignaviam, solùm ad serviendum aliis sunt idonei. Quidam denique sunt πολιτικοι, hoc est, apti ad colendam civilem societatem: qui et imperare possunt: prout tempus, res et necessitas postulant.

Quot requiruntur in iis hominibus, qui ad civilem societatem colendam sunt idonei?

Φανερον τοινυν ὁτι δει διανοητικους τε ειναι.

Duo: Primùm ἡ διανοια, id est, vis et facultas intelligendi ea, quæ in civili administratione non solùm percipienda, verùm etiam peragenda: vocatur hæc ab Aristotele, in 6. lib. Ethic. φρονησις πολιτικη, civilis prudentia, φανερον ὁτι δει διανοητικους τε ειναι και θυμοειδεις την φυσιν, τους μελλοντας ευαγωγους εσεσθαι τῳ νομοθετῃ προς την αρετην· Perspicuum est, eos qui legum scriptori ad virtutem sint faciles et flexibiles futuri, et ingeniosos natura et animosos esse oportere.

Deinde, ὁ θυμος, animositas, seu animi vis et magnitudo ad res magnas et arduas suscipiendas et gerendas. Nam qui timidi sunt, et molli atque effœminato animo præditi: hi inepti sunt ad gubernationem: quia non audent res magnas aggredi: aut irasci et pœnas infligere iis, quibus propter scelera justè est irascendum: unde Aristoteles in hoc loco inquit: ὁ θυμος εστιν αρχικον τι, και αηττητον· Animositas est vis quædam ad imperandum apta,

quæ non patitur se vinci. Et Plato in lib. 2. de Repub. τυς φυλακας, custodes, hoc est, magistratus civitatis comparat canibus: qui erga domesticos sunt φιλητικοι, blandi: erga exteros verò αγριοι, feroces et asperi: ita etiam boni magistratus debent esse erga bonos cives benevoli et amici: erga malos verò et improbos duri et severi. Φιλητικυς μεν δει ειναι των γνωριμων, προς δε τυς αγνωτας, αγριυς.

CAPUT VIII.

Suntne omnia, quæ ad perfectam civitatis constitutionem requiruntur, etiam partes civitatis nominandæ?

NEQUAQUAM. Probatur duplici ratione. *Una* sumitur ab exemplo simili rerum naturalium: in quibus non omnia sunt partes totius, sine quibus totum perfectum esse non potest: ut animal non potest esse sine nutrimento, et tamen nutrimentum non dicitur esse pars animalis. *Altera* sumitur à natura totius et partium substantialium. Quæ sunt partes substantiales alicujus totius, ea debent habere unum aliquod et idem, in quo æqualiter cum toto communicant. Sed multa requiruntur ad perfectam civitatis constitutionem, quæ tamen non habent unum aliquod et idem, in quo æqualiter cum toto communicant. Ergo non omnia ea, quæ ad perfectam civitatis constitutionem pertinent, sunt partes civitatis. Minor declaratur ab Aristotele per distributionem et exempla: quoniam quædam ex illis habent rationem finis, sunt ὁ ἑνεκα: quædam verò sunt propter finem, τυτυ ἑνεκα: ut ἡ αυταρκεια, vel ἡ ευδαιμονια, sunt finis civitatis: ἡ γαρ πολις κοινωνια τις εςι των ὁμοιων, ἑνεκεν ζωης της ενδεχομενης αριςης· Civitas enim communio quædam est similium gratia vitæ, ut maxime fieri potest, optimæ. Possessiones verò, opes et facultates, sunt propter finem: nec tamen sunt partes civitatis.

Εν γαρ τι και κοινον ειναι δει.

Potestne civitas aliqua perfectè constitui ex ejusmodi civibus, qui omnes sunt ejusdem vitæ conditionis?

Aristoteles in lib. 5. Eth. cap. 5. ait: Civitatem non constare ex solis medicis: sed ex medico et

agricola. Quibus verbis voluit indicare, Civitatem perfectam non ex uno solùm, sed ex variis hominum generibus, qui diversæ sunt conditionis, quod ad vitæ rationem attinet; constare.

Quæ sunt autem præcipuæ differentiæ hominum, ex quibus civitas constat?

Differentiæ illæ cognoscuntur ex diversitate rerum, quibus civitas indiget, προς την αυταρκειαν, hoc est, ut habeat sufficientem copiam rerum ad vitam commodè degendam necessarium.

Quæ sunt illæ res, quibus civitas ipsique cives maxime opus habent?

Επισκεπτεον δε και ποσα ταυτη εστιν.

Aristoteles in hoc capite enumerat sex earum species: veluti sunt *primùm* ἡ τροφη, alimentum seu cibus, hoc est, omnia ea, quæ ad victum pertinent. *Deinde* αἱ τεχναι, variæ artes, per quas efficiuntur omnia ea, quæ vel ad cultum corporis, vel ad quotidianum usum pertinent: veluti sunt vestimenta, suppellectilia, utensilia, et omnis generis instrumenta, quibus in operibus efficiendis utimur. Πολλων γαρ οργανων δειται το ζην· Multis enim instrumentis indiget vita. *Tertiò*, τα ὁπλα, arma: quibus civitas instructa esse debet, ad coërcendos homines seditiosos. *Quartò*, τα χρηματα, pecuniæ et reliquæ opes et facultates: quarum beneficio res necessariæ possunt comparari. *Quintò*, ἡ επιμελεια περι το θειον, religio et cultus divinus. *Sextò*, ἡ κρισις περι των συμφεροντων, και δικαιων, judicium de rebus utilibus et justis inter ipsos cives.

Ex hac enumeratione quot Aristoteles colligit ordines civium, qui ad constituendam civitatem sunt necessarii?

Sex.

Qui sunt illi sex ordines civium?

Πρωτον μεν ουν ὑπαρχειν δει τροφην.

Primùm necessarii sunt in civitate agricolæ et pastores: qui ex cultura agrorum et pastura pecorum, victum et alimenta civibus suppeditant. *Deinde*, Opifices et tabernarii, qui omnis generis opera, quorum in civili et quotidiana vita usus necessarius est, vel ipsi efficiunt, vel aliis vendunt: ut sunt vesti-

menta, ædificia, supellectilia, vasa, instrumenta, et infinita alia, quæ vel ad necessitatem, vel ad majorem commoditatem, vel denique ad ornatum et splendorem civitatis pertinent. *Tertiò* sunt milites, qui civitatem custodiunt et defendunt contra hostes: ut cives possint tutô et quiete suis laboribus et negotiis perficiendis vacare. *Quartò* sunt divites, qui tempore necessario possunt civitati sumptus necessarios subministrare, vel in gerendo bello, vel sublevanda annonæ caritate, vel in publicis munitionibus et ædificiis extruendis. *Quintò* sunt sacerdotes et homines religiosi, qui ea, quæ ad divinum cultum pertinent, ritè administrent. *Sextò* sunt magistratus, senatores et judices: quibus publicorum negotiorum administrandorum cura commissa est.

CAPUT IX.

Suntne omnes hi sex ordines, quos commemorasti, prò veris civibus habendi?

AGRICOLAS et sordidos opifices, non posse inter veros cives numerari, Aristoteles duobus argumentis probat. Quorum unum sumitur à definitione civis: quæ suprà, in lib. 3. cap. 1. fuit posita: Civis propriè is esse dicitur, qui particeps est publicorum honorum in gerendo magistratu et exercendis judiciis. Sed agricolæ et opifices non sunt participes magistratus et judiciorum: quia perpetuò occupati sunt in laboribus pro acquirendo victu: ita ut illis non sit otium ad civilia negotia obeunda. Ergò non possunt pro veris civibus haberi.

Επει δε τυγχανομεν σκοπουντες.

Quod est alterum argumentum?

Alterum argumentum sumitur à fine civitatis. Omnis verus civis potest esse particeps ejus finis, quem civitas sibi habet propositum, nempè beatitudinem politicam. Sed agricolæ et opifices non possunt esse participes politicæ beatitudinis. Ergò non possunt esse veri cives. Minor probatur. Politica beatitudo consistit in actionibus virtutem, ad

quas rectè obeundas requiritur otium et vacatio à reliquis laboribus. Δει γαρ σχολης και προς την γενεσιν της αρετης, και προς τας πραξεις τας πολιτικας· Atqui agricolis et opificibus non est ejusmodi otium et vacatio à reliquis laboribus: sunt enim perpetuò occupati in acquirendo victu et sordido quæstu. Ergo non possunt esse capaces politicæ beatitudinis.

Qui igitur ex commemoratis ordinibus possunt pro veris civibus haberi?

Φανερον εκ τουτων ὡς εν τῃ καλλιστα.

In civitate pro veris civibus habendi sunt ii, quorum vitæ conditio talis est, ut illis propter certas virtutes, quibus præditi esse debent, possint publica officia committi. Veluti sunt milites, qui sunt custodes et propugnatores urbis: in quibus præcipuè requiritur Fortitudo. Item senatores et judices, in quibus requiritur Prudentia et Justitia. Item sacerdotes, qui ea, quæ ad religionem et cultum divinum pertinent, debent procurare: in quibus requiritur Pietas et Temperantia. Denique homines divites et locupletes: qui Rempub. debent juvare pecunia in publicis ædificiis et munitionibus extruendis: in quibus requiritur Liberalitas et Magnificentia.

Excluduntarne simpliciter omnes agricolæ è numero civium?

Minime: sed tantùm ii qui non proprios habent agros, et propter paupertatem coguntur alienos agros pro mercede, ad acquirendum quotidianum victum, colere. Alioquin agricolarum vita atque conditio semper honestissima fuit habita: quorum multi præter agrorum culturam etiam virtutem excoluerunt, et civilibus officiis et honoribus adhibiti fuerunt. Exemplo esse potest Serranus ille, quem olim Romani ab aratro ad consulatum vocarunt, testibus Valer. Max. lib. 4. cap. 4. Plin. lib. 18. cap. 3. et Cicer. pro Rosc. ubi Attilius vocatur. Et priscis temporibus, cùm bonum virum vellent laudare, nominarunt eum bonum agricolam, bonumque colonum.

Possuntne publica ista officia in civitate iisdem, an verò diversis civibus committi?

Utrumque fieri potest, pro ratione circumstantiarum: nimirùm ut interdum iisdem, interdum verò diversis personis ista officia demandentur. Nam quia actiones bellicæ requirunt robur et vires corporis; ætas autem juvenilis habet adhuc integras vires: ideò etiam bellicæ actiones rectè illis demandantur. Eodem modo, quia ad rectè consultandum et judicandum requiritur prudentia, et rerum usus: quæ non nisi longo tempore possunt comparari; ideò etiam senioribus hæ partes sunt demandandæ. Denique quoniam æquum est, ut iis, qui publicis curis et laboribus jam propter longam ætatem quodammodo exhausti sunt, etiam requies aliqua et otium concedatur, ut possint contemplationi vacare, et se ad extremum actum, id est, mortem, præparare: ideò talibus optimè commendari poterit religionis cura, et cultus administratio. Επει δε και το πολεμικον.

Quomodo Aristoteles hanc officiorum distributionem confirmat?

Primùm à proprio Justitiæ distributivæ, quæ jubet unicuique το κατ' αξιαν διανεμειν, hoc est, id tribuere quo dignus est: et ad quod agendum et efficiendum maxime à natura videtur aptus esse. Atque huic distributioni etiam consentit antiquus versus apud Græcos, quo dicitur:

Εργα νεων, βυλαι τε μεσων, ευχαὶ τε γεροντων.

Hoc est:

Vir, juvenis, senior, consultet, militet, oret.

Deinde, ab exemplo Sesostris, regis Ægyptiorum: Minois, regis Cretensium: Itali, regis Oenotriæ: quæ posteà ab ejus nomine, Italia fuit nuncupata: item aliorum antiquissimorum populorum, apud quos vestigia ejusmodi distributionis fuerunt reperta. Τα μεν γαρ αναγκαια την χρειαν διδασκειν εικος αυτην· τα δ' εις ευσχημοσυνην και περιουσιαν υπαρχοντων

ηδη τουτων, ευλογον λαμβανειν την αυξησιν· Nam quæ necessaria sunt ad usum vitæ, indigentiam ipsam docuisse, rationabile est: et illis repertis additamenta postmodum facta esse, ad politiorem vivendi formam.

Sed unde habebunt isti tres ordines civium sua alimenta, et alia vitæ necessaria: si debent semper publica negotia civitatis administrare?

Αλλα μην και τας κτησεις. Monet Aristoteles inter tales distribuendos esse publicos civitatis agros: non ut ipsi eos suis manibus colant: sed ut eorum cultura fiat vel per servos aut mercenarios: vel per vicinos pauperes rusticos: ipsi autem sint eorum domini, et fructus ex illis percipiant.

Ex quo ordine hominum deligendi sunt ii, per quos ea, quæ ad divinum cultum pertinent, sunt administranda?

Λοιπον δε εκ των καταρηθμηθειτων. Ex iis civibus, quibus aliquando administratio Reipub. aut custodia urbis fuerat commissa: quando nimirum propter senectutem, non amplius publicis istis muneribus commodè fungi possunt.

Sed cur non etiam ex senioribus agricolis aut opificibus tales sunt deligendi?

Ὑπο των πολιτων πρεπει τιμασθαι τους θεους. Quia tales non numerantur inter veros cives, quemadmodum suprà dictum fuit: atque ideò etiam non sunt revera partes civitatis. Atqui cultus divinus debet administrari per eos, qui sunt revera cives, et pars civitatis.

CAPUT X.

Περι δε της διανομης, και των γεωργουντων τινας.

Post distributionem civium, quid deinceps Politico considerandum?

CONSIDERANDUM etiam est politico in constituenda civitate, quo pacto agri civitati adjacentes sint inter cives distribuendi: prætereà per quos agri illi sint colendi.

Quare Politico etiam de agrorum distributione est considerandum?

Propter quinque causas: primùm, ut singuli

cives habeant propria bona, et proprias possessiones: siquidem communio bonorum, quam Plato in suam Rempub. conatus fuit introducere, est absurda: αλλα τη χρησει φιλικως γινεται κοινη ἡ κτησις· Sed usu amicabili communes fiunt possessiones: quemadmodum suprà in secundo libro fuit ostensum.

Quæ est altera causa?

Altera causa est, quia cives assuefaciendi et legibus excitandi sunt, ad exercendam erga alios liberalitatem et beneficentiam: ideò necesse est, ut habeant propria bona, de quibus aliis possint benefacere. Nam qui de alienis bonis alicui benefacit: is propriè non dicitur liberalis.

Quæ est tertia causa?

Tertia causa est, quia boni politici et legumlatoris officium est, in constituenda civitate cavere, ne aliqui ex civibus nimium abundent: aliqui verò nimium egeant: ad hoc autem præcavendum, diligenter considerandum est, qua ratione agri ita distribuantur, ut tàm universæ civitati, quàm singulis civibus rectè sit prospectum.

Quæ est quarta causa?

Quarta causa sumitur à consuetudine Syssitiorum. Περι συσσιτιων τε
Si civitas debet de suis publicis sumptibus, et sin- συνδοκει.
guli cives de suis propriis bonis aliquid ad συσσιτια, id est, publica convivia celebranda contribuere: ergò oportet agros hoc modo distribuere, ut alii sint communes totius civitatis, alii verò proprii singulorum civium.

Quæ est quinta causa?

Quinta causa priori est similis, sumpta à cultu divino. Si cultus divinus peragi debet totius civitatis nomine, ita ut communiter ad omnes cives pertineat. Ergò oportet etiam certos quosdam agros ad eam rem esse designatos: ex quorum proventibus sumptus illi possint colligi.

Quo pacto sunt agri distribuendi inter cives?

Quoniam agri ad civitatem pertinentes, alii sunt Αναγκαιο
vicini, alii verò remoti ab urbe: ideò ut justa et τοινυν εις

δυο μερη διηρησθαι. æqualis fiat distributio, singulis civibus de utrisque agris pars aliqua est assignanda: ne aliqui solùm habeant propinquos urbi, alii verò solum remotos ab urbe.

Quæ est utilitas ejusmodi distributionis?

Duplex: *Prima* est, quòd talis distributio consentanea est justitiæ: quæ jubet, ut ad declinandam invidiam, quando inter æquales aliquid distribuendum est, etiam servetur æqualitas secundum proportionem Arithmeticam. *Deinde*, quia utilis est hujusmodi distributio in deliberationibus tempore belli: ut sententiæ civium sint magis liberæ: eò quòd omnium civium agris æquale periculum metuendum sit ab hostium incursionibus, vastationibus, direptionibus: quibus remotiores agri magis expositi sunt, quàm propinquiores.

Quibus autem committenda est agrorum tàm communium, quam privatorum cultura?

Τους δε γεωργησοντας μαλιστα μεν. Cultura agrorum *primùm* committenda est servis: quoniam enim hi sunt in potestate suorum dominorum, non audebunt hos labores detrectare. Sed cavendum est, ne omnes sint ejusdem nationis, aut animosi et audaces: ne fortè possint inter se adversus suos dominos conspirare. *Deinde* si servi haberi non possunt, conducendi sunt homines barbari et agrestes ex vicinis locis: qui ad nullum aliud vitæ genus videntur à natura esse facti, quàm ad ejusmodi labores et servilia officia præstanda.

CAPUT XI.

Quid præterea homini politico in extruenda et constituenda civitate est considerandum?

Αυτης δε προς αυτην ειναι την θεσιν. SITUS loci in quo civitatem constituere cupit. Plurimùm enim confert ad felicitatem civitatis singulorumque civium commoditates, opportunitas loci, in quo ipsa civitas est extructa.

Quot modis consideratur situs civitatis?

Situs civitatis bifariam consideratur: vel προς την χωραν, id est, respectu regionis, hoc est, quatuor

plagarum mundi: utrum ad Orientem vel Occidentem: ad Meridiem vel Septentrionem sita sit: vel consideratur προς ἑαυτην, quoad seipsam et suas partes, hoc est, ipsos cives et inhabitatores, eorumque commoditatem attinet.

Quid circa την χωραν considerandum est?

Quod ad situm civitatis respectu regionis attinet, suprà, in 5. cap. Aristoteles dixit: Eum situm civitatis optimum et commodissimum esse, qui est communis terræ et mari: ut et pacis et belli tempore, necessaria victualia et auxilia, ad eam transmitti et deferri possint: atque hoc modo sit, quemadmodum dixit, ευβοηθητος και ευπαρακομιστος.

Quæ sunt circa situm civitatis, quoad se ipsam attinet, consideranda?

In situ civitatis, quo ad se ipsam, quatuor sunt Πρωτον
spectanda. Primùm, salubritas aëris: ea enim plu- μεν ὡς
rimùm conducit ad valetudinem et sanitatem eorum αναγκαιον
qui civitatem inhabitant. Atque hanc ob causam προς
commendantur eæ urbes, προς ἑω την εγκλισιν εχουσαι, ὑγιειαν.
quæ versus Orientem et Septentrionem sitæ sunt: quoniam venti qui ex illis locis spirant, propter puritatem et siccitatem habentur salubriores: quàm qui spirant à Meridie et Occidente: qui propter crassitiem et humiditatem minus sunt salubres.

Quod est alterum?

Deinde, consideranda est commoditas et opportunitas loci, tàm quoad civilia, quàm domestica et quotidiana negotia expedienda. Nam in civitatibus, quæ in montosis et asperis locis extructæ sunt, longè majori labore et difficultate talia negotia expediuntur, propter ascensum et descensum collium: quàm in iis quæ in planitie sitæ sunt.

Quod est tertium?

Tertiò, consideranda etiam est commoditas loci, Των δε
quoad bellum vel gerendum et inferendum hostibus: λοιπων,
vel ad propulsandum ab urbe et civibus. Itaque προς τε
curandum est, ut civitas in ejusmodi loco extruatur, τας πο-
qui sit civibus quidem ευεξοδος, id est, facilis quo ad λιτικας.

egressum, hostibus verò δυσπροσοδος, id est, accessu difficilis: et δυσπεριληπτος, και δυσεμβολος, difficilis ad invadendum et obsidendum.

Quod est quartum?

Quartò, curandum quoque est, ut civitas in ejusmodi loco extruatur, in quo est aquarum et fluminum copia: quæ non possit ab hostibus intercludi aut averti.

Sed quare etiam de his rebus politico in constituenda civitate considerandum est?

Επει δε δει περι υγιειας.

Quia aëris, ventorum, et aquarum salubritas plurimùm conferunt ad valetudinem et sanitatem civium: οἷς γαρ πλειςοις χρωμεθα προς το σωμα και πλειςακις, ταυτα πλειςον συμβαλλεται προς την υγιειαν· Quibus enim plurimum et frequentissimè utimur ad corpus, ea plurimum important ad sanitatem. Cujus certè in vita maxima ratio est habenda: etenim absque sanitate vita nostra non solùm est inutilis ad actiones honestas et civiles rectè obeundas: verùm etiam est molesta et misera: quemadmodum ejus quoque laudes Ariphon, Poëta Sicyonius, apud Athen. lib. ult. circ. fin. decantat: O beata sanitas! te præsente amœnum Gratiis Ver coruscat: absque te nemo beatus. Et sanè nulla fermè re minùs, vel etiam ad exiguum temporis momentum curare possumus, quàm aëre et aqua, id est, humore, quibus sublatis, necesse est hominem et quodvis animal suffocari atque interire.

Quæ præterea circa situm civitatis sunt consideranda?

Ἡ δε των ιδιων οικησεων διαθεσις.

Aristoteles adhuc duo proponit alia, quæ in extruenda civitate sunt politico consideranda. *Unum* est de ædificiorum tàm privatorum, quàm publicorum dispositione. *Alterum* est de munitionibus civitatis.

Quotuplex proponitur ab Aristotele ratio disponendorum ædificiorum in civitate?

Triplex est ratio disponendorum ædificiorum in civitatibus: una antiqua, altera recens, tertia ex utrisque mixta.

Antiqua ædium dispositio fuit, in qua domus non certo ordine, sed confusè hinc indè, prout cuique placebat, extruebantur: ita ut nullos certos et directos vicos seu plateas constituerent: sed ædes vario modo per civitatem essent dispersæ, instar cujusdam Labyrinthi: ex quo non facilè poterant peregrini effugere, si fortè alicui ex civibus injuriam aut damnum intulissent.

Quæ fuit recens domorum dispositio?

Recens disponendarum ædium in civitate à quodam Hippodamo Milesio inventa fuisse dicitur: qua ædes ordine secundùm rectam lineam extruebantur, et disponebantur: adeo ut rectas et pervias plateas in civitate efficerent: quæ ratio non solùm utilis est ad negotia tàm privata, quàm publica, commodiùs in civitate expedienda: verùm etiam facit ad ornatum et elegantiam civitatis.

Quæ fuit tertia ratio disponendarum ædium?

Tertiam hanc rationem Aristoteles ait mixtam esse ex duabus præcedentibus: si nimirum in ingressu et extremitatibus urbis, domus perturbato, in media verò urbe, directo ordine collocentur. Hanc dispositionem existimat utilem esse partim προς την ασφαλειαν, partim etiam, προς τον κοσμον, hoc est, ad securitatem et ad ornatum civitatis. Nam ædibus ad hunc modum dispositis peregrini et exteri non poterunt subitò per rectam viam in mediam urbem irrumpere: et civilia negotia commodiùs à civibus poterunt expediri.

Και την μεν όλην μη ποιειν πολιν.

Quid de munitionibus civitatis præcipit?

Quod ad munitiones civitatis attinet, monet Aristoteles non omnibus civitatibus easdem munitiones convenire: sed eas accommodandas esse formis Rerumpub. Nam in Monarchiis et Oligarchiis utiles sunt αἱ ακροπολεις, hoc est, arces et excelsæ turres: è quibus ii, penes quos est gubernatio, non solùm possint omnia, quæ in civitate fiunt et geruntur, prospicere, sed etiam se faciliùs contrà subditorum et seditiosorum civium insidias atque impetum tueri,

eosque in officio et metu coërcere: quemadmodum Lucretius, lib. 4. de Rer. Nat. 1108. scribit:

> Condere cœperunt urbes, arcesque locare:
> Præsidium Reges ipsi sibi, perfugiumque.

In Aristocratiis, hoc est, in optimatum gubernatione utile est habere multa in civitate loca: quæ vel natura, vel arte sunt munita: in quibus ipsi optimates, quibus civitatis administratio commissa est, possint esse tuti, contrà malorum et improborum civium vim et conspirationes.

In Democratiis utilis est planities et æquabilitas locorum: ut populus eò faciliùs et frequentiùs possit convenire, et sua comitia celebrare: quoties de negotiis, ad universam civitatem pertinentibus, est consultandum.

Estne civitas mœnibus cingenda et munienda?

Περι δε τειχων οἱ μη φασκειν.

De hac quæstione olim diversæ politicorum hominum fuerunt opiniones, sicut videre licet apud Platonem in lib. 6. de Repub. Nam Lacedæmonii existimârunt mœnia et propugnacula non esse necessaria ei civitati, in qua omnes cives pariter virtuti, præcipuè verò fortitudini studerent: tales enim seipsos et sua corpora, murorum loco hostibus objicere: et sua virtute hostes repellere: imò ejusmodi munitiones et propugnacula reddere cives aut securos et negligentes: aut ignavos et effœminatos.

Quæ est autem Aristotelis de hac quæstione sententia?

Aristoteles sex argumentis probat civitatem esse mœnibus, fossis et aggeribus seu vallis et aliis propugnaculis muniendam. Primùm sumitur à contrario exemplo et facto ipsorum Lacedæmoniorum: qui licet hoc ipso nomine vellent videri cæteris Græcis esse fortiores et animosiores, quòd non confiderent talibus externis mutationibus: sed potius sua virtute atque fortitudine niterentur, suisque corporibus sese hostibus opponerent: tamen in bello, quod Pyrrhus contrà eos movit, ne hostis posset absque impedimento in eos irruere, subitò fossam et

aggerem eduxerunt, ad eam partem urbis, quam hostis cœperat obsidere.

Quod est alterum argumentum?

Alterum argumentum sumitur ex distinctione hostium. Hostes alii sunt, nobis viribus, vel pares, vel inferiores, vel superiores. Qui nobis pares aut inferiores sunt, adversus tales mœnia et alia propugnacula, non usque adeò sunt necessaria: siquidem honestius est cum illis in aperto campo congredi: et fortitudinem atque animi magnitudinem factis ipsis declarare, quàm in externis ejusmodi præsidiis vellè salutem quærere. Qui verò numero et potentia nobis multò sunt superiores, adversus illos etiam ad alia præsidia et auxilia confugere, non est turpe: imò temeritas, insania, et stultitia esset, ea, cum civitatis omniumque civium periculo atque exitio, contemnere et negligere.

Εςι δε προς μεν τους όμοιως.

Quod est tertium argumentum?

Tertium argumentum sumitur ab absurdo trium similium exemplorum: Quemadmodum absurdum esset pro extruenda urbe non velle quærere locum aliquem naturâ munitum: aut colles solo æquare, undè cives possent se contra hostiles impetus tueri: aut privatas domos nullis parietibus, contrà bestiarum incursiones includere: eam solùm ob causam, ne inhabitatores videantur esse timidi et ignavi: ita etiam absurdum est dicere, civitatem nullis mœnibus esse cingendam: ne cives videantur parùm forti animo esse præditi.

Quod est quartum argumentum?

Quartum argumentum continet refutationem contrariæ objectionis eorum, qui dicunt: iis civibus qui inhabitant civitatem, mœnibus et aliis munitionibus munitam, adimi occasionem exercendæ suæ fortitudinis contrà hostes in defendenda civitate: ideò quod omnem spem et fiduciam habent in ejusmodi munitionibus. Hoc negat Aristoteles et ostendit cives nihilominus posse fortitudinem suam declarare, quatenus nimirum illis licet vel urbes

Αλλα μην ουδε τογε δει λανθανειν.

egredi, et in aperto campo cum hostibus manus conserere: vel hostes fortiter à mœnibus, in urbis oppugnatione, repellere.

Quod est quintum argumentum?

Ει δη τουτον εχει τον τροπον, ουκ ετι τυχη.

Quintum argumentum sumitur ex loco comparatorum, à pari. Etenim si licet hostibus excogitare, et apparare varias machinas et instrumenta bellica ad expugnandas urbes: licet etiam oppidanis et civibus omnia ea extruere et apparare, quibus vicissim se contra hostium vim tueri, et defendere possint.

Quod est sextum argumentum?

Sextum argumentum sumitur ab utili seu effectu. Nam si hostes videant civitatem contra externam vim satis esse munitam et instructam: faciliùs absterrebuntur a suo proposito: neque temerè volent contrà talem civitatem bellum suscipere. Αρχην γαρ ουδ' επιχειρουσιν επιτιθεσθαι τοις ευ παρασκευασμενοις. Principio enim non aggrediuntur eos, qui benè sese præparaverunt, expugnare.

CAPUT XII.

Dixisti de privatis Ædificiis civium, quo pacto in civitate sint disponenda. Sed suntne etiam in civitatibus necessaria quædam publica Ædificia: quæ communibus civium usibus sunt destinata?

Επει δε δει το μεν πληθος.

MULTA quoque et varia sunt publica ædificia in civitatibus benè constitutis necessaria: ex quibus Aristoteles in hoc capite quatuor præcipuorum mentionem facit: quarum alia destinata sunt ad peragenda ea, quæ ad divinum cultum pertinent: ut sunt, Templa, Fana, Delubra, Sacella: alia ad celebranda publica convivia, quæ à Græcis συσσιτια nominantur, ut sunt, Cœnacula Sacerdotum, Magistratuum, Civium: alia ad expedienda civilia et quotidiana negotia, ut sunt, Fora magistratuum et judiciorum: item rerum venalium: alia denique ad exercitia tàm ingeniorum, quàm corporum: ut sunt Gymnasia et Scholæ.

Quibus in locis civitatis ista publica ædificia sunt extruenda?

Templa in locis celebrioribus et editioribus civi- Τας δε
tatis: quæ splendorem aliquem et dignitatem cultui τοις θειοις
divino congruentem habent. Οἱ τινες επιφανειαν τε εχουσι αποδιδο-
προς την της αρετης ἱκανως, και προς τα γειτνιωντα μερη μενων οι-
της πολεως ερυμνοτερως· Qui supereminentiam habent κησεις.
et ad edendam virtutem sufficienter, et ad vicinas partes civitatis excellenter. Cœnacula magistratuum et sacerdotum non debent procul à templis esse remota: ut eorum vicinitate, epulantes admoneantur temperantiæ et sobrietatis. Ἡ γαρ εν οφθαλμοις των αρχοντων παρουσια, μαλιστα εμποιει την αληθινην αιδω, και τον των ελευθερων φοβον· Præsentia enim magistratuum ante oculos posita gignit veram reverentiam, liberalemque pudorem. Cœnacula verò civium extruenda sunt juxta mœnia et propugnacula civitatis: ut cives possint illa una cum militibus, quibus custodia urbis commissa est, celebrare; ad majorem inter utrosque concordiam fovendam.

Quid est Forum in civitate?

Forum ἡ αγορα, est amplus et publicus locus, ab Πρεπει δ'
ædificiis privatorum civium vacuus in civitate: ad ὑπο μεν
communes et quotidianos civium usus destinatus. τουτον τον

Quot enumerantur ab Aristotele ejus species? τοπον.

Tres: αγορα ελευθερα, Forum liberum, à commerciis nimirum, et strepitu sordidorum opificum, aliorumque hominum, qui non peculiariter sunt vocati. Hoc Forum situm esse debet in celebriore aliquo loco civitatis: nempè inter ædes sacras et Prytanæa, id est, cœnacula Magistratuum: ut sit accommodatum deambulationibus et colloquiis honestiorum civium: qui inter se, animi recreandi gratiâ, de variis rebus familiariter colloqui cupiunt.

Quæ est altera Fori species?

Altera species Fori nominatur, αγορα των ὠνιων, Την δε των
Forum rerum Venalium, quæ ad victum, amictum, ὠνιων αγο-
et alios usus vitæ quotidianæ sunt necessariæ. Hoc ραν.
Forum à priore debet esse separatum et remotum,

A a

ne strepitu et discursationibus eorum, qui commercia inter se exercent, impediantur colloquia et consilia eorum, qui ad forum liberum colloquendi aut consultandi gratiâ convenerunt. Situm autem esse debet in ejusmodi urbis parte, ad quam illi, qui commercia exercere volunt, facilè possint suas merces è mari et terra comportare.

Quæ est tertia Fori species?

Των δ' αρχειων οσα περι τα συμβολαια. Tertia Fori species appellatur, αγορα των αρχειων. Forum Magistratuum, est locus, in quo Curia, Palatium, Prætorium, Archivum, Tribunalia, et similia publica ædificia sunt extructa: in quibus de negotiis publicis agitur, causæ Forenses cognoscuntur et dijudicantur, judicia exercentur, contractus consignantur, tabulæ publicæ conficiuntur. Hoc Forum non debet procul remotum esse à Foro rerum venalium: atque juxta illud habitare debent ii, qui publicis negotiis civilibus administrandis sunt præfecti: ut quoties eorum præsentia opus fuerit, semper possint præstò adesse. Ου γαρ χαλεπον δ' εστι τα τοιαυτα νοησαι, αλλα ποιησαι μαλλον· το μεν γαρ λεγειν, ευχης εργον εστι· το δε συμβηναι τυχης· Verùm illa non sunt difficilia cognitu, sed magis factu, dicere enim voti est: evenire autem fortunæ.

CAPUT XIII.

Quæ hactenus de materia ex qua civitas constituenda est, commemorasti, quò potissimùm sunt referenda?

Περι δε της πολιτειας αυτης. AD finem civitatis, qui est ipsa felicitas seu beatitudo, tàm universæ civitatis, quàm singulorum civium: neque enim revera civitas beata dici potest, nisi quoque singuli ejus cives sint beati.

In quo consistit illa Beatitudo?

In perfecta actione secundum virtutem: quemadmodum in Ethicis dictum est.

Quot requiruntur ad ejusmodi perfectam actionem?

Duo: Unum est, ut scopus et finis actionis sit bonus: alterum est, ut media illa, per quæ ad finem perveniendum est, sint recta et bona: δει δ' εν ταις

τεχναις και επιςημαις ταυτα αμφοτερα κρατεισθαι, το τελος, και τας εις το τελος πραξεις. Oportet autem in artibus et scientiis hæc utraque obtineri, finem, et eas quæ sunt ad finem actiones, quando verò hæc duo sibi mutuò non correspondent: aut alterum ex illis, vel utrumque malè se habet: tunc necesse est agentem errare: ejusque actionem esse malam et imperfectam ενιοτε γαρ ο μεν σκοπος εκκειται καλως, εν δε τῳ πραττειν, τυ τυχειν αυτυ διαμαρτανυσιν· Quandoque enim illud, ad quod intenditur, rectè jacet: sed in actionibus, per quas illo potiri credimus, aberratur. Ex quo etiam intelligitur, quænam causa sit, quamobrem non omnes homines beatitudinem consequantur, licet omnes eam expetant: nimirum, quia vel de ea, tanquam de ultimo fine, non rectè judicant: vel non per ea media per quæ debebant, ad eam contendunt.

Quomodo definitur beatitudo civilis in hoc loco?

Beatitudo est operatio et usus virtutis perfectus, non ex conditione aliqua, sed absolutè et simpliciter. Ευδαιμονια εςιν ενεργεια, και χρησις τελεια αρετης: και αυτη υκ εξ ὑποθεσεως, αλλ᾽ ἁπλως. Επει δε το προκειμενον εςι.

Nota. Hæc definitio Beatitudinis, etiamsi nonnihil verbis discrepet ab ea, quæ in primo libro Ethicorum ponitur: tamen quoad sensum eadem est: ευδαιμονια εςιν ενεργεια της ψυχης λογικης, κατ᾽ αρετην αριςην, και τελειοτατην, εν βιῳ τελειῳ· Beatitudo est operatio animi rationalis, secundum virtutem optimam et perfectissimam, in vita perfecta.

Quare in definitione Beatitudinis, quæ hoc loco habetur, adjicitur hæc particula ουκ εξ ὑποθεσεως, αλλ᾽ ἁπλως.

Quia, quemadmodum bona, quædam sunt revera et simpliciter bona, quædam solùm ex conditione sunt bona: ita etiam in actionibus se res habet: quædam sunt simpliciter bonæ, ideoque etiam per se expetendæ: veluti sunt eæ, quæ cum virtute sunt conjunctæ: quædam sunt solùm ex conditione bonæ: quatenus nimirum alterius alicujus boni

consequendi, aut mali effugiendi gratiâ necessariò suscipiuntur, ac fiunt: atque ideò etiam non per se, verùm propter aliud expetuntur: ut punire et supplicio afficere. Αἱρετωτερον μεν γαρ μηδενος δεισθαι των τοιουτων μητε τον ανδρα, μητε την πολιν· Eligibilius autem foret, nullo tali indigere, neque hominem neque civitatem.

Objectio. Atqui vir bonus, etiam rebus suâ naturâ malis potest rectè uti: igitur Beatitudo non solùm est in iis, quæ simpliciter bona sunt?

Χρησαιτο δ' αν ὁ σπουδαιος ανηρ. Solutio. Verum quidem est, virtutis tantam vim esse in viro bono, ut etiam ea, quæ alioquin suâ naturâ mala sunt, non tamen possint ei nocere: imò possit ea etiam ad bonum finem dirigere: sed tamen in illis ejus beatitudo non ita est plena et splendida quemadmodum in iis, quæ suâ naturâ sunt bona et expetenda: quemadmodum etiam in lib. 1. Ethic. cap. 10. dictum est.

Qualem ex his infert Aristoteles conclusionem?

Αναγκαιον τοινυν εκ των ειρημενων. Ex iis, quæ jam de beata civitate dicta sunt, Aristoteles infert talem conclusionem. Ad beatam igitur civitatem duo requiruntur. *Primùm,* Virtus: nimirum ut omnes cives sint virtutis, ejusque actionum studiosi: *Deindè,* Bona externa, quæ sunt adjumenta et οργανα, ad actiones virtutum meliùs exercendas. Διο και νομιζουσιν ανθρωποι της ευδαιμονιας αιτια τα εκτος ειναι των αγαθων· ὡσπερ ει τυ κιθαριζειν λαμπρον και καλως αιτιωτο την λυραν μαλλον της τεχνης. Quapropter existimant homines externa bona causam esse felicitatis: ceu si quis benè pulsandi causam putet esse lyram magis quàm artem. Ex his duobus autem, prius pertinet ad officium prudentis legumlatoris et politici: ut videlicet bonis legibus, bonâque disciplinâ et institutione, cives suos ad amorem et studium virtutis et honestarum actionum excitet et assuefaciat. Posterius autem, quod est de bonis externis, magis pendet à fortuna, quàm ex hominum voluntate et arbitrio: ideò optandum potiùs, quàm legibus sanciendum est.

Si ea solùm civitas dicitur et potest esse beata, in qua omnes cives sunt beati: non possunt autem esse vel dici beati, nisi sint viri boni? Quæ igitur requiruntur ad efficiendum virum bonum?

Ad efficiendum virum bonum tria debent concurrere: ἡ φυσις ἡ ευφυια, naturæ bonitas: το εθος, consuetudo et assuefactio: ὁ λογος, ratio. In hanc sententiam etiam in X. lib. Ethic. cap. 9. scribit. Γινεσθαι δ᾽ αγαθοι οιονται· οἱ μεν φυσει· οἱ εθει· οἱ δ᾽ δε διδαχῃ, ἡ λογῳ. Τουτ᾽ αρα σκεπτεον· πως ανηρ.

Quare requiritur ἡ φυσις natura?

Quia si natura non sit capax virtutis, qualis est bestiarum, nunquam etiam poterit ad virtutem ejusque actiones assuefieri. Ideò in Ethicis, l. 10. c. 9. ait, eum qui debet vir bonus fieri, debere esse κατακωχιμον εκ της αρετης, id est, aptum ad concipiendum semen virtutis. Hanc aptitudinem Aristoteles in Ethicis, lib. 6. c. 13. nominat φυσικην αρετην, item επιτηδειοτητα, et δεινοτητα, c. 12. Nam ut Cic. in lib. 5. Tuscul. scribit, Tardis mentibus virtus non facilè committitur.

Quare secundo loco requiritur το εθος, ἡ ασκησις consuetudo et assuefactio?

Ad naturam vel naturæ bonitatem necesse est secundo loco accedere το εθος, assuefactionem: quoniam nisi semina illa, vel ut Cicero, lib. 3. Tusc. in pr. vocat, igniculi virtutum à natura concessi, diligenti labore et assiduo exercitio excitentur, augeantur, et confirmentur, donec in habitus excrescant: facilè iterum per ignaviam et negligentiam poterunt suffocari et extingui: antequam ad bonam et utilem frugem perveniant. Τα γαρ εθη μεταβαλλειν ποιει· ενια γαρ εστι δια της φυσεως επαμφοτεριζοντα δια των εθων επι το χειρον και το βελτιον· Mores enim mutari faciunt. Nam aliqua per naturam ad utrumque apta, per mores ad pejus vel melius convertuntur. Ενια τε ουδεν οφελος φυναι.

Quare etiam accedere oportet tertio loco τον λογον, rationem, seu ut alibi nominat διδαχην, μαθησιν, παιδειαν, doctrinam, disciplinam, et institutionem?

Τα μεν ουν αλλα των ζωων. Quia illa duo priora etiam aliquo modo homini communia sunt cum quibusdam bestiis: in quibus interdum quoque sunt præclaræ dotes naturæ: quæ etiam hominum industriâ ad quasdam actiones assuefieri possunt: quæ alioquin ab earum natura sunt alienæ. Hoc verò tertium, nempè ὁ λογος, ratio, solius hominis est propria: cujus beneficio non solùm ipse per se intelligere potest et discernere: verùm etiam alios docere, et vicissim ab aliis discere, quid in actionibus honestum vel turpe, bonum vel malum, expetendum vel fugiendum sit. Τα μεν γαρ εθιζομενοι μανθανουσι· τα δ' ακουοντες. Quædam enim assuescendo discuntur, quædam audiendo. De qua re Cic. lib. 1. de Orat. sic scribit: Quæ bona sunt, fieri meliora possunt doctrinâ: et quæ non optima, aliquo modo acui tamen et corrigi possunt.

CAPUT XIV.

Quoniam ad efficiendum bonum virum, plurimùm confert disciplina et institutio: quæ sunt circa eam Politico et Legumlatori consideranda?

Επει δε πασα πολιτικη κοινωνια. DUÆ hoc in loco se offerunt quæstiones. Prima, Utrum omnium civium eadem debeat esse disciplina et institutio? Altera. Quænam circa ipsam institutionem sint observanda. Quod ad priorem quæstionem attinet: notandum est, civilem societatem constare ex duobus præcipuè generibus hominum: unum est eorum, qui imperant: et appellantur αρχοντες, Magistratus. Alterum eorum qui parent: et nominantur αρχομενοι, subditi. Ad hos duos ordines civium etiam disciplina est accommodanda. Etenim cum eorum diversa sit vitæ ratio et conditio: etiam diverso modo sunt instituendi: illi nimirum, quo pacto rectè possint imperare: hi verò, quo pacto rectè debeant parére. Imò quia in liberis

civitatibus et politiis est vicissitudo imperandi et parendi: ideò cives in utroque sunt instituendi: ut et rectè imperare, et obedientiam præstare possint.

Estne utile, ut in civitate imperium semper sit penes aliquos certos: reliqui autem semper illis pareant?

Pro hujus quæstionis declaratione Aristoteles affert hanc distinctionem: Qui ejusdem civitatis sunt cives, hi vel virtutibus, et aliis, vel animi, vel corporis bonis sunt inter se æquales et similes: vel sunt inæquales et dissimiles, atque hi rursum vel parùm, vel plurimùm sunt dissimiles. Quando æquales et similes, aut admodum parùm dissimiles sunt: tunc æquum est, ut per vices imperium omnibus permittatur: etiam justitiæ regula postulat, ut æqualibus æqualia tribuantur. Το τε γαρ ισον ταυτον τοις ὁμοιοις, και χαλεπον μενειν την πολιτειαν την συνεστηκυιαν παρα το δικαιον· Æquum enim idem similibus: et difficile est stare Remp. quæ constituta sit præter justitiam. Quando verò plurimùm sunt dissimiles, tunc æquum est ut illis imperium concedatur, qui virtutibus aut corporis præstantiâ cæteris civibus longè sunt superiores. Hanc excellentiam ait Indos in eligendis regibus olim observasse: et suprà, in lib. 4. cap. 4. scripsit, Æthiopes solitos fuisse διανεμεσθαι τας αρχας, κατα μεγεθος, και καλλος hoc est, secundum magnitudinem et formam: quod etiam, Herod. in Thalia refert: οἱ Αιθιοπες, inquit ὁν αν των αςων κρινωσι μεγιςον τε ειναι· και κατα το μεγεθος εχειν την ισχυν· τυτον αξιυσι βασιλευειν.

Ει μεν τοινυν ειησαν τοιαυτον.

Objectio. Atqui ista vicissitudo imperandi et parendi, videtur aliquid detrahere auctoritati et dignitati eorum, qui aliquando magistratum gesserunt: si nimirum debeant esse subjecti et parére iis, quibus ipsi paulò anteà imperaverant?

Solutio. Vicissitudo ista imperandi et parendi in libera Repub. non imminuit auctoritatem magistratûs: *Primùm,* quia consentanea est justitiæ, quemadmodum paulò anteà dictum est. *Deindè,* quia

Αλλα μην ὁτι γε δει τυς αρχοντας.

ejus vestigia reperiuntur in ipsa naturâ: quæ sicut jubet, ut juniores obtemperent senioribus: ita quoque permittit ut iidem juniores, postquàm senes affecti fuerint, etiam imperent aliis junioribus. *Tertiò*, quia illa vicissitudo imperandi et parendi est utilis in Republica: quemadmodum patet ex communi proverbio: Neminem posse rectè imperare, nisi anteà quoque paruerit. Τον τε γαρ μελλοντα καλως αρχειν, αρχθηναι φασι δειν πρωτον· et supra, lib. 3. c. 3. Ουκ εϛι ευ αρξαι μη αρχθεντα. *Quartò*, quia non omnia επιταγματα, id est, jussa et imperata afferunt ei, qui ea præstat, aliquod dedecus aut ignominiam. Alia enim æstimantur τοις εργοις, ex ipsis operibus per se: alia verò æstimantur τῳ τελει ὁ ενεκα, fine cujus gratia mandantur, suscipiuntur, et fiunt. Itaque potest quidem fieri, ut quædam obsequia τῳ εργῳ, opere ipso, videantur esse abjecta et servilia: quæ tamen ratione finis, propter quem mandantur et fiunt, non sunt inhonesta iis, qui ea præstant et exequuntur: imò interdum necessitate postulante non pudet eos ipsos, qui præcipiunt, eadem præstare.

Quæ sunt consideranda Legumlatori et Politico circa disciplinam civium?

Επει δε πολιτου και αρχοντος.

Primùm considerandus ei est ultimus civitatis finis, ut ad illum consequendum omnem disciplinam civium accommodet: Finis autem ille est beatitudo seu felicitas, cùm totius civitatis, tùm singulorum civium.

Deindè, quia ista politica beatitudo consistit in actione virtutis: ideò proxima ejus cura esse debet, ut per disciplinam excitet in animis civium amorem et studium, ad virtutis actiones exercendas. Nam sine illis nemo vir bonus neque beatus esse aut dici potest.

Tertiò, quia actiones virtutum sunt media per quæ beatitudo politica comparatur: plures autem et variæ sunt virtutes: ideò etiam politico considerandum est, ad quas præcipuè virtutes disciplinam

civium debeat accommodare: ut secundum eas vitam suam instituere possint. Αει δ' ἑκαςῳ τουτ' αἱρετωτατον, ὁ τυχειν εςιν ακροτατου· Semper verò cuique id est maximè expetendum, cujus potiri est summum.

Quartò, quia universa hominum vita distinguitur in duo tempora: unum otii et pacis: alterum negotii et belli: πολεμος μεν ειρηνης χαριν· ασχολια δε σχολης, bellum quidem gratiâ pacis, negotium verò otii gratiâ: utriusque autem sunt propriæ quædam, et peculiares virtutes: et quia pax et otium præferenda sunt bello et negotio: ideò disciplinam civium potiùs ad virtutes pacis, quàm ad virtutes bellicas debet accommodare.

Quia virtutum subjectum est animus, quem debent perficere: undè cognoscitur Animus?

Accurata et plenior Animi consideratio propriè pertinet ad metaphysicum: à politico verò eatenus solùm consideratur, quatenus ex ejus potentiis, earumque operationibus proficiscuntur actiones virtutum, in quibus Philosophi ponunt civilem hominis beatitudinem. Sunt enim duæ primariæ potentiæ animi humani: una dicitur λογικη, rationalis: quæ ex se, et sua natura ratione prædita est: in qua est ipsa ratio et mens: atque hæc rursum est bipartita, θεωρητικη, contemplativa: et πρακτικη, activa. Ad hanc potentiam referuntur virtutes intellectuales, διανοητικαι. Altera nominatur αλογος, irrationalis: quæ ipsa quidem ex se non habet rationem: sed tamen in homine ita est constituta, ut rationem intelligere, eique obtemperare possit, et in hac est appetitus, estque sedes omnium affectuum: ad hanc pertinent virtutes ἠθικαι, id est, morales. Αει γαρ το χειρον του βελτιονος εςιν ἑνεκεν· και τουτο φανερον ὁμοιως εν τε τοις κατα τεχνην, και τοις κατα φυσιν· βελτιον δε το λογον εχον· Semper autem deterius melioris gratiâ est. Patet hoc in his, quæ sunt secundum artem, et his quæ sunt secundum naturam: melius autem illud quod rationem habet.

Διῃρηται δε δυο μερη της ψυχης.

Quare Lycurgus omnes suas leges et universam disciplinam civium direxit ad virtutes bellicas et artem militarem?

Οἱ δε νυν αριστα δοκουντες πολιτευεσθαι.

Ut stabiliret et amplificaret potentiam et imperium Lacedæmoniorum: simulque civium suorum opes et facultates augeret. Πλειστοι γαρ των ανθρωπων ζηλουσι των πολλων δεσποζειν, ὁτι πολλη χορηγια γιγνεται των ευτυχηματων· Nam plurimi hominum dominari latè cupiunt, quoniam exinde multa proveniunt fortunæ commoda.

Rectene hoc à Lycurgo est factum?

Negat Aristoteles scopum, quem Lycurgus in suis legibus sibi habebat propositum, esse bonum et verum: atque hoc probat tribus argumentis. Primùm, Quia neque ipsi Lacedæmonii, licet Lycurgi leges diligenter servarent, potuerunt per eas suum imperium diu retinere: sed statim, postquàm pacem nacti essent, illud iterum amiserunt: et sic felicitate sua exciderunt: eò quòd solùm ad belli, non autem ad pacis virtutes erant assuefacti. Την γαρ βαφην αφιασι, ὡσπερ ὁ σιδηρος, ειρηνην αγοντες, splendorem enim, veluti ferrum, per pacem amittunt.

Alterum argumentum sumitur à fine bonarum legum, qui debet esse honestus, et cum virtute conjunctus: Atqui herili more δεσποτικως velle aliis imperare, quale imperium Lacedæmonii affectabant, non est honestum, neque cum virtute conjunctum: sed magis violentum et injustum. Ergò scopus legum Lycurgi non erat verus et laudabilis. Minor declaratur comparatione imperii politici, quod est in homines liberos: et imperii herilis, quod est in servos: quorum illud conjunctum est cum virtute et humanitate: hoc autem cum vi et injuria.

Ετι δε ου δια τουτο δει την πολιν.

Tertium argumentum sumitur ab effectu. Quæ leges possunt excitare in animis hominum cupiditatem dominandi, hæ sunt civitatibus periculosæ; sed leges Lycurgi possunt istud efficere. Ergò. Major probatur, quia dominandi libido facilè potest *promovere* animos hominum ad movendas turbas et

seditiones. Declaratur exemplo Pausaniæ regis Lacedæmoniorum: qui propter hanc dominandi cupiditatem etiam accusatus fuit, quasi affectasset Tyrannidem.

Suntne igitur omnia exercitia et studia bellica è civitatibus exterminanda?

Nequaquam. Nam habent etiam ista exercitia suum usum, si referantur ad verum et proprium finem, propter quem sunt excolenda. Την τε των πολεμικων ασκησιν.

Quis ille finis?

Triplex est finis, propter quem etiam virtutes et studia bellica in civitatibus ab ipsis civibus sunt excolenda. Unus est, ne civès ipsi cogantur aliis subjecti esse et servire. Alter est, ut ipsi cives possint etiam aliis, cum suo et ipsorum commodo imperare. Tertius est, ut possint imperare et dominari iis, qui digni sunt, ut ipsis serviant. Την τε των πολεμικων ασκησιν ου τουτου χαριν δει μελεταν, ινα καταδουλωσωνται τους αναξιους· Neque exercitatio rerum bellicarum ob id est meditanda, ut in servitutem adigant immerentes.

CAPUT XV.

Quare disciplina civium ad pacem potiùs quàm ad bellum est dirigenda?

QUIA pax magis convenit ultimo fini civitatis, hoc est, Beatitudini, quàm bellum: τελος γαρ, ειρηνη μεν πολεμου, σχολη δ' ασχολιας· Finis belli pax, negotii otium. Continet enim pax in se omnis generis bona: bellum verò infinita secum adfert mala: quæ beatitudini planè adversantur. Prætereà bellum non habet rationem finis, sicut pax. Nam bellum propter pacem, quemadmodum labores et negotia propter otium suscipiuntur: δει γαρ πολλα των αναγκαιων ὑπαρχειν, ὁπως εξῃ σχολαζειν· Oportet enim nobis multa negotia existere, ut liceat in otio esse: quemadmodum Aristoteles, in lib. 10. Ethic. c. 7. scribit: ασχολουμεθα, ἱνα σχολαζωμεν· και πολεμουμεν, ἱνα ειρηνην αγωμεν. Επει δε το αυτο τελος ειναι φαινεται.

Quæ est hoc loco notanda virtutum distinctio?

Virtutes sunt duplices quædam sunt της σχολης και ειρηνης, otii et pacis: quædam της ασχολιας και πολεμου, negotii et belli. Pacis virtutes dicuntur, quarum actiones et usus maximè in pace conspiciuntur: et ad quas excolendas et exercendas otium et pax requiritur: veluti sunt Temperantia, Justitia, Liberalitas, Modestia, Veritas, et pleræque aliæ virtutes morales. Præptereà virtutes intellectuales, quas Aristoteles hoc loco intelligit per vocabulum Philosophia.

Quæ dicuntur esse virtutes belli?

Οἱ δε μη δυναμενοι κινδυνευειν ανδρειως.

Quarum actiones maximè belli tempore sunt conspicuæ et necessariæ: veluti in defendenda patria, religione, libertate: in propulsandis hostibus: in amplificando imperio: cujusmodi sunt, Fortitudo, Animi magnitudo, Constantia, Tolerantia, Perseverantia in perferendis laboribus, doloribus et periculis, honestatis, et publicæ utilitatis gratiâ. Κατα γαρ την παροιμιαν, ου σχολη δουλοις· Nam ut est in proverbio: nullum otium servis, qui verò non possunt fortiter pericula subire, servi sunt invadentium.

OBSERVATIO.

Notandum est hoc loco, istas virtutes pacis et belli nominari: non quòd nullus earum usus sit aliis temporibus: sed quòd earum vis et necessitas maximè illis temporibus est conspicua. Alioquin etiam pacis tempore requiritur fortitudo et animi magnitudo atque constantia in administratione Reipub. quando vel de publicis negotiis est deliberandum, aut de civilibus controversiis judicandum et pronunciandum. Sic etiam in bello opus est justitiâ. Nam bellum quod injustè est susceptum, nunquam potest feliciter administrari. Eodem modo etiam temperantia in bello est necessaria, non solum in defectu commeatus, et aliarum rerum necessariarum: verùm etiam ne victores abutantur victoriâ ad suam libidinem.

Quare temperantia præcipuè dicitur esse virtus pacis?

Quia temperantia maximè necessaria est in pace. Homines enim plerumque pace, propter otium et rerum affluentiam, quam pax secum adfert, abutuntur ad luxum, ad voluptatem, et ad alia quævis flagitia: unde etiam redduntur securi, luxuriosi, et petulantes: atque his modis sibiipsis tandem interitum accersunt, quemadmodum dicitur, κορος υϐριν τικτειν, ἡ δε υϐρις τιμωριαν. Et Catullus, otium reges prius, et beatas perdidit urbes. Et Ovidius, Luxuriant animi rebus plerumque secundis.

Πολλης ουν δει δικαιοσυνης και σωφροσυνης.

Quid ex his infert Aristotelēs?

Duo πορισματα. Quorum unum est: Legislatoris officium esse, ut in constituenda civitate leges suas eo accommodet, ne cives sui utroque tempore, pacis nimirum et belli, possint recte uti: ut hac ratione, quantum quidem fieri potest, utroque tempore sint felices et beati. Ratio sumitur ab absurdo. Etenim si turpe est, non posse secundâ fortunâ recte uti, quocunque tandem tempore fuerit: multo turpius est, non posse eâ recte uti in pace et otio: sed belli tempore cupere quidem videri fortes et cordatos: pacis vero tempore esse ignavos, et voluptatum mancipia.

Διοτι μεν ουν την μελλουσαν ευδαιμονησειν.

Quod est alterum πορισμα?

Continet conclusionem hujus loci. Ergò felicitas civitatis non sola bellica virtute, et iis bonis, quæ bello acquiruntur, est æstimanda: sicut Lacedæmonii fecerunt: sed potius pacis et otii virtutibus: quæ ut sunt præstantiores, ita plura quoque majora et veriora civitati adferunt commoda: quàm ea quæ per bellum acquiruntur: et propterea etiam magis expetenda.

Quæ sunt circa disciplinam et institutionem hominis consideranda?

Quia homo constat ex animo et corpore: in animo autem sunt duo: Ratio et appetitus: ideò omnium istorum in institutione hominis habenda est ratio. Ενδεχεται γαρ διημαρτηκεναι και τον λογον της βελ-

Πως δε και δια τινων εσται.

λιστης ὑποθεσεως· και δια των εθων ὁμοιως ἠχθαι· Contingit n. rationem aberrare ab optima suppositione, et similes per mores duci.

Unde faciendum est initium?

Quemadmodum natura in generatione rerum ab imperfectis facit initium, et tendit ad perfectum, tanquam finem: ita etiam in institutione hominum hic ordo est servandus: ut priùs corporis mores informentur, quàm animus: et appetitus priùs, quàm ratio. Atque hunc ordinem ipsam naturam quoqúe in hominis generatione servare: non solùm authoritate et testimonio Physicorum et Medicorum: verùm etiam ab ipsa experientia demonstrari potest: videlicet το σωμα προτερον τη γενεσει της ψυχης. corpus in utero materno priùs formari, antequam accipiat animam: et appetitus atque affectuum signa prius in infantibus recens natis apparere, quam rationem, λογισμος δε και ὁ νους προιουσιν εγγινεσθαι πεφυκεν· At ratio et mens, procedente ætate, in illis fieri natæ sunt, cujus indicia serò admodum conspiciuntur. Hinc ergò sic argumentatur: Quod tempore prius est, illud etiam prius in homine est informandum. Sed corpus prius est animo: et appetitus prior est ratione. Ergò corpus priùs est informandum moribus, antequam animus sit virtutibus imbuendus. Hoc ipsum etiam in fine Ethicorum declàrat exemplo simili, in quo animum comparat agro, qui, antequam semen injiciatur, prius diligenti culturâ præparandus est: ut ad excipiendum semen efficiatur idoneus.

Πορισμα:

Ergò corporis cultura, animi culturam debet præcedere, et animi causâ suscipienda est: appetitus autem curam mentis causâ suscipere oportet, eumque assuefacere, ut discat rationi obedire. Siquidem animus respectu corporis habet rationem finis: quemadmodum etiam mens, respectu appetitûs. Etenim corpus homini datum est, primùm ut animus habeat quoddam quasi domicilium, in

quo habitet. Deindè ut habeat instrumenta, per quæ possit vires suas exercere. Eodem modo etiam appetitus et affectus homini tributi sunt: ut Ratio et ὁ νους habeat eos tanquam subditos et satellites, quibus debet imperare, eosque regere, et in officio continere.

CAPUT XVI.

Dixisti in præcedente capite, primam curam institutionis hominis circa corpus esse suscipiendam: quæ sunt igitur Politico et Legumlatori hîc consideranda?

DUO circa corporis curam, quod ad institutionem hominis attinet, sunt politico consideranda: nimirum hominis Generatio et Educatio.

Δει δ' αποβλεποντα νομοθετειν ταυτην.

Circa Generationem quid primo loco considerandum?

Conjugium, sive legitima conjunctio earum personarum: per quas corpora hominum, hoc est, ipsi homines, qui cives futuri sunt, debent generari et procreari.

Quamobrem?

Quia permultum refert ad sanitatem, ad robur et vires, denique ad formam corporis: quibusnam ex parentibus aliquis procreatus sit. Plerunque enim ex sanis, robustis, et venustis, etiam procreantur sana, robusta, et venusta corpora: quemadmodum etiam ex contrario videre licet: ex morbosis, pusillis, et deformibus, procreari morbosa, pusilla et deformia corpora. Neque enim pygmæus aliquis, aut deformis Mopsus potest Gigantem, et formosam Alexin ex se procreare. Atque huc etiam referri potest id, quod legitur apud Horatium in lib. 4. Car. Oda quarta: Fortes creantur fortibus, et bonis: Est in juvencis, est in equis patrum virtus: Nec imbellem feroces progenerant aquilæ columbam.

Σχεδον δη παντα συμβαινει.

Quæ sunt autem politico circa conjugium consideranda?

Circa conjugium monet Aristoteles sex circum-

stantias considerandas esse Politico seu Legumlatori, qui civitatem constituere velit. Prima est de ætate eorum, qui matrimonium contrahere volunt. De qua hoc præceptum tradit Aristoteles: Qui contrahere volunt matrimonium, ambo debent et ætate et viribus ad procreandam sobolem esse idonei, hoc est, ut non nimium sint vel juvenes, vel senes, vel inter se dispares.

Quomodo confirmatur hoc præceptum?

A contrario, hoc est, ab enumeratione incommodorum, quæ ex ejusmodi vel intempestivo, vel dispari conjugio consequuntur. Primùm enim inter dispares facilè oriuntur lites et discordiæ. Undè Cleobuli præceptum, γαμει ἐκ των ὁμοιων: æqualem tibi quære uxorem, apud Laërt. in vit. ejus. Deindè si sunt nimium vel juvenes, vel senes: aut nullos, aut infirmos generant liberos. ἐκ γαρ πασι ζωοις ἀτελη τα των νεων εγγονα, και θηλυτοκα μαλλον και μικρα την μορφην. In cunctis enim animalibus juveniles partus imperfecti sunt, et fœminæ crebrius quàm mares, et parva corporis forma gignuntur, et paulo pòst: τα των νεωτερων εκγονα ἀτελη γινεται και τοις σωμασι ταις διανοιαις. juniorum fœtus imperfecti sunt et corporibus et intellectu. Prætereà si sunt nimium juvenes, non possunt habere apud liberos magnam authoritatem: neque possunt illis sine jactura rei suæ familiaris, magnam dare dotem: cùm ipsi adhuc propter ætatem suis bonis diu indigeant. Sæpè etiam fœminæ in partu moriuntur, virorum verò corpora enervantur. Quòd si verò sunt admodum senes, non possunt liberos suos expectare, donec aut ad justam ætatem pervenerint, aut nepotes eorum viderint.

Quæ igitur ætas apta est conjugio, et procreationi liberorum?

Ἐπει γαρ ωρισται τελος της γεννησεως.

Aristoteles hoc loco et lib. 5. de hist. an. c. 14. viris præscribit tempus ab anno ætatis trigesimo septimo, usque ad annum septuagesimum. Mulieribus verò ab anno decimo octavo, usque ad annum

quinquagesimum. Plato verò in lib. 5. de Repub. aliter istos annos definit. Nam viris præscribit annum trigesimum, usque ad quinquagesimum quintum: Mulieribus annum vigesimum usque ad quadragesimum. Hesiodus lib. 2. εϱγ. v. 314. 316. jubet virum contrahere matrimonium circa annum trigesimum: mulierem verò circa annum decimum quintum.

Quomodo hanc sententiam confirmat?

Aristoteles ait hanc suam sententiam de tempore contrahendi matrimonii, consentire cum opinione poetarum: qui ætates hominum numero septenario distinxerunt: circa hoc enim tempus, plerunque in corporibus hominum: quoad valetudinem, vigorem, et robur corporis attinet, conspicitur aliqua mutatio. Videtur autem intelligere Solonem: cujus versus de hac re extant apud Clementem Alexandrinum: in quibus ætas hominum distinguitur in decem septenarios: nimirum usque ad annum LXX. Et quid singulis illis septenariis propriè conveniat, ostenditur. Versus hi sunt ex 6. lib. strom.

Infans septenos postquam compleverit annos
  Producti dentes vallus ut oris erunt.
Postquam septem alios Deus huic concesserit annos,
  Fit pubes semenque huic genitale datur.
Verùm septem alios postquam compleverit annos,
  Densa seges barbæ contegit orta, genas.
Additus est illi cum septenarius alter,
  Vir tum virtutis fortia signa dabit.
Sed monet adveniens uxorem ducere quintus,
  Posteritatis et hunc tunc meminisse suæ.
Solers ingenium, firma et prudentia sexto est,
  Stulta nec hoc deinceps facta videre juvat.
Septimus accessit cum septenarius, atque
  Octavus lingua pollet et ingenio.
Nono aliquid possunt, sed jam minuuntur in illo
  Vires, quìs peragunt fortia facta viri.
Sed decimus cum alios septem perfecerit annos,
  Maturam mortem tristia fata debunt.

Quæ est altera circumstantia?

Ποιον δε τινων των σωματων υπαϱχοντων.

Est de habitu, hoc est, de constitutione corporis eorum: qui matrimonium contrahere cupiunt.

Quod habes hic præceptum?

Qui matrimonium contrahere cupiunt, non debent esse valetudinarii, et θεραπευτικοι, hoc est, qui semper opus habent medicinâ et curatione corporis: sed debent esse sano et vegeto corporis habitu præditi: ita ut possint non solùm labores et molestias, quas rei domesticæ administratio in se habet, facilè perferre et expedire: verùm etiam idonei esse ad publica et civilia negotia, quæ illis à civitàte imponuntur et demandantur peragenda.

Quæ sunt reliquæ circumstantiæ, quæ circa conjugium sunt observandæ?

Περι δε αποθεσεως και τροφης.

Tertia circumstantia est de tempore anni, quod accommodatum maximè sit procreandis liberis. Et quarta est de cura prægnantium, qualis esse debeat. μη ῥαθυμουσαι, μηδ᾽ ἀραιᾳ τροφῃ χρωμεναι. non sint pigrescentes, neque subtili utentes alimoniâ. καθ᾽ ἡμεραν τινα δει ποιεισθαι πορειαν προς θεων αποθεραπειαν, των ειληχοτων την περι της γενεσεως τιμην. την μεν τοι διανοιαν τὐναντιον των σωματων ῥαθυμοτερως ἁρμοττει διαγειν. Singulis diebus iter quoddam facere debent ad Deorum sacra mulieres, quæ sortitæ sunt concipiendi honorem. Mens tamen contra quam corpus, in tranquillitate est traducenda. Sed hæ duæ circumstantiæ magis ad Medicum, quàm ad Politicum pertinent.

Quæ est quinta circumstantia?

Quinta circumstantia est de barbara et crudeli quarundam nationum et gentium consuetudine: quæ suos infantes non omnes alebant: sed tantùm eos, quos elegantiores et membris perfectiores esse videbant: et de quibus ex Physiognomia, judicium fieri poterat, eos præclara indole esse præditos: ac proinde futuros aliquando utiles Reipub. Cives. Cæteros autem exponebant vel circa flumina, vel juxta vias: ut à prætereuntibus tollerentur et alerentur. De qua infantum expositione, multæ apud Ethnicos Scriptores reperiuntur fabulæ: ut de Romulo et Remo: de Œdipo filio Laii Regis Theba-

rum: de Paride filio Priami Regis Phrygiæ: de Telepho filio Herculis: et de pluribus aliis. Sed barbara hæc consuetudo non solum naturæ repugnat, cujus instinctu unumquodque animal suam prolem alit: verum etiam in jure civili sub gravi pœna est prohibita: et lex sancita, quâ quisque suos liberos alere jubetur. l. 4. ff. 25. de agnoscendis et alendis liberis. Necare videtur non tantum is qui partum præfocat, sed et is qui abjicit, et qui alimoniam denegat, et is qui locis publicis misericordiæ causâ exponit, quam ipse non habet. Vid. l. 2. Cod. de infantibus expos: Unusquisque sobolem suam nutriat, quod si exponendum putaverit, animadversioni quæ constituta est, subjacebit.

Quæ est sexta circumstantia hujus loci?

Sexta circumstantia est de contrario Conjugii, hoc est, de adulterio: quod omninò turpe et fugiendum esse præcipit: quia per illud violatur fides matrimonii, quam conjuges sibi mutuò utrinque promiserunt. Olim adulteris verberatis et tonsis nares abscindebantur: Nuntii vero et impii hujusce facinoris administri, verberati et tonsi in perpetuum relegabantur. l. 37. C. ad Leg. Jul. de adulteriis et stupro.

Περι δε της προς αλλην η προς αλλα,

CAPUT XVII.

Quid in hoc capite agitur?

ARISTOTELES postquàm in præcedente capite explicasset primum caput, quod circa corporis curam est considerandum, nempè de Generatione hominis: jam accedit ad alterum caput, quod est de ejus educatione. Hanc autem distinguit secundùm annos sive ætates hominis: de quibus etiam in præcedente capite mentio facta est. Et in hoc capite agit de primo septenariò, seu de primis septem annis, quos distinguit in infantiam, quæ est duorum primorum annorum: et in pueritia, quæ se extendit ad finem septimi anni: et rursum in

Γενομενων δε των τεκνων.

duas partes distribuitur: in primam scilicet pueritia, quæ est trium sequentium annorum, tertii scilicet, quarti et quinti: in extremam pueritiam, quæ est sexti et septimi anni.

Quæ sunt observanda duobus primis annis, circa infantum educationem?

Quatuor. Primum pertinet πρὸς τὴν τροφὴν, ad nutrimentum, quo infantes sunt alendi: de quo duo traduntur præcepta. Primùm, Infantes alendi sunt lacte materno: aut si aliud haberi non potest, alterius alicujus nutricis, quæ ætate et valetudine matri maximè accedit. Ratio præcepti est triplex, Prima, quia lac corpori infantis maximè est accommodatum: simile enim est ei alimento, quo fætus in utero materno fuit nutritus. Altera ratio sumitur ab exemplo reliquorum animalium: quæ suos fœtus in lucem editos, etiam aliquandiu lacte nutriunt: donec sibi ipsis cibum quærere possunt. Item ab exemplo eorum populorum, qui plurimo lacte et lacticiniis utuntur, quorum corpora etiam sunt robustiora et elegantiora, et ad perferendos labores aptiora. Tertia ratio ab effectu. Quia lac, si benè coctum in ventriculo fuerit, facilè in sanguinem convertitur, bonos humores gignit, corpus impinguat, et robustum beneque coloratum efficit.

Alterum præceptum est. Nutrimentum infantum debet esse ἄοινον, id est, vini expers: quibus verbis videtur velle monere matres et nutrices, dum lactant infantes, non debere copioso vino uti: quoniam indè lac quoque calidius redditur: undè varia in illis generantur νοσήματα, id est, morbi: præsertim cum ipsi alioquin calore abundent.

Quod est alterum præceptum circa educationem infantum observandum?

Ἔτι δὴ καὶ κινήσεις ὅσας ἐνδέχεται.

Alterum præceptum pertinet πρὸς τὴν κίνησιν, ad motum corporis. Corpora infantum moderato motu sunt exercenda, ut calor nativus in illis excitetur: et vitiosi humores, quibus plerumque abundant, dis-

sipentur. Motus autem ille fit, partim cum agitantur in cunis: partim dum gestantur in ulnis.

Quod est tertium præceptum?

Tertium præceptum pertinet ad considerandam membrorum in tenera illa ætate rectitudinem. Cavenda est διαστροφη, distortio membrorum, per quædam ligamenta aut instrumenta: quæ à Varrone vocantur Serperastra: ne eorum corpora fiant gibbosa: aut crura vel brachia, quorum ossa sunt adhuc mollia et quasi cerea, incurventur aut distorqueantur.

Quod est quartum præceptum?

Quartum præceptum pertinet ad aërem externum, ambientem corpora nostra. Assuefaciendi etiam sunt infantes, ut, facilè possint perferre frigus. Primùm quia hoc conducit ad valetudinem: nam externum frigus retinet calorem intrà corpus, ne dissipetur: et hoc modo concoctio ciborum fiat melior. Conducit etiam hoc ad insequentem ætatem: ut postulante necessitate, non ita facilè à frigore corpora eorum lædantur. Confirmatur hoc ab exemplo et consuetudine quarundam gentium, quæ propter hanc causam recens natos solent immergere in aquam frigidam: aut admodum tenui involvere panno, quod faciunt Galli: ut frigus tolerare assuescant. Παντα γαρ ὁσα δυνατον εθιζειν. ευθυς αρχομενων βελτιον μεν εθιζειν· εκ προσαγωγης δ᾽ εθιζειν· Ad cuncta n. ad quæ possibile est, statim ab initio melius est assuescere.

Συμφερει δε ευθυς και προς.

Quæ sunt observanda circa educationem puerorum, in tribus prioribus annis pueritiæ: Tertio, nimirum, Quarto et Quinto?

De his tribus prioribus annis pueritiæ Aristoteles septem tradit præcepta esse abservanda.

Την δε εχομενην ταυτης ἁλικιαν.

Primùm. Pueri antè sextum annum, non sunt ducendi ad publicas scholas, neque in aliis seriis laboribus excercendi: quia ingenii vires sunt adhuc perexiguæ: et per labores incrementum corporis posset nonnihil impediri.

Alterum. Sunt tamen pueris quædam exercitia corporis præscribenda, ne otio et ignaviâ torpescant. Exercitia autem illa non debent esse valdè laboriosa, quibus corpora possent nimium fatigari: sed debent esse quasi simulachra et adumbrationes honestarum actionum: quæ illis aliquando, ubi adoleverunt, seriò erunt præstandæ: ita ut quasi ludendo discant seria negotia tractare. Τας παιδιας ειναι δει τας πολλας μιμησεις των ὑστερον σπουδαζομενων.

Και περι λογων δε και μυθων.

Tertium. Puerorum tenelli animi sermonibus quibusdam et fabulis ludicris quidem, sed tamen de rebus honestis oblectandi sunt: quorum recordatio possit in futura ætate eos de rebus gravioribus utiliter commonefacere.

Ἐπισκεπτεο δε τοις παιδονομοις.

Quartum. Pueris non omnino prohibendi sunt ploratus, clamores, et vehementiores vocis contentiones: συμφερουσι γαρ προς αυξησιν· γινεται γαρ τροπον τινα γυμνασιαν τοις σωμασιν· Nam ista sunt quædam quasi exercitia corporis: per quæ nervi distenduntur, et vires corporis aliquo modo augentur et corroborantur. Ἡ γαρ του πνευματος καθεξις, ποιει την ισχυν τοις πονουσιν· ὁ συμβαινει και τοις παιδιοις διατεινομενοις· Spiritus enim compressio facit robur laborantibus, quod contingit etiam pueris ploratum cohibentibus.

Quintum. Cavendum est, ne pueri simul versentur cum servis, mercenariis, et similibus abjectis hominibus: qui plerunque tantùm inter se nugantur, et turpia loquuntur atque agunt.

Sextum. Cavendum est, ne pueri turpes picturas, tabulas, aut statuas videant: per quas eorum animi possunt excitari ad turpes cogitationes et imaginationes. De qua re etiam Juvenalis Satyra 14. v. 44. nos admonet: Nil inquit, dictu fœdum, visuque hæc limina tangat, Intrà quæ puer est. Idem quoque cavendum circa lectionem: ne legant impudicos poetas aut obscœnas fabulas et historias: imò propter hanc causam etiam Plato poëtas è sua Republicâ ejiciendos esse censuit. Omnis etiam ver-

horum obscœnitas est e civitate exterminanda. Ex τε γαρ ευχερως λεγειν ὁτιουν των αισχρων γινεται και το ποιειν συνεγγυς. Ex turpiter enim loquendi licentia sequitur et turpiter facere.

Septimum. Eandem ob causam non permittendum est pueris, ut sint spectatores Comœdiarum, in quibus personæ inhonestæ de amoribus aut aliis lasciviis colloquentes introducuntur: aut turpes gestus repræsentantur. Talibus enim rebus facile possunt teneri animi puerorum ita infici et corrumpi, ut eorum memoriâ vix posteà possit illis eximi. Nam naturaliter sic comparatum est; ut prima semper magis afficiant animos hominum, et diutiùs inhæreant, quàm posteriora: παντα γαρ στεργομεν τα πρωτα μαλλον· Omnium enim prima nos magis delectant, quemadmodum recte Horatius lib. 1. ep. 2. ait:

Τους δε νεωτερους ουτ' ιαμβων.

> Quo semel est imbuta recens servabit odorem
> Testa diu.

Quid de duobus postremis annis pueritiæ Aristoteles præcipit?

Duobus postremis annis pueritiæ, anno nimirum quinto et sexto, usque ad septimum, pueri debent incipere esse spectatores seu prægustatores eorum studiorum et exercitiorum: in quibus perfectè cognoscendis, ipsi progressu temporis et ætatis, diligentius se debent exercere, et vitam suam consumere: ut ejusmodi aspectu et gustu, eorum animi ad illorum studiorum amorem magis accendantur et inflammentur. Πασα γαρ τεχνη και παιδεια, το προσλειπον βουλεται της φυσεως αναπληρουν· Omnis enim ars et disciplina implere vult id, quod deest naturæ.

Διελθοντων δε των πεντε ἐτων.

LIBER OCTAVUS.

Quod est argumentum, et quæ sunt partes Octavi Libri?

HIC Liber dependet ex fine præcedentis Libri: continuat enim institutam tractationem de ratione educandi et instituendi eos, qui aliquando boni et utiles cives in Repub. evadere debent: et quemadmodum in fine præcedentis libri egit περι της των παιδων αγωγης, de puerorum educatione: ita jam progreditur προς την νεων παιδειαν, ad disciplinam et institutionem adolescentum, ab anno septimo, usque ad annum vigesimum primum. Sunt autem tres partes hujus Libri: *Prima* continetur tribus primis capitibus, in quibus explicat tres quæstiones, in fine præcedentis Libri propositas. Quarum prima est, utrum Legislatori et Politico cura suscipienda sit, circa institutionem adolescentum: altera, Utrum institutio adolescentum debeat esse communis et publica: an verò privata: Tertia, quænam sint illæ artes, in quibus adolescentes sunt instituendi? *Altera* pars libri est de Gymnastica, id est, de ratione exercendorum corporum. *Tertia* pars est de Musica.

CAPUT I.

Estne Politico et legumlatori considerandum de Adolescentum institutione?

Οτι μεν ουν τω νομοθετη.

POLITICO in constituenda Repub. etiam de adolescentum educatione et disciplina elaborandum esse probat Aristoteles duabus rationibus. Prima sumitur à contrario. και γαρ εν ταις πολεσιν ὁ γινομενον τουτο, βλαπτει τας πολιτειας. Id n. neglectum in civitatibus affert Reip. detrimentum. Nam nisi adolescentes diligenter instituantur ad formam ejus Reipublicæ in qua versari debent: non poterunt

convenienter secundum leges ejus Reipublicæ vitam suam instituere. Habet enim unaquæque forma Reipublicæ οἰκεῖον ἦθος, id est, propriam quasi naturam et indolem: ad quam cives debent suos mores, actiones, totamque vitam conformare: quod nisi fiat, necesse est, formam Reipublicæ paulatim immutari et perverti. Ἀει δε το βελτιστον ἠθος, βελτιονος αιτιον πολιτειας· semper autem melior mos causa est melioris disciplinæ. Altera ratio sumitur ab exemplo simili reliquarum artium et facultatum: in quibus necesse est præcedere doctrinam et institutionem: antequam possit aliquis opus artificiosum efficere.

Quid hîc notandum?

Obiter notandum est hoc loco: Neminem debere artem aliquam profiteri aut exercere, priusquàm eam probè didicerit.

Hæc autem disciplina et institutio, debetne esse communis et eadem omnium: an vero privata et diversa singulorum?

Disciplina et institutio adolescentum in civitate, debet una, eadem, et communis omnium esse: primùm, quia unus idemque finis debet omnibus civibus; quod ad civitatis utilitatem pertinet, esse propositus. Deindè, quia communium rerum etiam communis et eadem debet esse cura. Atqui adolescentes sunt commune quoddam bonum Reipub. Ergò eorum cura et institutio debet esse communis, hoc est, communiter ad omnes pertinere. Tertiò, quia cura partis debet referri ad curam et salutem totius. Adolescentes autem sunt pars civitatis. Ergò adolescentum cura et institutio referenda est ad communem utilitatem civitatis: οὐ δε χρη νομιζειν αυτον αὑτοῦ τινα ειναι των πολιτων, ἀλλα παντας της πολεως. μοριον γαρ ἑκαστος της πολεως. ἡ δ' επιμελεια πεφυκεν ἑκαστου μοριου βλεπειν προς την του ολου επιμελειαν. non debet quisque civis se suum existimare, sed omnes civitatis: particula enim civitatis unusquisque est: cura verò singularum particularum respi-

Ἐπει δ' εν το τελος τη πολει παση.

cere nata est ad curam totius. Quartò, ab exemplo Lacedæmoniorum quorum Respub. optimè fuit constituta: quibus communis et publica adolescentum institutio placuit.

CAPUT II.

Quorsum dirigenda est omnis disciplina et institutio adolescentum?

Ἐκ τε της ἐμποδων παιδιας.

OMNIS disciplina et institutio adolescentum eò dirigenda est, ut discant ea, quæ ipsis per vitam sunt utilia, necessaria, et liberali ingenio digna: τα ἀναγκαια δει διδασκεσθαι των χρησιμων. ex utilibus necessaria sunt addiscenda: cujusmodi sunt ea quæ hominis animum pulcherrimarum rerum cognitione imbuere possunt: aut ad præclaras actiones suscipiendas et agendas excitare. Sic etiam infrà in cap. 5. præcipit: Oportet, inquit, nihil ita discere, et ad nullam rem magis assuefieri: quàm cum rectè possimus judicare: et gaudere bonis moribus et honestis actionibus. δει δηλονοτι μανθανειν, και συνεθιζεσθαι μηδεν ουτως, ὡς το κρινειν ὀρθως, και το χαιρειν τοις επιεικεσιν ηθεσι, και ταις καλαις πραξεσιν. et in fine hujus libri: δηλον οτι τουτοις ὁροις τρεις εἰς την παιδειαν· το τε μεσον, και το δυνατον και το πρεπον. Manifestum est quod hæ tres determinationes sint in doctrina faciendæ: medium, possibile, ac decens.

Quæ dicuntur artes illiberales?

Οτι μεν ουν τα ἀναγκαια δει.

Artes illiberales ab Aristotele nominantur τεχναι βαναυσαι, et definiuntur esse, Quæ liberorum hominum corpora, animumque et mentem ad usus et actiones virtutis inutilia reddunt: vocantur etiam τεχναι μισθαρνικαι, artes mercenariæ: et quia inquinant corpus, à Latinis etiam artes sordidæ appellantur: cujusmodi sunt pleræque artes Mœchanicæ, maximè verò, quas operâ suâ apud ignem et fornaces efficiunt: propter carbones et fuliginem, quibus corpora inquinantur. Aristoteles: βαναυσον δ' εργον ειναι τουτο νομιζειν, και τεχνην ταυτην και μαθησιν,

ισαι προς τας χρησεις και τας πραξεις, τας της αρετης αχρηςον απεργαζονται το σωμα των ελευθερων, η ψυχην η την διανοιαν.

Quid præterea monet observandum esse in artibus liberalibus discendis?

Monet Aristoteles in artibus liberalibus discendis modum servandum esse: εςι δε και των ελευθεριων επιςημων μεχρι μεν τινος ενιων μετεχειν, οὐκ ἀνελευθερον· προσεδρευειν δε λιαν προς το εντελες, ενοχον ταις βλαβαις. sunt quædam ex liberalibus scientiis quibus aliquousque incumbere honestum est: nimium verò illis affixum esse usque ad Perfectionem, nocumentis obnoxios facit: quia perfecta et absoluta alicujus artis cognitio vix in hac vita potest comparari. Ετι δε καὶ των ελευθεριων.

Habesne simile præceptum apud Ciceronem?

Cicero in lib. 1. Offic. ait, duo vitia in artibus discendis cavenda esse. Unum, ne incognita pro cognitis habeamus: iisque temerè assentiamur. Alterum: ne nimis magnum studium, multamque operam in res obscuras atque difficiles, easdemque non necessarias conferamus.

Objectio. Atqui sæpenumerò etiam hæ sordidæ artes suam habent, in civili vita, necessariam utilitatem?

Responsio. Verum quidem est: Homines in quotidiana vita illis artibus earumque operibus, non posse omninò carere. Sed hoc loco videndum est. τινος χαριν, cujus gratiâ quispiam illas discit aut exercet. Nam si id facit suiipsius, aut amicorum, aut virtutis alicujus exercendæ gratiâ: non est hoc illiberale aut sordidum. Si verò facit propter aliam causam, videlicet ut indè quæstum ab aliis accipiat: Mercenarium quiddam hoc est, et servile.

CAPUT III.

Quæ sunt illæ artes, in quibus veteres solebant suos adolescentes primum instituere et exercere?

QUATUOR, Grammatica, Gymnastica, Musica, et Graphica, id est, Pictoria, seu ars pingendi. Ετι δε τετταρα σχεδον α παιδευειν.

Quare in istis potissimùm artibus suos adolescentes voluerunt instituere?

Quoniam, cum vita hominum distributa sit in duo præcipuè tempora, quemadmodum suprà dictum fuit: nimirum in tempus otii et pacis: et in tempus negotii et belli: in utraque vita harum artium magnus est usus. Unde apud Terent. in Eunucho, act. 3. sc. 2. Parmeno volens commendare suum Eunuchum, tanquam hominem solertem, harum artium facit mentionem: sic eum alloquitur: Fac periculum in literis: fac in palæstra: fac in Musicis: quæ liberum scire adolescentem, æquum est.

Quare in utraque vita opus est aliquâ arte?

Primùm, ut homo sciat ὀρθως σχολαζειν, rectè otio et pace uti et frui: siquidem, ut in proverbio dicitur, Otia dant vitia: et Ovidius ait: lib. 2. de art. am. v. 437. Luxuriant animi rebus plerunque secundis. Deindè ut etiam possit καλως ἀσχολειν, rectè negotiis et circa actiones versari: quoniam circa illas plurimis modis possunt homines errare et peccare. Undè rectè Cicer. pro Plancio dixit: Ita vivendum esse, ut sciamus, nobis non solùm negotii, verum etiam otii rationem reddendam esse.

Distingue igitur has quatuor artes juxtà hæc duo tempora?

Musica, teste Homero, inservit otió et hilaritati. Aristoteles: οἱ εξ ἀρχης εταξιν εν παιδειᾳ την μυσικην φυσιν ἀυτην ζητειν, μη μονον ἀσχολειν ὀρθως ἀλλα και σχολαζειν δυνασθαι καλως. Veteres inter disciplinas Musicam collocaverunt, ex eo quod natura quærit non solùm in negotio rectè, verùm etiam in otio laudabiliter posse versari. Per eam enim animi post labores, honestâ voluptate recreantur: quæ recreatio etiam homini necessaria est, et propter se expetenda: siquidem propter eam etiam homini à *Deo* tributus est somnus, et concessa quies. Reliquæ autem tres artes ad negotia et labores necessariæ sunt: et vel referuntur ad animi culturam, ut Gram-

matica, cujus cognitio necessaria est ad omnes alias disciplinas cognoscendas, item Graphica, quæ utilissima est ad judicandum de quibuslibet artificum operibus: utrum secundum suam proportionem rectè sint facta: vel referuntur ad corpus :- ut Gymnastica, quæ utilis est ad exercitia corporis: quorum permagnus est usus ad tuendam valetudinem, ad confirmandum robur et vires corporis, ad actiones fortitudinis melius præstandas. Sed de harum artium utilitatibus, posteà sigillatim quoque dicendum erit.

Dixisti Musicam inservire otio: quare otium concessum est hominibus?

Propter necessitatem naturæ, quæ non potest continuos labores perferre: sed requirit aliquam inter spirationem et recreationem, per quam possit vires laboribus fractas et defessas recolligere: ὁ γαρ πονων δειται της ἀναπαυσεως, ἡ δε παιδια χαριν ἀναπαυσεως ἐϛι. nam qui laborat indiget relaxatione: et relaxationis gratiâ est jocus: quemadmodum dicitur: Quod caret alternâ requie, durabile non est: Hæc reparat vires membraque fessa levat. Ovid. lib. epist. Heroid. ep. 4. v. 89, 90.

Quale otium hoc loco Aristoteles intelligit?

Non intelligitur hoc loco iners et ignavum, atque turpe illud otium, quod nugando et ludendo à plerisque traducitur: sed liberale et honestum otium, quod non minus suas in se habet utilitates in hac civili vita, quàm ipsum Negotium. Quemadmodum etiam per την ασχολιαν, non solùm intelligitur vita laboriosa: qualis est agricolarum, opificum, mercenariorum et similium, qui assiduis laboribus corporis fatigantur: sed etiam vita politica, quæ in civilium negotiorum et Reipub. administratione versatur.

Quotuplex igitur est otium?

Quemadmodum vita alia est Theorica, quæ in contemplatione et cognitione rerum versatur: alia Practica, quæ in actionibus civilibus est occupata:

Ita etiam duplex est otium: unum Practicum, alterum Theoricum.

Quid est Practicum otium?

Practicum otium est cessatio à laboribus corporis ad reparandas ejus vires laboribus fractas et defatigatas, ut homo posteà alacrior ad labores redire possit. Quæ cessatio nominatur ἀναπαυσις, quies, seu requies: estque non solùm homini, sed etiam omni animali necessaria: quemadmodum paulò ante àdictum fuit.

Quid est otium Theoricum?

Otium Theoricum, est quædam remissio et conversio animi, à seria contemplatione rerum difficilium et abstrusarum, ad cogitationem et meditationem rerum jucundarum: per quas animus nonnihil recreatur, ut posteà rursum eò faciliùs majora et graviora contemplari possit. ανεσις γαρ ἡ τοιαυτη κινησις της ψυχης, και δια την ἡδονην ἀναπαυσις. nam relaxatio est hujusmodi motus animi, et requies per voluptatem.

Quare expetendum est otium?

Εἰ γαρ αμφω μεν δειν μαλλον. Otium neque propter se est expetendum, quia non habet rationem finis: neque etiam propter ludum, quemadmodum à plerisque fieri solet: quia etiam ludus non habet rationem finis. Nec enim, ut Cic. lib. 1. Offic. inquit, ad ludum et jocum à natura facti sumus: sed potius ad severitatem, et ad quædam studia graviora atque majora. Sed expetendum est otium propter negotium, hoc est, ut post otium alacriores reddamur ad perferendos labores.

Quomodò utendum est otio?

Tempestivè et moderatè, tanquam pharmaco contrà molestias, quas ex laboribus percepimus. το γαρ ἀσχολειν συμβαινει μετα πονυ, και συντονιας· δια τυτο δει παιδιας εισαγεσθαι, καιροφυλακτυντας την χρησιν· ὡς προσαγοντας φαρμακειας χαριν. negotia enim cum labore sunt et conatu: et propterea oportet jocum adhibere, qui tanquam medicinam eo tempore afferat.

Dixisti Musicæ usum esse tempore otii: reliquarum vero trium artium usum esse tempore Negotii: Dic igitur de Grammatica, quam habet utilitatem in vita civili?

Aristoteles hoc loco quatuor commemorat utilitates Grammaticæ. Prima est, quòd Grammatica, h. e. cognitio literarum, et facultas legendi atque scribendi utilis est προς χρηματισμον, id est, ad rationes pecuniarias et quæstuarias in conficiendis tabulis acceptorum et expensorum: quæ necessariæ sunt mercatoribus, numulariis et usurariis, quorum vitæ genus ad quæstum et lucrum est directum. Οτι μεν τοινυν εστι παιδεια τις.

Altera utilitas pertinet προς οἰκονομιαν, ad rem familiarem utiliter administrandam. Nam Patrifamiliâs ad plurimas res necessarium et utile est, posse legere, et scribere, quemadmodum quotidiana testatur experientia.

Tertia utilitas maxima est προς την μαθησιν, h. e. ad omnes alias artes et disciplinas tradendas, discendas, et cognoscendas: ad eas n. ipsa aditum facit, et primam quasi januam aperit: per quam ingredi oportet in arcem Palladis.

Quartò utilis etiam est Grammatica seu facultas hæc legendi et scribendi, προς πολλας πραξεις πολιτικας, ad multas actiones civiles, quæ opus habent scripturâ et consignatione: ne earum memoria citò pereat: ut in scribendis legibus, in annotandis historiis et annalibus, iisque quæ ad posteritatem sunt transmittenda: in conficiendis publicis instrumentis contractuum: in confirmandis fœderibus: in consignandis iis, quæ vel in senatu, vel in foro, et judiciis aguntur et decernuntur: in scribendis literis ad absentes: et quod maximum est in legendis sacris libris: quorum lectio utilis est, teste Apostolo, 2 Timoth. 3. v. 16. ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, et ad institutionem, quæ est in justitia: ut integer sit Dei homo, ad omne opus bonum apparatus.

Quæ est utilitas Graphicæ?

Δοκει δε και γραφικη χρησιμος.

Ἡ Γραφικη, ars pingendi seu pictoria, utilis est προς την διαγραφην των σχηματων, και εικονων, id est, ad delineandas et exprimendas rerum objectarum formas, figuras et imagines: item προς το κριναι περι των σκευων, και παντων οργανων, hoc est, ad judicandum de operibus artificum, quod ad eorum formam et figuram attinet: utrum omnes eorum partes debitâ proportione sibi mutuò correspondeant. Denique idoneum reddit contemplatorem formæ et pulchritudinis corporum: ποιει θεωρητικον τȣ περι τα σωματα καλλȣς.

Quæ est utilitas Gymnasticæ?

Gymnastica seu ars exercendorum corporum, quæ aliâs quoque palæstra nominatur: utilis est, προς την υγιειαν, ad conservandam sanitatem: quæ absque moderatis exercitiis diu conservari non potest. Deindè, Utilis est, προς την ευεξιαν, ad bonam corporis habitudinem ingenerandam. Tertiò, prodest προς την αλκην, ad robur et vires corporis augendas et confirmandas. Quartò confert προς την ανδριαν, id est, προς τα εργα της ανδριας, ad actiones fortitudinis melius præstandas.

In qua autem arte, ex prædictis artibus, pueri seu adolescentes primo sunt instituendi?

Επει δε φανερον ποτερον τοις θεσιν.

In arte Gymnastica, quæ circa corpus versatur, cujus culturam debere animi culturám præcedere, suprà in 15. cap. præcedentis libri dictum est.

Observatio.

Gymnasticæ etiam cognata est ἡ παιδοτριβικη, quæ est facultas instituendi pueros, ut aptiores et agiliores ad corporis exercitia, et actiones præstandas efficiantur. Et est species quædam Gymnasticæ, à qua differt, quòd præcipuè circa seria exercitia: Gymnastica autem circa ludicra est occupata.

Quid prætereà in hoc capite Aristoteles præcipit generatim in omnibus artibus et disciplinis tradendis aut discendis, observandum esse?

In artibus tradendis aut discendis, non præcipuè

spectandum est, quàm necessariæ aut quæstuosæ sint: sed potiùs utrum sint honestæ et liberali cognitione dignæ: etiamsi non adferant discenti magnum commodum aut lucrum. Ratio. Nam in omnibus rebus et actionibus suscipiendis, solùm spectare quæstum aut lucrum, minimè decet viros ingenuos et magno animo præditos: eos præsertim, qui aliquando ad publica officia in Republica administranda sunt adhibendi.

CAPUT IV.

Quid est Gymnastica?

ΓΥΜΝΑΣΤΙΚΗ ἐςι τεχνη, ἡ ποιαν τινα την ἑξιν τε σωματος ποιει. Gymnastica est ars, quæ habitum corporis qualitate affectum reddit: hoc est, per quam habitus corporis corroboratur, et ad labores atque exercitia præparatur.

Quot sunt ejus species?

Tres: Una dicitur αθλητικη, Athletica, hoc est, publicis certaminibus accommodata: quæ est immoderata, dura et aspera exercendi ratio: iis athletis seu certatoribus præscripta, qui ad publica certamina, victoriæ causâ, descendere volebant. Altera species nominatur ανειμενη, quasi remissa seu languida. Tertia species est μεση, moderata: et quasi media inter duram et languidam exercitationem corporis.

Quod est Aristotelis de his tribus Gymnasticæ speciebus judicium?

Aristoteles priores duas species improbat, eò quòd partim in excessu, partim in defectu peccant: Tertiam autem, quia modum servat, admittit.

Quare athleticam exercendi corpora rationem improbat?

Primum, quia ejusmodi dura et immoderata exercitia deformant corpora: reddunt enim ea crassa, distorta, dura, callosa, lacertosa, et ut Columella lib. 7. loquitur, compactat: qualia sunt plerunque

Ετι και προς ταυτην, ὡδε τυτο.

corpora servorum, bajulorum, rusticorum, et opificum. Deindè, quia ejusmodi violenta exercitia impediunt operationem naturæ, in incremento corporum: ne possint ad justam suam magnitudinem et proceritatem crescere: ut testatur etiam Quintil. lib. 12. Tertiò, quia per talia exercitia homines feroces potiùs et immanes efficiuntur, quàm fortes et cordati, in periculis adeundis aut perferendis. Quartò, ab exemplo Lacedæmoniorum: qui licet in hoc genere exercitiorum suos adolescentes diligentissime exercebant: tamen non semper hoc illis profuit ad victoriam, quando cum aliis Græcis, quibus moderata exercitia magis placuerunt, ipsis pugnandum fuit: qui tandem eorum potentiam fregerunt, et se ab eorum dominatu liberarunt. Quintò ab exemplo Olympiorum victorum, quorum pauci reperti sunt: qui licet in adolescentia et juventute semel atque iterum celebres victores extitissent, tamen postquam ad virilem ætatem pervenissent, idem præstare non potuerunt: δια το νεȣς ασκησαντας, αφαιρεισθαι την δυναμιν ὑπο των αναγκαιων γυμνασιων propterèa quod per dura illa et violenta exercitia, corpora eorum fuissent nimium debilitata, et quasi enervata et fracta. Sextò, quia ista assidua et dura corporis circa talia exercitia fatigatio impedimento est, quò minùs intereà animus ad reliquarum virtutum actiones possit exerceri: ὁ μεν γαρ τȣ σωματος πονος εμποδιζει την διανοιαν· ὁ δε ταυτης, το σωμα. labor quidem corporis mentem impedit: mentis autem corpus.

Quare alteram speciem improbat?

Quoniam nulla aut nimis remissa et languida exercitia plurimùm nocent corporibus: propterea quòd nimio otio humores in corporibus putrescunt: undè necesse est multos tandem generari morbos. Reddunt etiam homines molles et ignavos, ut sint inutiles ad labores perferendos.

Οτι μεν ȣν χρηστον τῃ γυμναστικῃ.

Quare probat tertiam speciem?

Quia moderata exercitia plurimùm conferunt et

ad robur, et ad valetudinem corporum. Excitant n. et augent calorem nativum, juvant concoctionem et digestionem ciborum: consumunt et expellunt vitiosos humores: resistunt putredini: corpori præbent vividum calorem: et plura alia in se habent commoda, de quibus in præcedente capite etiam quædam dicta fuerunt.

Quo pacto igitur utendum est exercitiis?

Tria de hac re ab Aristotele traduntur præcepta: quorum primum pertinet ad postremos annos pueritiæ, usque ad initium pubertatis. In quibus præcipit pueris usque ad pubertatem præscribenda esse leviora exercitia: neque eos cogendos esse ad ἀναγκαιοφαγιαν, hoc est, ad nimium cibum assumendum, qualis solebat athletis præscribi: neque cogendos esse ad violentos labores, quibus corpora nimium fatigantur: quoniam hæc omnia impediunt την τε σωματος αυξησιν, id est, corporis incrementum: quod in hac maximè fieri debet.

Alterum præceptum. Tres anni post pubertatem tribuendi sunt aliis artibus et disciplinis, in quibus ingenia adolescentum sunt exercenda.

Οταν δ' ἀφ' ἡβης ετη τρια πρὸς τοις.

Tertium præceptum. Elapso triennio post pubertatem, paulatim labores illis sunt augendi, et graviora exercitia cum illis suscipienda: ad quæ etiam necesse fuerit, ut copiosiore cibo utantur, ad augendas et confirmandas vires corporis, ut quantitas cibi correspondeat exercitiis corporis.

Quare aliqui anni solis exercitiis ingenii, et non etiam simul corporis sunt tribuendi?

Quia non possunt simul et animo et corpore vehementer laborare: hi enim labores se mutuò impediunt. Labores enim corporis impediunt mentem, quò minùs possit commodè suis contemplationibus vacare. Et contrà, Labores ingenii impediunt naturales corporis operationes, in eo nutriendo et augendo: sicuti videri licet in iis, qui perpetuò libris incumbunt, quod sunt plerunque pallidi, macilenti, pituitosi, et valetudinarii. Quia spiritus ani-

males, qui debebant juvare concoctionem ciborum, impediuntur in suo munere ab animi operationibus, quæ circa alia objecta occupantur.

CAPUT V.

Quid est Musica?

MUSICA vulgò definitur, quod sit ars bene canendi. Aristoteles hoc loco eam definit à proprio ejus affectu: ἡ μουσικη εστι τεχνη, ἡ ποιαν τινα ποιει την ἑξιν της ψυχης. Musica est ars, quæ habitum animi qualitate aliquâ affectum reddit.

Quid de hac arte Aristoteles præcipuè Politico considerandum esse monet?

Περι δε μουσικης ἐνια μεν. Aristoteles statim initio capitis duo monet circa Musicam esse consideranda. Primum, τινα εχει δυναμιν, quam habeat vim et efficaciam: deindè τινος χαριν δει μετεχειν αυτης, cujus rei gratiâ eam oportet discere et scire. Utraque autem hæc quæstio potest referri ad unum caput, nempe ad finem seu usum, propter quem Musica sit discenda.

Quis est igitur ille finis seu usus, propter quem Musica est discenda?

Triplices sunt opiniones hominum de fine Musicæ. 1. Quidam enim existimant Musicam solùm propter την παιδιαν, id est, lusum, oblectationem, et voluptatem discendam atque exercendam esse. 2. Alii verò aiunt Musicam discendam et exercendam esse, δια την εν τη σχολη διαγωγην vel ut infrà in c. 7. se explicat: δια την ανεσιν, και την της συντονιας ἀναπαυσιν, hoc est, ut homines possint habere in otio honestam à gravioribus et seriis studiis intermissionem et relaxationem μετα λυπης γαρ ἡ μαθησις. nam cum labore est disciplina. 3. Alii denique sunt, qui existimant eam παιδειας χαριν, hoc est, morum conformandorum gratiâ discendam esse: quia magnam vim habet ad commorendos animos, et excitandos affectus.

Quid ad hæc Aristoteles?

Aristoteles primùm generatim respondet ad has opiniones: et ait Musicam ad omnia hæc tria esse utilem, inquiens: ἡ μουσικη ευλογως εἰς παντα ταυτα ταττεται, και φαινεται μετεχειν. Deindè verò seorsim de his tribus finibus agit: et quatenus Musica illis inserviat, ostendit.

Ποτερον παιδιας ενεκα και αναπαυσεως.

Quid igitur ad duas priores opiniones respondes?
Estne in Musica aliqua voluptas et oblectatio?

Etsi Musica non propter voluptatem præcipuè discenda aut exercenda sit: tamen eam magnam vim ad oblectandos hominum animos habere, nemo negare potest. Quod Aristoteles probat, primùm, ex communi hominum judicio et facto: qui propter hanc ipsam causam, ὡς δυναμενην ευφραινειν· solent adhibere in conviviis et in jucundis congressibus, qui animi recreandi gratiâ instituuntur et suscipiuntur. Deindè id ipsum confirmat testimonio Euripidis, qui ait Musicam pellere animi curas et tristitiam: item Musæi vetustissimi Poëtæ, qui dixit, ἡδιστον βροτοις ειναι αειδειν. Mortalibus jucundissimum esse canere. Tertiò, ab ejus effectu: quod eandem vim habeat in recreandis animis hominum post labores, quàm habet somnus et largior vini potus, ipsaque ἀναπαυσις, quies: quæ omnia sunt veluti ιατρεια της λυπης, ἡ δια των πονων, medicinæ contra molestias quæ ex laboribus solent percipi: ταυτα γαρ καθ' αὑτα μεν, ουτε των σπουδαιων, αλλ' ἡδεα και αμα παυει μεριμναν· nam hæc per se ipsa non sunt honesta, sed jucunda, et simul cessare curas faciunt. Quartò quia propter hanc ipsam causam Musica æstimatur, juvenili ætati, cui voluptas quædam et recreatio concedenda est, præcipue convenire: ut in ea potiùs adolescentes sese exerceant et oblectent: quàm in aliis inutilibus et parùm honestis lusibus.

Objectio. Atqui sunt aliqui, qui existimant Musicam propter has duas præcipuè causas discendam esse: ut vel nos canendo et ludendo oblectare: vel de aliorum cantionibus et melodiis rectiùs judicare possimus?

Ἀλλ' ισως αν δοξειεν ἡ των παιδων.

Solutio ab exemplo simili. Quemadmodum iis, qui cum voluptate cibos capere, vel de cibis benè præparatis rectè judicare cupiunt, non necesse est, ut propterea την ὀψοποιητικην, artem præparandi cibos discant: sed majore voluptate ab aliis præparatos comedunt, et de illis judicant: ita non necesse est eos, qui ex Musica voluptatem capere, aut de Musicis harmoniis judicare cupiunt, propterea artem ipsam discere.

Quomodo confirmatur hæc similitudo?

Hanc similitudinem Aristoteles primùm confirmat exemplo Jovis: qui, ut poëtæ fingunt, cum se oblectare vult, non ipse canit aut citharâ ludit: sed ad eam rem utitur operâ Apollinis. Deindè exemplo Regum Persarum et Medorum: qui etiam proprios suos habent cantores, tibicines, citharœdos, et similes alios Musicos tam vocales, quam instrumentales, ad oblectandos auditores mercede conductos. Tertio ab exemplo Lacedæmoniorum, qui licet ipsi propter disciplinæ severitatem, in qua sunt educati, Musicam non discerent: tamen dicuntur optimè potuisse judicare de suavitate et bonitate cantionum. Itaque προς ευημεριαν και διαγωγην ελευθεριον, id est, ad vitam in otio honestè et liberaliter transigendam, non necesse est nos ipsos artem Musicam discere: sed faciliùs et perfectiùs illud consequi poterimus, si alios Musicos, qui in hac arte sunt exercitati et celebres, audiverimus: και γαρ αναγκαιον βελτιον απεργαζεσθαι τους αυτο τουτο πεποιημενους εργον και τεχνην, των τοσουτον χρονον επιμελουμενων, όσον προς μαθησιν μονον· etenim necesse est melius perfici ab his qui hoc opus suum fecerunt et artem, quam ab his, qui tanto solùm tempore in eo laboraverunt, quanto ad-

discunt: præsertim cum ipsum discere το μανθανειν, non sit absque molestia et labore.

Dixisti de voluptate et jucunda conversatione, quam beneficio Musicæ homines habere possunt: Quid autem de tertio fine seu usu Musicæ Aristoteles tradit, nempè quod ea utilis sit προς την παιδειαν, id est, ad institutionem et ad informandos mores, et excitandos animos hominum, πρὸς την αρετην, και τας καλας πραξεις, ad virtutem et honestas actiones?

Hunc tertium finem et usum Musicæ Aristoteles affirmat esse τιμιωτερον, præstantiorem, quàm sint duo priores. Nam hunc voluptatis sensum homines communem habent cum quibusdam bestiis: quæ, ut Cic. in Orat. pro Archia ait, etiam dulcedine cantûs interdum flectuntur: sicut Poëtæ fabulantur de Arione, quod etiam Delphines, cum Citharâ luderet, ad eum fuerint congregati. Vide Herodot. lib. 1. et Plutarchum in convivio 7. sapientum. Notum etiam est, Elephantes et Equos sonitu tubarum incitari, et animari ad bellum atque pugnam. Hic verò tertius finis et usus Musicæ, propriè pertinet ad promovendos, et flectendos atque excitandos animos hominum ad amorem virtutis, et honestarum actionum: et ad odium vitiorum et turpium actionum. Quam ad rem Plato in libro tertio de Repub. scribit, Musicæ tantam vim esse: ut, mutatâ in aliqua civitate Musicâ, simul etiam soleant mutari mores civium, et status totius civitatis. Cui sententiæ quoque astipulatur Cicero: qui in lib. 2. de Legib. sic scribit: Assentior, inquit, Platoni: nihil tàm facilè in animos teneros atque molles influere, quàm varios canendi sonos: quorum vix dici potest, quanta sit vis in utramque partem. Namque et incitat languentes, et languefacit incitatos. Et tùm remittit animos, tùm contrahit: civitatumque multarum in Græcia hoc interfuit, antiquum vocum servare modum. Quarum mores lapsi ad mollitiem pariter sunt immutati cum can-

Περι δε τε και ωνειν της μουσικης.

tibus: aut hac dulcedine, corruptelâque depravati, ut quidam putant.

Quibus argumentis Aristoteles hoc probat?

Αλλα μην οτι γιγνομεθα δια των.

Sex. Primùm sumitur à Cantilenis et Melodiis Olympi, celebris quondam Musici: quæ existimabantur eam vim habere, ut animos audientium ενθυσιασμω, hoc est, furore quodam implerent: ὁ δε ενθυσιασμος τȣ περι την ψυχην ηθȣς παθος εϛιν· raptus verò et abstractio animæ circa mores affectio est.

Alterum sumitur ex loco comparatorum à minore: Si fabularum aut aliarum rerum gestarum nudæ narrationes absque sono et concentu musico possunt animos audientium lætitiâ vel tristitiâ aliqua afficere, aut alio aliquo modo immutare: multò magis illud potest per harmoniam Musicam effici. Sed antecedens verum esse experientiâ testatur. Ergô

Ἐπει δε συμβεβηκεν ειναι:

Tertium argumentum sumitur ab effectu artis Musicæ. Quicquid facit nos rectè judicare, et gaudere circa honestas actiones: illud ad mores formandos et ingenerandum habitum virtutis est utile. Sed Musica harmonia ista præstat. Ergô Musica ad mores formandos est accommodata.

Quartum argumentum sumitur à natura animi, ex loco similium. Similia afficiuntur à similibus. Animus autem magnam habet similitudinem cum harmonia Musica: undè etiam Pythagoræi et quidam Platonici dixerunt, την ψυχην η ειναι, η εχειν αρμονιαν· ut est apud Platonem in Phædone. Ergò Musica magnam vim habet afficiendi animos hominum.

Quintum argumentum sumitur ex differentia harmoniarum: quarum Aristoteles hoc loco quatuor videtur recensere. Quædam enim αρμονιαι sunt οδυρτικαι, querulæ et lugubres: quæ animum ad fletum, lachrymas, et mœrorem commovent: quæ propterea à Platone in lib. 3. de Repub. θρηνωδεις, lachrymosæ nominantur. Quædam nominantur χα-

λαεϱαι, και μαλακαι, resolutæ et molles: quibus leviter animus afficitur: ita ut nonnihil languescat. Quædam appellantur μεσαι, medio modo se habentes: quæ animum neque vehementer, neque etiam nimis leviter afficiunt. Quædam denique vocantur ενθυσιαςικαι, quasi furibundæ, quæ vehementiores et prope furibundos motus excitant in animis audientium.

Sextum argumentum sumitur ab efficacia orationis numerosæ in Versibus et Rhythmis poetarum, qui ad certos numeros syllabarum atque pedum sunt compositi: quorum propter solam numerorum harmoniam, ea est vis: ut etiam si solùm recitentur aut legantur: tamen possint animos hominum aliquo modo afficere et commovere: adeo ut etiam ipsi Oratores, quò magis auditores suos permoveant, soleant quosdam numeros in periodorum clausulis observare. Et ipse Aristoteles in Rhetoricis lib. 3. c. 8. laudat orationem ευϱιθμον, concinnam et numerosam.

Quomodo concludit Aristoteles hunc locum?

Quoniam igitur, inquit, tanta vis est Musicæ in commovendis, excitandis, et mutandis animis hominum: ideò nemini dubium esse potest, quin utile sit, adolescentes in ea instituere et exercere: præsertim cùm ista ætas maximè ducatur affectibus et delectetur rebus et actionibus jucundis: ista autem exercitia non solùm sint ἡδεα, jucunda: verùm etiam αϐλαϐη, innocua: imò etiam utilia ad honestam in otio αναπαυσιν, και διαγωγην, recreationem et vitæ traductionem. Εκ μεν ουν τουτων φανερον.

CAPUT VI.

Quotuplex est Musica?

MUSICA duplex est, una Theorica, altera Practica. Theorica est, quæ in sola contemplatione proportionis vocum et sonorum Musicalium: et in cognitione præceptorum artis Musicæ consistit. Ποτεϱον δε δει μανθανειν αυτης.

Practica autem est, quæ actu ipso exercetur: estque, duplex, vel Vocalis, quæ tantùm humanâ voce constat: vel Instrumentalis, per quam artificiosa instrumentorum Musicalium pulsatione, aut inflatione, suavis concentus efficitur. Hæc ab Aristotele hoc loco χειρουργικη, id est, manualis appellatur: eò quòd manuum seu digitorum agilitate ad eam opus est.

Estne utraque adolescentibus discenda et exercenda?

Adolescentes utramque Musicam non solùm quoad cognitionem præceptorum, sed etiam quoad usum et exercitationem debent discere: ut et voce canere, et instrumentis ludere possint.

Quibus rationibus Aristoteles hoc confirmat?

Αυτη μεν εν ετι τοις νηπιοις.

Tribus, quarum prima sumitur à vi et efficacia Musicæ in commovendis animis, et formandis moribus: de qua re etiam in præcedente capite dictum fuit. Est autem tale argumentum. Qua arte animi et mores adolescentum possunt excitari et informari: in ea adolescentes non solùm quoad cognitionem, sed etiam quoad usum ejus attinet, sunt exercendi. Sed ars Musica est talis, ut patet ex superioribus. Ergò.

Quæ est altera ratio?

Altera ratio sumitur απο του αδυνατου, ut inquit Aristoteles: Quia nemo potest de artis alicujus præceptis aut operibus recte judicare: nisi etiam ipse præceptorum ejus habeat perfectam cognitionem: et ipse quoque ejusdem artis operâ probè possit efficere: εν γαρ τι των αδυνατων η χαλεπων εστι, μη κοινωνησαντας των εργων, κριτας γινεσθαι σπουδαιους. Impossibile vel certè admodum difficile est, ut qui opera ipsa non tractat, peritè valeat judicare. Quia autem adolescentes aliquando debebunt de Musico concentu judicare: igitur necesse est, ut etiam ipsi eam discant, et in Musicis actionibus se exerceant.

Αμα δε και δει τους παιδας εχειν.

Quæ est tertia ratio?

Tertia ratio sumitur à circumstantia ætatis, Quibus propter ætatem concedenda sunt jucunda et

honesta exercitia, iis utile est, ut Musicam discant et exerceant. Sed pueris et adolescentibus concedenda sunt jucunda et honesta exercitia. Ergò. Minor probatur à natura puerilis ætatis, et adolescentiæ: quæ talis est, ut nunquam possit esse otiosa: propter quam causam etiam Archytas Tarentinus excogitavit crepitaculum, quo sese oblectarent, et tempus fallerent: ne quid ex vasis domesticis frangant: ὀ γαρ δυναται το νεον ἡσυχαζειν· nescit enim pueritia quiescere.

Objectio. Estne hoc βαναυσον, hòc est, sordidum et illiberale quiddam coram aliis canere: aut citharà vel alio instrumento ludere?

Solutio. Hæc et ejusmodi alia mercedis gratiâ facere, seque in his ad alterius voluntatem et voluptatem accommodare, servile et sordidum est: magisque convenit mercenariis, servis, atque mancipiis: qui ad aliorum nutum vivere coguntur: sed tamen per se non est inhonestum, talia animi recreandi gratiâ facere, si servetur decorum. Το δε πρεπον και το μη πρεπον.

In quibus consistit istud decorum?

Aristoteles enumerat quatuor circumstantias, quæ hic sunt considerandæ: Personam, Modum, Qualitatem cantionum, et Instrumenta.

Circa personam quid observandum?

Duo circa personam sunt consideranda: Ætas, et vitæ conditio. Etenim pueris et adolescentibus magis convenit in publico et aliorum præsentia canere, aut instrumentis ludere: quàm senibus aut iis, qui in aliqua dignitate sunt constituti: quorum vitæ conditio requirit, ut tueantur suam gravitatem et authoritatem, quibus magis competit, ut de adolescentum exercitiis judicent, eaque moderentur: quàm ut ipsi eadem aliis exhibeant.

Quid de altera circumstantia, quæ est τυ τροπυ id est, Modi, præcipitur?

Quemadmodum in omnibus aliis rebus et actionibus modus servandus est, quem ultrà citraque nequit consistere rectum, ut Horatius ait libro 1. Περι δε της επιτιμησεως.

serm. sat. 1. ita etiam in Musicis exercitiis modus quidam servandus est: et illis, ut Aristoteles loquitur, μεχρι τυ, aliquousque saltem opera danda, et terminus aliquis constituendus, ultra quem non est progrediendum: nimirum quatenus illa non impediunt graviora et magis necessaria studia: et quatenus excitant animos nostros, ut sint promptiores et alacriores, ad civiles actiones obeundas. Denique quatenus corpus nostrum non reddunt ignavum, molle, et inutile ad bellicas exercitationes: ut et in bello et in pace possimus utiles esse Reipub. nostra cives. Proindè satis fuerit adolescentes hanc artem eò usque discere et exercere: donec possint rectè de bonis vel vitiosis harmoniis et cantionibus Musicis judicare: et si opus fuerit, seipsos quoque ex hac arte oblectare.

Quales debent esse cantiones et Melodiæ, in quibus adolescentes sunt exercendi?

Quoniam variæ sunt differentiæ harmoniarum et Melodiarum, secundum quas etiam diversis modis animi afficiantur: quemadmodum partim in præcedente capite dictum est: partim etiam in sequenti capite explicabitur: ideò monet Aristoteles, in ejusmodi solùm cantionibus et Melodiis adolescentes exercendos esse, quæ conferunt ad conformandos bonos mores, et excitandos eorum animos, ad amorem virtutis et honestarum actionum. Prætereà non proponendas illis esse difficiles cantiones, in quibus ipsi artifices, propositis præmiis, inter se solent certare, quinam sint perfectiores et præstantiores Musici: sed satis esse, si ejusmodi cantiones ipsis proponantur, ex quibus mediocrem hujus artis cognitionem et usum comparare possint.

Qualibus instrumentis uti debent in exercitio Musico?

Δηλον δε εκ τυτων και ποιοις.

Varia sunt instrumenta Musicalia, per quæ, cùm vel inflantur, vel digitis pulsantur, Musicus concentus, ad oblectandos et commovendos animos hominum, elicitur: veluti sunt tubæ, tibiæ, fistulæ, buccinæ, litui, organa, utres, cornua: item testudines,

citharæ, chelys, lyræ, tympana, et similia alia: ex quibus Aristoteles præcipit, in iis solùm adolescentes exercendos esse, per quæ eorum animi possunt informari, et quodammodo erudiri etiam ad alias disciplinas faciliùs percipiendas.

Quare Plato in tertio libri de Republica et Aristoteles in hoc loco, improbant Tibias?

Hujus rei Aristoteles hoc loco quatuor rationes adfert. Prima ratio est: ὁτι προς την διανοιαν ὠδην εστιν ἡ παιδεια της αὐλησεως: Quia tibia non est instrumentum ἠθικον, id est, ad mores formandos accommodatum: sed magis est ὀργιαστικον, ad concitandos et inflammandos animos ad iram et furorem aptum: unde etiam olim in sacris et festis Bacchi, quæ Orgia appellabantur, celebrandis, earum frequens fuit usus.

Altera ratio est, Quia tibiarum inflatio impedit usum sermonis: nemo enim potest simul tibiam inflare, et loqui: quemadmodum qui pulsat testudinem aut citharam, potest etiam simul canere aut loqui. Ob hanc causam etiam Alcibiades, ut est apud Plutarchum in vità Alcibiadis, persuasit Atheniensibus, ut abjicerent tibias, inquiens: ὁ γαρ αὐλος επιστομαζει, και αποφραττει ἑκαστου την φωνην, και τον λογον αφαιρεται, hoc est, Tibia enim os occludit, et vocem obturat, ac sermonem auffert.

Tertia ratio sumitur à facto Græcorum, qui aliquando uno eodemque tempore simul abrogarunt plura instrumenta Musica, quæ videbantur non ad formandos mores, aut moderandos affectus, sed magis ad inflammandos et concitandos animos hominum pertinere. Veluti erant Barbari, Sambucæ, Tibiæ, Litui, Pectides, et hujus generis alia. Σχολαστικωτεροι γαρ γιγνομενοι.

Quarta ratio sumitur á facto Minervæ: de qua Poëtæ fabulantur, quòd cum aliquando tibias fortè fortuna reperisset, cœperit eas inflare: cùm autem animadvertisset, ex ista inflatione os et faciem hominis deformari, statim eas iterum abjecerit.

CAPUT VII.

Quot fuerunt Harmoniarum species apud Græcos, tempore Aristotelis maximè usitatæ et notæ?

Ἐπει δε την διαιρεσιν αποδεχομεθα.

TRES: quarum una nominabatur Phrygia, quæ erat acuta, sonora, vehemens, et promovendis animis atque excitandis affectibus accommodata: ideoque eam vocat ενθουσιαστικην, et οργιαστικην· qua eodem modo, sicut tibiis, utebantur in celebrandis Bacchi sacris, quæ Orgia appellabantur: ut paulò ante dictum fuit: utilemque essè ait προς καθαρσιν, ad expurgandum vehementiorem aliquem affectum, quo animus, tanquam morbo aliquo, laborat.

Quæ est altera species?

Altera species Harmoniæ dicebatur Lydia, quæ erat quemadmodum Phrygiæ opposita: videlicet remissa, languida, et quasi depressa: magis conveniens senibus quàm adolescentibus: utilis tamen quoque πρὸς την διαγωγην, καὶ τας πραξεις· ideoque ab Aristotele πρακτικη nominatur.

Quæ est tertia species?

Tertia species Harmoniæ vocabatur Dorica: quæ erat quasi media inter duas jam dictas Harmonias. Hanc Aristoteles dicit maximè accommodatam esse προς την παιδειαν, ad disciplinam et institutionem: ideoque eam vocat ἠθικην, moralem: et adolescentes in ea maximè exercendos esse monet: quia potest in animo excitare motus stabiles et æquabiles, convenientes temperantiæ et fortitudini: ad quas virtutes etiam adolescentes præcipuè sunt assuefaciendi.

Estne etiam Musicæ Harmoniæ aliquis usus in rebus sacris?

Φαμεν δ' ου μιας ενεκεν ωφελειας.

Harmonias Musicas etiam magnam vim magnumque usum habere in rebus sacris, ad movendos animos hominum, Aristoteles ait manifestè posse conspici εκ των ιερων μελων, οταν χρησωνται τοις εξοργιαζουσι μελεσιν ωσπερ ιατρειας, hoc est, ex cantionibus

sacris, quibus utuntur tanquam medicamentis ad expiandos et expurgandos animos hominum. Et sanè hoc non solùm ex Ethnicorum historiis, et Poëtarum hymnis, ut Orphei et Homeri: aliorumque Lyricorum Odis probari potest Gentiles solitos fuisse Musicam harmoniam adhibere in cultûs divini administratione: sed etiam ex S. Literis constat, tàm in veteri Testamento apud Judæos, quàm in novo Testamento apud Christianos, magnum fuisse ejus usum in laudando Deo, et celebrandis ejus operibus atque beneficiis: item excitandis, erigendis, et consolandis perturbatorum animis. Unde Regius Propheta David subindè Psal. 113, 117, 135, 146, 147, 148, 150, jubet Deum laudare in cithara, psalterio, tympano, organo: in chordis et cymbalis benè sonantibus. Et Apostolus Paulus in 3. cap. ad Colossenses, Christianos jubet se invicem commovere cantionibus, laudibus, et cantilenis spiritualibus.

Suntne adolescentes in omnibus his harmoniis instituendi?

Etiamsi Dorica harmonia magis àdolescentibus conveniat, ut anteà dictum est, tamen cæteræ non omninò sunt negligendæ. Sed ut in omnibus aliis exercitiis, ita etiam in Musico exercitio spectanda sunt hæc duo: το δυνατον, id est, quid per nos fieri et effici queat: et το πρεπον, id est, quid unumquemque deceat pro ratione conditionis personarum, temporis, et ætatis. Et in omnibus his præcipuè servandum est το μεσον και το μηδεν αγαν.

Objectio. Atqui non omnes homines semper in ejusmodi vehementioribus affectibus sunt constituti: proinde etiam non opus habent, ut per Musicam ab illis liberentur?

Solutio. Etiamsi non omnes homines sunt ἐν τῳ Ο γαρ πε-
παθει, hoc est, in animi perturbatione constituti, ut ρι ἐνιας
ipsis opus sit aliquâ per harmoniam Musicam re- συμβαινει
creatione: tamen omnes homines sunt παθητικοι, παθος.
hoc est, ejusmodi affectibus obnoxii: alii quidem

magis, alii verò minus: pro diversitate temperamenti, et complexionis corporum: et pro diversitate casuum fortuitorum: qui hominibus in hac vita possunt accidere, et tristitiam illis adferre: ad quam pellendam, Musica harmonia tanquam remedium potest adhiberi.

Estne quævis harmonia apud quoslibet utendum?

Επει δ' ὁ θεατης διττος, ὁ μεν ἐλευθερος.

Quoniam harmoniæ Músicæ accommodandæ sunt voluntati et affectibus auditorum: hi autem non omnes eodem modo sunt affecti: ideò hoc loco considerandum est Musico, quales habeat auditores.

Quot Aristoteles facit auditorum genera?

Duplices sunt auditores: alii πεπαιδευμενοι, eruditi et politi: alii verò φορτικοι και απαιδευτοι, id est, rudes et ineruditi: apud priores utendum est harmonia Ethica, hoc est, quæ facit ad informandos mores: qualem suprà dixit esse Doricam. Apud posteriores verò utendum est quibuscunque Melodiis seu Harmoniis, licet non sint usque adeò artificiose et exquisite elaboratæ et compositæ modò sint sonoræ, ad aures implendas accommodatæ. Ratio hujus præcepti est: Quia unicuique id videtur esse jucundum, quod ipsius ingenio et naturæ est accommodatum: ποιει δε την ἡδονην ἑκαστοις τα κατα φυσιν οἰκειον· et ut Virgilius in Bucolicis Eclog. 2. v. 65. scribit: Trahit sua quemque voluptas.

POLITICORUM FINIS.

ARISTOTELIS

Οἰκονομικῶν.

SEU

DE CURA REI FAMILIARIS.

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

Œconomica et Politica quomodo differunt?

DIFFERUNT primò τοις ὑποκειμενοις, subjectis, quod Politicæ civitas, œconomicæ domus: Deinde et forma administrandi, quæ in Republica plurium est imperantium: ut erant Romæ, Senatus, Consules, Tribuni militares, ædiles curules. Prætores urbani, Tribuni plebis, quorum omnium dicto parere necessum erat: in re familiari μοναρχια seu unius qui dicitur Paterfamilias.

Eadem quomodo conveniunt?

Communi της τεχνης genere. Cum enim artes aliæ sint ejusmodi quæ opera quidem fabricant, sed iis non utuntur, quomodo non uti novit lyrâ atque tibiis, quisquis harum fabricator est: aliæ quæ et fabricant et utuntur: hujus generis utraque et politica est et œconomica: ut enim Politicæ est civitatem ab initio constituere, et constitutâ præclarè uti: ita et Œconomicæ κτησασθαι οικον και χρησασθαι ἀυτῳ, hoc est, domum parare et paratâ uti. Ενιαι μεν εν των τεχνων.

Utra prior est harum artium?

Γενεσει seu origine prior est Œconomica quàm Πολις μεν εν.

Politica, eo quod το εργον sive opus œconomieæ quod est domus, prius opere politicæ, quod est civitas, cum pars civitatis sit domus, id quod ex definitione civitatis manifestum est.

Quænam erat illa?

Πολις οἰκιων πληθος εϛι και χωρας και κτηματων, αυταρκες προς το ευ ζην. h. e. Civitas est ædium copia et regionis et facultatum, quæ satis sint ad benè vivendum: Aut ut Leonardus Aretinus vertit: Multitudo domorum agro et pecuniis sufficienter abundans ad benè vivendum. Id quod probatu facillimum est, cùm quod ubi hæc non adsunt, solvatur κοινωνια, societas: tùm quod horum gratiâ convenerint homines: ϐ δ' ενεκα εκαϛον εϛι και γεγονε και ἡ ϐσια αὐτϐ αυτη τυγχανει ϐσα. h. e. Cujus unumquodque gratia est et ortùm est, ea illius natura et substantia esse solet.

CAPUT II.

Partes domus quænam sunt?

Μερη δ' οικιας.

QUONIAM primùm in minimis q. elementis natura cujusque inspicitur, seu ut loquitur, Philosophus: πρωτον ἐν τοις ἐλαχιϛοις ἡ φυσις ἑκαϛϐ θεωρειταί, domus sive familiæ partes habentur ανθρωπος και κτησις, homo et possessio: quæ et Hesiodi mens cum extare nobis voluit:

Οἰκον μεν πρωτιϛα, γυναικα τε βϐν τ' ἀροτηρα.

Principio domum et uxorem, taurumque jugalem:

Casum vide et Versorem in Œcon.

Ex quibus uxor ad homines refertur liberos, ad quam ea quæ pertinent, recte disposuisse necessarium est, ut talis sit qualem esse conveniat: bos ad nutrimentum pertinet seu opus rusticum, quod in arando consistit. Nam facultatum ea prima esse cura debet, quæ naturam sequitur; naturæ verò ordine prior est agricultura, proximum obtinent locum, quæ e terra aliquid proferunt, qualis μεταλλευτικη, et si hujus generis artes aliæ, ut lapidicinæ et silva cadua.

Κατα φυσιν γεωργικη προτερα.

Quare agriculturam cæteris acquirendi modis præfers?

Quia 1. ut dictum, maximè naturalis est: φυσει γαρ ἀπο της μητρος ἡ τροφη πασιν ἐστιν· ὡστε και τοις ἀνθρωποις ἀπο της γης· hoc est, Naturaliter à matre cunctis nutrimentum suppeditatur: itaque et hominibus à terra: unde et terra parens dicitur omnium, quia omnia nutrit. 2. quia maximè justa est, neque enim exhaurit homines volentes ut cauponaria, aut quæ mercede fiunt operæ, neque extorquet ab invitis ut res militaris. 3. quia plurimum confert ad fortitudinem. Non enim inepta reddit corpora quemadmodum officina vel tonstrinæ, vel sutrinæ aut aliarum hujusmodi viliorum artium, sed idonea facit, ut sine molestia sub dio agant, labores sufferant, et pericula adversus hostes intrepidè adeant et sua tueantur, cum soli agricolæ facultates suas extra tentoria et munitiones habeant. Vide 6. Polit. cap. 4.

Quæ prima cura est eorum, quæ ad homines pertinent?

Uxoria. 1. Inter fœminam enim et marem naturalis maximè κοινωνια et societas. Natura quippe, ut in singulis animantibus, ita et hic talia multa, qualis est ipsa producere appetit, quod desiderium nec mas sine fæmina, nec fæmina sine mare adimplere potest. 2. Et necessaria itaque est societatis inter utrumque sexum constitutio. 3. Desiderium hoc procreandi simile in omnibus quidem reperitur animantibus, at non eodem modo. In animalibus omninò feris extat ἀλογως sine ratione, et eatenus ut fert natura ipsorum et gratia saltem τεκνοποιιας, hoc est, generandæ sobolis: in mansuetioribus verò et prudentioribus, ut formicis, apibus, &c. perfectius, apparent quippe in iis mutuæ argumenta benevolentiæ et operum communis labor: in hominum verò genere conspicitur evidentissimè: οτι ου μονον του εἰναι, ἀλλα και του ευ εἰναι συνεργα ἀλληλοις το θηλυ και το ἀρρεν ἐστι· h. e. Non in hoc tantum maris et fœminæ conjunctio in eo efficax est, ut vita propagetur,

Των δε περι τους ἀνθρωπους.

Οὐ λειτουργιας ἑνεκα τῃ φυσει μονον ἀλλα και ὠφελειας.

sed etiam ut bene vivatur. Et non ad explendum saltem munus naturæ eique tributum quasi solvendum, verùm ad utilitatem quoque pertinet. Quem enim laborem impendunt infirmioribus valentiores, ejus fructum recipiunt effœti in senectute à valentioribus. 4. Quia natura hac generationis periodo complet vitæ perpetuitatem specie nimirum, numero cum nequeat. 5. Dei quadam ϖροοικονομια et providentiâ uterque sexus constitutus est sigillatim ad societatem. Sic enim distributa sunt omnia, ut quamvis utriusque sexus contraria videantur officia atque opera, ad unum tamen omnia finem contendant.

Ασθενεστερον φυλακτικωτερον· το ἰσχυροτερον, αμυντικωτερον.

Etenim natura unum sexum fecit robustiorem, imbecilliorem alterum, ut ille ad custodiendas res propter timorem, hic propter fortitudinem ad propugnandum magis esset idoneus, itemque ut ille foris parta afferret, hic intus conservaret allata: ille assiduitatem quidem præstet, sed ad excubias foris agendas infirmus sit, hic ad quietem minus aptus, ad motus verò et exercitia præstantior: circa prolem etiam ut generatio quidem sit propria, utilitas verò communis: των μεν γαρ το θρεψαι· των δε το ϖαιδευσαι εστιν· hoc est: matrum est educare, patrum verò docere.

Quæ leges sunt mariti, quas in conversatione cum uxore observare maximè debet?

Πρωτον μεν ὀι νομοι ϖρος γυναικα.

Prima lex est, ne injuria uxor afficiatur, sic enim nec marito injuria extimescenda est. Hoc enim et communis lex inducit, quemadmodum aiunt Pythagorici: Omnem injuriæ et violentiæ opinionem abesse debere ab ea, quæ supplicis instar sit et tanquam à foco deducta. Consistit autem viri injuria potissimùm in consuetudine cum extraneis mulieribus.

2. Ita assuescendum est uxoribus, ut ne de tributo naturæ solvendo, marito præsente, conquerantur, nec, absente eodem, extra limites vagentur, id quod tamen et uxoribus observandum est.

3. Virgo potiùs quàm vidua aut vetula ducenda, cujus rei reddit rationem Hesiodus:

Παρθενικην δε γαμειν, ινα ηθεα κεδνα διδαξης.
Uxor sit, mores quæ discat, virgo, probatos.

Αἱ γαρ ἀναμοιοτητες των ἠθων ηκιςα φιλικον.
Nam morum dissimilitudo amoris minimè effectrix.

4. Ut ornatus moderatus sit et procul à luxuriâ: quemadmodum enim in moribus fictionem esse non decet, si inter se convenire debent, ita nec in corpore. Nam comtula ista et ornata conjugum vita nihil differt à Tragædorum in scena versantium ornatu.

Quæ verò sunt officia uxòris erga maritum?

Inter ea primum est: ut Materfamilias proba omnium, quæ in domo sunt et fiunt, certis legibus curam habeat. 2. Peregrinum neminem intra domum sine jussu mariti την διαφθοραν, hoc est, corruptelam verita, ne admittat, atque ita rationem ipsa domesticorum, maritus peregrinorum reddat. 3. Ut festis diebus superfluos sumtus non faciat, sed quantum vir concesserit. Hæc ex Camerarii supplemento sumta sunt.

4. Minori sumtu in ornatu corporis utatur, quàm leges civitatis permiserint, cum nec vestis, nec forma, nec aurum adeò commendent fœminam, quantum ευταξια, moderatio in rebus omnibus et studium vitæ honestæ ac pudicæ. Hæc enim vera animi ornamenta præ cæteris expetenda sunt, quæ plus habent momenti ad laudem sibi et posteris conciliandam, quæ scilicet ad senectutem usque duret.

5. Marito in omnibus obtemperet quæ foris aguntur, virum enim in ea, quæ domi geruntur, inquirere non decet: τῳ ἀνδρι τα εν τῃ οικιᾳ πραττομενα ειδεναι απρεπες.

6. Curiosa ne sit et de reipublicæ negotiis sollicita, si de liberorum tractetur conjugio, mariti in omnibus sententiam sequatur: sciatque non tam dedecere virum domestici quid operis expedire quàm uxorem in externis πολυπραγμονειν.

7. Mulier ευτακτος ita habeat, ingenium et mores viri sui legem sibi esse latam divinitus tum quando matrimonio conjungerentur. Quod si enim illa æquo animo viri mores tulerit, facilis erit administratio domestica: sin minus, admodum difficilis.

8. Non rebus modò secundis sed et adversis viro morigera concordiam cum ipso alat; ut si rerum necessariarum penuria urgeat, morbus affligat, vehementior perturbatio et εκστασις της φρενος abalienatio quædam mentis existat, tolerentur omnia φιλανθρωπως et mos geratur viro, nisi forte turpitudo aut αναξιον, h. e. indignitas in re insit. Quod si quid commoto vir animo deliquerit, ejus obliviscatur statim, aut ignorantiæ et agritudini id adscribat. Nam quò in his attentio et diligentia major fuerit adhibita, eò plus gratiæ initura est à viro ad sanitatem mentis reverso. Et si refragata sit jussis inhonestis, virtutem ipsius, vir sibi restitutus, clarius perspiciet.

Summa legum est omnium, ut marito obtemperet uxor non aliter ac si in illius familiam emta ancilla venisset.

Quare uxor emtæ comparatur ancillæ?

Ωνηθη γαρ μεγαλη τιμη.

Quia magnum impensum est in uxorem pretium: vitæ nempe universæ consociatio et liberorum procreatio, quo neque majus esse neque sanctius pretium possit.

Utrum earum illustrior virtus, quibus maritus laudatus, an verò quibus perversus contigit?

Non abuti fortunæ benignitate, id sane in minimis habendum non est, adversa tamen fortiter ferre, multò pluris æstimandum est: Græca sunt: ὁ μεν δη μικρον τη ευπραξια χρησθαι καλως, αλλα γε το εναντιον φερειν επιεικως πολλῳ μειζον. Animus enim excelsus in eo maxime elucet, si neque succumbat calamitatibus, et graves injurias modeste ferat. Atque optandum quidem, ne hæc necessitas mariti infelicitate obveniat: si qua verò in hujusmodi inciderit ærumnam, ea ita existimet, speciosæ laudis mate-

riam sibi præberi, quam honestate actionum indipiscatur, si Alcestidos et Penelopes sibi exempla proposuerit, quarum neutrius tanta esset gloria, si eos habuissent viros, quibus nihil adversi evenisset, quanta nunc quidem est, ubi altera Admeto, Ulyssi altera fidem semel datam legitimè præstitit. Etenim quæ fortunæ secundæ velint esse participes invenias quam plurimas, consortes in adversa paucissimas easque optimas: ευημεριας μεν γαρ κοινωνους ῥᾳδιον ευρειν, δυσημεριας δε αἱ γυναικες, πλην ολιγιστων τε και βελτιστων, μεταλαβειν ουκ εθελουσιν. Atque hanc etiam maximè ob causam uxores honorem viro studiosius habeant, nec eum despiciant, si, pudicitia salva, copia, quæ est secundum Orphea, magni animi soboles, eum non consequatur.

Sic vertit Camerarius: etsi aliter habeat Aretinus.

CAPUT II.

In quibus officium mariti erga uxorem consistit?

IN his quatuor præcipuè, utpote in 1. uxoris selectione. 2. liberorum educatione. 3. vitæ temperantia, et 4. in animi mansuetudine.

Τον δε δη ανδρα εμπαλιν.

1.

Qualis eligenda est uxor?

Verbo: optima et laudatissima, cum hac ut prolis et totius vitæ sit socia in domum deducatur, ut liberos pariat, qui parentum nomen habeant, qui sint γηροβοσκοι, h. e. senectutis altores, parentum tutela atque præsidium certissimum.

2.

Qualis requiritur liberorum educatio?

Recta, sancta et justa, qua exemplum liberis parentes præstent, quod nisi fecerint, occasionem eis præbent pro se adversus parentes causam dicendi, atque eosdem vita non probè acta, in senectute deserendi. Quod si itaque agricola dat operam, ut solum fertile maximè et diligentissimè cultum conseratur, et ab hostili incursione non sine vitæ discrimine defendatur, idque solius victûs gratiâ: quid

pro liberis horumque matre ac nutrice faciendum, et quænam, ut probè instituantur, cura adhibenda est? Conjugio enim fit solo, ut homines conditione mortales, successione perpetua immortalitatem consequantur, et huc vota contendunt parentum omnium. Præterea talis in educatione negligentia, non est sine divini Numinis contemtu, quo præsente sacra nuptiarum facta et ducta uxor est, ut illi post parentes honor haberetur præcipuus.

3.

Qualis mariti temperantia?

Σωφρονουσης δε γυναικος μεγιστη τιμη.

Ut sola sit uxore contentus, huic uni se servet, et persuasum sibi habeat uxoris erga se amorem et fidem esse singularem. Quantò fidelius enim à viro se diligi uxor cognoverit, tantò studiosius et ipsa quod suum est præstabit. Nec tantùm sciendum est marito quid parentibus, quid liberis, verùm et quid conjugi debeatur, ut in omnibus pietatis et justiciæ laudem assequatur: παντες γαρ τα γερατα τα ιδια ἀποστερουμενοι σφοδρα φερουσι χαλεπως: hoc est, suo se honore privari unusquisque graviter ferre consuevit. Nec tam gratum est tribui aliena, quàm molestum sua sibi adimi. Nihil autem uxori magis proprium est quàm ὁσια και ἁγνοτατη συνοικησις, h. e. inviolata et sancta conjugii necessitudo. Quamobrem indignum est homine sanæ mentis vulgò liberos quærere, ne concepti ab improbis, legitime natis æquiparentur, atque ita uxori contumelia, liberis injuria, infamia ipsi viro inferatur. Summatim, cum uxore ita vivendum, ut appareat temperantia atque ευταξια, in dictis verecundia, in factis justum et bonum, in convictu fides et moderatio.

4.

Quomodò animi mansuetudo à viro exercenda est?

Και τα μεν μικρα των πλαισματων.

1. Levibus delictis et si voluntariis veniam dabit: quæ ex ignorantia commissa sunt admonendo corriget.

2. Non perterrefaciet uxorem metu, in quo nec pudor nec gravitas, quod facere adulteri solent me-

retricibus: uxor verò honesta, virum suum ut par est pudice et amabit et verebitur.

Estne ergo timor alius atque alius?

Omninò. Nam duæ ejus sunt species. Timor alius est ευλαβης τε και σεμνος cum reverentia atque pudore conjunctus, qualis liberorum proborum erga parentes, civium proborum erga magistratum, cujus favorem in gubernando sentiunt: vulgò dicitur Filialis seu venerabilis: Alius cum alienatione animi atque odio cohabitat, quomodo servi timent dominos, inique suppressi tyrannos: vulgò servilis. Prior ille timor uxorem comitetur, cujus animum sibi maritus humanitate conciliare debet, atque ita eam sibi quoad fidem et æquitatem devincire, ut non minorem absens atque præsens suorum bonorum fructum percipiat: absens verò talis habeatur ab uxore, ut nullum sibi meliorem, commodiorem et familiariorem contingere potuisse firmiter statuat. Quas animi dotes ipsa uxor facile assequetur, si puella adhuc et ætate juvenis omnia ad communem retulerit utilitatem, et sibi ipsa moderari occeperit, ita enim postmodum optima sibi totius vitæ gubernatrix existet.

Suntne hujus rei apud Veteres testimonia?

Sunt sane. Namque Homerus nullibi amorem timoremve sine verecundia commendavit, sed amorem cum modestia atque pudore conjunxit, quod ex verbis Helenæ ad Priamum liquet: Cap. 3. Ουδε γαρ Ομηρος τον ερον, ουδε φοβον.

Αἰδοιος τε μοι εσι φιλε εκυρε.
Et venerandus es ô socer et mihi care timendus. Iliad γ.

Et Ulyssis Nausicaam compellantis:

Ὡς σε γυναι αγαμαι σε τεθηπα τε. Odyss. ζ.
Sic nunc te admiror mulier metuoque.

Atque ita erga se invicem affectos esse oportere maritum et uxorem censet sapienter Homerus, (ουδεις γαρ θαυμαζει και καταπληττεται τον χειρονα εαυτε) hoc est, cum nemo admiretur, multò minus revereatur eum quem se deteriorem existimat: sed hoc genere affectus se complecti soleant, qui seipsis inter se

meliores sunt, et mites naturâ atque humani, etiam minus sapientes erga præstantiores sese sapientia, quo animo cum Ulysses esset erga Penelopen, nulla tamen in re, etsi absens, illam unquam offendit. At sequius Agamemnon, qui Chryseida Barbaram, violento nexu sibi junctam, cum nesciret quo erga se esset animo Clytæmnestræ, ex qua jam legitimos susceperat liberos, improbe prætulit. Contra Ulysses iterum laudatissime, cui cum Atlantis filia immortalitatem polliceretur, si secum remaneret, non ideò amorem fidemque conjugii prodere voluit, instar gravissimi ratus supplicii ipsum immortalitatis donum in conscientia perfidiæ atque sceleris: Idemque Circen quoque reliquit, etsi salutem sociorum promitteret, respondens, nihil sua sibi patria etsi aspera et inculta dulcius videri. Prætereà Poëtam pudicam uxoris atque viri castitatem probasse, ex Oratione Ulyssis ad Nausicaam habita apparet, qua Deos precatur, ut ipsi tribuant, maritum ac domum et concordiam, non vulgarem illam quidem, sed laudabilem ac bonam, cum ut inquiebat:

Odyss. ζ.

οὐ κρεισσον και αρειον
η ὅθ᾽ ὁμοφρονεοντε νοημασιν οικον ἐχητον
Ανηρ ἠδε γυνη.

mellius nil ac præstantius esse
Posse hominum generi, quàm si vir regnet et uxor
Una mente domo.

Atque addit, tali inter virum et uxorem vigentè concordiâ, malevolos magnâ affici tristitiâ, lætari verò benevolos. Id quod eventus quoque ostendit. Nam si inter virum et uxorem in optimarum rerum studio firma fuerit concordia, amborum amicos ac benevolos et inter se et cum ipsis consentire necesse est: atque ita per concordiam opibus et potentia aucti cum inimicis sibi nocendi spem adiment tum suis profuturi sunt: orto inter eos dissidio amborum quoque amici discordabunt et ipsi suas diminui vires cumprimis sentient.

CAPUT IV.

Hæc casta et honesta inter maritum et uxorem unanimitas quomodo conservatur.

PRIMO quidem si vir non minorem curam et reverentiam parentibus uxoris, uxorque parentibus viri tribuat, quam quisque naturâ suis. Deindè, si liberorum, consanguineorum, amicorum, rei familiaris et domus universæ cura communis sit, et uterque alterum studio et diligentia superare contendat, quò ipse plus præstitisse boni et melior et justitia eminentior existere indies videatur. Imò absit το ὑπεροπτικον sive fastus et elatio, adsit το φιλοπονον, seu laboris industria et in tota administratione mansuetudo cum benignitate eluceat, ut in senectute deposito jam onere gubernationis domesticæ, et cupiditatibus liberati, possint et sibi ipsis inter se ac filiis rationem reddere, uter eorum magis profecerit in familiæ gubernatione, idque exactè nosse ubi detrimentorum, fortuna, commodorum virtus ipsorum causa fuerit.

Το μεν πρωτον καλα παντων τοκεων επιμελεισθαι.

Quænam sunt Victori in hoc certamine proposita præmia?

Primum quod rectè familiam administrasse, res grata est Deo quiesque maxima conscientiæ senis jam morientis et suæ familiæ statum filiis relinquentis: ut Pindarus canit: γλυκεια ἡ καρδιαν ἀταλλοισα, ἡ γηροτροφος συναορει ελπις, hoc est, dulcis cor alens, senectutis nutricula simul eminet spes. Alterum præmium est nutrimentum, quod ætate confectis et effætis à liberis rependitur. Quamobrem eum qui et publicè et privatim vitam degit, ad Deum et homines, plurimum verò ad uxorem, filios et parentes respicere decet.

ἀν᾽ οις ὁ νικησας.

Quandoquidem duæ constituebantur domus partes, 1. Œconom. 2. homo et possessio: de homine verò ejusque societate nuptiali hactenus sit traditum, jam ad possessionem descende et dic in facultatibus quod primum et maximè necessarium?

Ex lib. 1. Œconom. cap. 5.

Το βελτισον και ἡγεμονικωτατον· τυτο δε ην ανθρωπος· Των δε κτηματων πρωτον.

h. e. optimum atque præstantissimum, quod est homo: proinde servi ante omnia probi sunt parandi.

Quot sunt genera servorum?

Duo: Ἐπιτροπος sive Procurator, et εργατης seu operarius. Illi, quibus liberalia committenda officia præparandi et imbuendi sunt, αἱ γαρ παιδειαι ποιους τινας ποιουσι τους νεους· h. e. ex disciplinis novos quosdam habitus accipiunt adolescentes: isti sic habendi à Domino, ut neque petulantes neque abjectos esse patiatur: et liberalioribus quidem honor, opificibus verò cibus abunde est præbendus. Et quia vini potu liberi etiam petulantiores reddi solent, ita ut apud nationes multas ingenui ab illo abstineant, quemadmodum in castris Carthaginienses, vini aut nihil aut parum servis est largiendum.

Quot sunt quæ præstare Dominus servo cogitur?

Tria: εργον, κολασις και τροφη· Opus, Castigatio et Cibus. Cibus sine castigatione et opere reddit petulantem: Opus verò et Castigatio sine cibo, violenta res est et infirmum efficit servum: Relinquitur ergò, ut et laborem Dominus servo injungat, et alimentum subministret: ἀμισθων γαρ ουχ' οιον τι αρχειν, δουλῳ δε μισθος τροφη· h. e. Namque fas non est sine mercede dominari: servi verò merces cibus est.

Hæc tria num sine discrimine servis præstanda sunt?

Nequaquam: quod enim in aliis contingit, ut deteriores fiant, si nec melioribus tribuatur melius, neque præmia virtutis et vitii sint proposita: itidem fit in servis: σκεψις proinde seu discretio adhibenda est, ut distribuantur ac remittantur singula ex merito: cibus, vestes, quies et castigatio: et cùm verbo tùm opere Medici imitandi, nisi quod sciendum, οτι ἡ τροφη ου φαρμακον δια το συνεχες· hoc est, quod cibus medicamentum non sit propter continuum usum.

Quæ verò nationes servorum ad opus faciendum, optimæ?

Eæ quæ nec ignavæ nimium neque fortes sunt: utraque enim injusta est ac improba. Etenim nimis ignavi nihil tolerant: at animosi difficulter reguntur.

Quinam finis servis universis est præfigendus?

Æquum est et commodum præmium illis proponi libertatem, quod summum sanè est, quod ab heris persolvi servis potest, ut est in Terentii Andria: βυλονται γαρ πονειν, οταν η αθλον και ὁ χρονος ὡρισμενος. hoc est, Libenter laboratur proposito præmio et tempore præfinito. Feci ex servo ut esses libertus mihi.

Quomodo servi nobis obstringendi sunt, ne fugam facilè arripiant?

Liberorum procreatione, qui nobis postea ut pignora erunt atque obsides, neque committent facilé ut parentes de fuga cogitent. Δει δε και εξομηρευειν, &c.

Suntne plures ομοεθνεις sive populares servi habendi?

Una in domo minimè, ut neque in urbe una, quia sectas faciunt in familia, et dissidia introducunt, et suo colloquuntur idiomate cæteris non percipientibus, et facile conjurant malorum inter sese conscii.

An servorum causâ aut festi dies aut epulandi certa sunt statuenda tempora?

Omnino: et talia quidem magis servorum quàm liberorum gratiâ facienda sunt: plura enim sunt illis propter quæ hæc fuêre instituta: Etsi enim (ut notat Leonardus Aretinus h. l.) principium videtur sumtum ob honorem Deorum vel hospitum: finis tamen cessit in commodum servorum, qui plura capiunt ex illa ciborum copia quàm liberi, ut à quibus epulis vix delibatis, mensæ secundæ servis cedunt.

Dixisti qualem se Paterfamilias erga servum gerere debeat, nunc et in quibus officium ejus, quoad alias possessiones versetur, expone? Ex cap. 6. 1 Œcon. ειδη δε τυ οικονομυ τετταρα.

In quatuor his requisitis: ut 1. acquirat facul-

tates. 2. ut acquisitas tueatur, frustrà enim acquisiverit si tueri nesciat, quod idem fuerit ac ἠθμῷ ἀντλεῖν, h. e. infundibulo haurire aquam, vel pertusum, quod fertur à Poëtis, dolium implere. 3. ut illis ornetur; et 4. ut fruatur, has enim ob caussas facultatibus nobis opus est.

De acquisitione quod est Philosophi præceptum?

Ut singula curatè distinguantur, ut plura fructuosa quàm infructuosa possideantur, et quæstus ita distribuantur, ne omnium simul periculum subeatur.

Quæ faciunt ad tuendum acquisita?

Persica instituta et Laconica et Attica.

Quæ est Attica οἰκονομία?

Ἐν μὲν ταῖς μικραῖς κτήσεσιν.

Athenienses ἀποδιδόμενοι ὠνοῦνται, h. e. vendentes emunt: atque hac ratione utendum circa fructus in parvis administrationibus: penoris enim institutio non est in exilioribus administrationibus: in magnis verò separatio facienda est eorum, quæ in annum et quæ in singulos menses consumere oportet.

Quæ Persica?

Τὸ πάντα τετάχθαι, καὶ πάντ' ἐφορᾷν αὐτόν. Hoc est: Omnia disposita ipsum dominum inspicere: quod de Dionysio referebat Dion: οὐδεὶς γὰρ ἐπιμελεῖται ὁμοίως τῶν ἀλλοτρίων καὶ τῶν οἰκείων, h. e. nemo parem suorum atque alienorum curam habet. Quæcunque ergo per ipsum geri possunt, eorum curam paterfamilias suscipiat: qua de re elegantia Persæ et Afri cujusdam apophthegmata. Persa n. rogatus, quid equum maximè pinguem faceret? Oculus Domini, respondit. At Afer, quodnam stercus esset optimum? Domini, inquit, vestigia. A viro, inquam, sunt diligenter inspicienda negotia et ab uxore, prout sua cuique opera assignata. Atque hoc in angusta re familiari rarò, sed ubi procuratores sunt crebriùs est faciendum. Nisi n. quis bonum de se exemplum præbuerit, imitatorem diligentiæ non est habiturus, neque in re familiari neque in aliis: ὡς ἀδύνατον μὴ ἐπιμελοῦς δεσπότου, ἐπιμε-

λεις εἶναι τοὺς ἐφεστῶτας: (i. e.) adeò ut impossibile sit, non diligentis domini industrios esse vicarios.

Quæ porrò ad rem familiarem conservandam utilia?

Ad virtutem honesta èt ad rem familiarem utilia sunt, ut expergiscatur prius Dominus quàm servus, et cubitum eat posterius. Domus quemadmodum urbs, sine custodia nunquam relinquenda est: quæ fieri oportet ea neque die neque noctu intermittantur: et ante lucem quidem surgendum est, quod et ad sanitatem, et ad rei familiaris curam, et ad Philosophiæ studium quàm plurimum conducit. In instrumentis quoque separanda sunt ea, quorum usus quotidianus est, ab his, quæ rarò sunt usui, atque ita præfectis tradenda sunt, ac certo tempore inspectio eorum facienda, ut non lateat quid salvum sit et quid perierit. Nam ad expeditum instrumentorum usum Laconica profuerit ratio, ut scilicet quidque suo repositum loco sit, ne cum in promptu sit, requirere sit opus, χρὴ ἐν ἕκαστον τῇ αὐτοῦ χώρᾳ κεῖσθαι, οὕτω γὰρ ἀεὶ, ἕτοιμον ὂν, οὐ ζητοῦντα.

Quid de ædibus observandum?

Tales istæ parandæ ut et facultatum, et salubritatis et εὐημερίας seu commoditatis ratio habeatur. Facultatum, ut quales conducant fructibus tum aridis tum liquidis, vestibus aliisve supellectilibus: quales animatis et inanimatis, servis et liberis, maribus et fœminis, civibus et peregrinis: Commoditatis verò et salubritatis, ut æstate quidem ventorum afflatum, hyeme verò solem recipiant: quales fuerint, si Aquilonem spectent, at non æquali latitudine. In re familiari ampla et janitor utilis esse videtur, qui ad cætera quidem ineptus, quæ importentur et exportentur, observet.

Quomodo ad ornatum et necessitatem utendum divitiis docuit Philosophus passim ubi de Liberalitate et Magnificentia egit in libris Ethicis.

ARISTOTELIS

Οἰκονομικῶν.

SEU

DE CURA REI FAMILIARIS.

LIBER SECUNDUS.

Cautela.

Sciendum hunc quidem librum si Aretinum velis sequi, tertium esse, sed quia Aretini supplementum supposititius ejusdem Autoris partus censetur â nonnullis, una cum Græcis codicibus præsentem hunc secundum facimus. Johannes Casus in Appendice thesauri Œconomici et hunc librum nothum esse neque Aristoteli ascribendum septem argumentis ostendere conatur: quicquid sit, observanda in ejus lectione admonitio est, Fabri Stapulensis, cujus verba: qui legent, eo id faciant ingenio ut bona sequantur et probent: tyrannica verò et quæ sunt his similia, cautius devitent et damnent cognita.

In quot hic liber tribui potest partes?

In duas: quarum prior de formis administrationis domesticæ agit: altera artificiosos acquirendarum rerum modos ἱστορικως recenset.

Qualem convenit esse bonum Patrem familias?

Τον οἰκονομειν μελλοντα τινα.

Qui rem domesticam legitimè administraturus est, eum neque locorum ubi negotia gerenda, ignarum, et natura ingeniosum et proposito laboriosum atque justum esse oportet: quod si ex his quicquam defuerit, in rebus gerendis plurimum peccabitur.

Quot sunt formæ administrationis domesticæ?

Quatuor si ὡς εν τυπῳ distinguantur in quas si quæ sunt, reliquas incidere videbimus: βασιλικη regia, σατραπικη præfectoria vel prætoria, πολιτικη civilis, ἰδιωτικη privata.

Quomodo inter sese comparantur?

Maxima et simplicissima est regia: varia præ ceteris ac facillima civilis: privata minima quidem est, sed et ipsa admodum varia. Multa enim his formis sunt communia, quæ verò singularia singulis ex sequentibus liquebit.

Regia quot iterum habet formas?

Regia quæ vi ac potestate generalis est quatuor formas habet seu officia. Primum est περι νομισμα circa monetam quando ea pretiosa aut vilis ordinanda: Secundum et Tertium, περι τα εξαγωγιμα και εισαγωγιμα circa exportanda et importanda cum et quando et quænam ex his à præfectis accepta regi distrahere expediat. Quartum περι τα αναλωματα circa impensas quinam sumtus minuendi sint et quando: item numminè impendendi, an ea quæ nummis emi solent.

Satrapica quod habet fructuum genera?

Sex. Primus proventus est ex agris qui primus omnium et præstantissimus quem alii εκφοριον pensionem alii δεκατην decimam appellant. Secundus eorum quæ peculiaria regioni, ut alicubi aurum, alicubi argentum, alicubi æs, alicubi alia. Tertius est mercaturæ. Quartus vectigalium tàm ex agris quàm rebus venalibus. Quintus pecuariæ quæ nominatur επικαρπια fructuum accessio et decima. Sextus eorum quæ ex aliis rebus, qui fructus singula capita ipsosque operarios attingit unde vocatur επικεφαλαιον τε και χειρωναξιον.

Quinam sunt fructus civilis Œconomiæ?

Hujus præstantissimi fructus sunt ex iis quæ cujusque regionis natura producit: proximi mercaturæ et ludorum: postremi των εγκυκλιων seu quotidianarum rerum atque communium.

Quinam sunt fructus Œconomiæ privatæ?

In Œconomia privatorum quæ et ἀνομαλες inæquabilis est, et non unum aliquod tanquam signum propositum spectat, et minima, quia et fructus sunt modici et non magni fiunt sumtus, fructus reddunt præstantissimos agri, proximos alia εγκυκλημματα hoc est res in orbem redeuntes: postremos pecuniæ usura.

Quodnam in omni Œconomia, cumprimis verò privata maximè observandum?

Το τ' αναλωματα μη μειζω των προσοδων γινεσθαι: hoc est ne sumtus fiant proventibus majores.

Quid porrò in his formis attendendum?

In σατραπεια et civitate, sitne utendum cunctis quæ enumerata sunt mediis, aut horum maximis, si ferri ab ea possint. Post, quinam fructus aut non proveniant cum possint provenire, aut cum exigui sint an augmentum admittant: Item ex sumtibus qui impenduntur quinam et quam multi sublati nihil omnino detrimenti attulerint.

Subjice nunc ἀξιολογα quædam exempla quibus modi quidam acquirendi ostenduntur;

1.

Οσα δε τινες των προτερων πεπραγασιν.

Cypselus Corinthius, cum votum fecisset Iovi, si civitate illâ potitus fuisset, Corinthiorum se dedicaturum facultates universas, censum jussit describi: illis autem professis, decimam bonorum partem abstulit â singulis: de reliquis jussit eos negotiari et rem facere: annoque vertente fecit idem. Contingit itaque, ut annis decem et ipse haberet omnia bona Corinthiorum eaque consecraret, et Corinthii interea quærerent parerentque alia.

2.

Lygdamis Naxius, quibusdam in exilium actis, cum facultates illorum nemo vellet, nisi admodum parvo emere, vendidit ea ipsa exulibus; anathemata quoque quæ in officinis erant ἡμιεργα imperfecta vendebat exulibus et aliis ita ut permitteret emtoris nomen in unoquoque perscribi.

3.

Bysantii, in pecuniæ penuria, loca publica sacra vendiderunt, fructuosa quidem ad certum tempus, infructuosa verò ad proprietatem perpetuam: itemque ea quæ sodalitates possidebant et quæ ad sacra gentilia pertinebant cùm alia tùm in agris privatis sita. Nam hoc magno emebant ii quorum reliqua erat possessio. Sodalitiis a. tradebant publica alia, quæ erant circum gymnasium aut forum aut portum, nec non forensia loca, ubi aliquid vendebatur: præterea salinas maris et salis mercaturam: item ubi quæstum faciebant præstigiarum artifices, vates et pharmacopolæ et id generis alii, constitueruntque ut tertiam quæstûs partem penderent: permutandæ pecuniæ mensam unam saltem elocârunt: neque licebat alio numo vel de altero emere vel alteri vendere quicquam sub bonorum privatione. Et cum lex apud eos esset: non habendum pro cive qui non utroque parente cive natus fuisset, indigi pecunia decreto sanxerunt: qui altero duntaxat parente cive natus esset, si persolvisset tricenas minas, pro cive habendum. In caritate verò annonæ cum pecuniæ inopiâ laborarent, deduxerunt navigia ex ponto in portum, quod cum mercatores iniquè ferrent, usuras eis persolverunt decimas: ab iis autem qui emebant ultra pretium decimas exigebant. Apud eosdem cum ex incolis quidam fænore collocassent pecunias oppositis bonis, scitum fecerunt, ut qui tertiam partem debiti fœnoris nomine conferret, bona illa ut propria retineret.

4.

Hippias Atheniensis eminentia in superioribus ædium partibus et protensa in publicas vias, itemque Scalarum gradus et præmunita vestibula, et januas quæ aperiendo extrorsum vertebantur, vendidit, emebant hæc ii quorum possessiones ipsæ erant et ita copiosa pecunia collecta est. Numum etiam qui tunc Athenis in usu erat, improbum esse jussit et pretio constituto ad se pecuniam omnem deferri

imperavit: cumque convenirent qui alio signo vellent cudere, idem illud argentum exposuit.

Si qui verò aut navibus præficiendi, aut tribuum suarum duces futuri, aut choris sumptum præbituri erant, aut aliqua ejus generis munia obituri in quæ esset aliquid impendendum, iis primum tolerabilem atque modicam irrogavit mulctam, deinde jussit eum qui illam pendere voluisset inter perfunctos suo munere perscribi. Sacerdoti etiam Minervæ, quæ in arce consecrata erat, præcepit de unoquoque defuncto afferri hordei sextarios duos, et totidem tritici, et obolum unum, ac tantundem si cui soboles nasceretur.

5.

Athenienses, qui Potidæam incolebant, cum pecuniarum ad gerendum bellum indigerent, jusserunt profiteri cunctos censum bonorum, non conjunctim apud suam cujusque tribum, sed singillatim in quo quisque loco essent, ut qui pauperes esset, ipsi quoque censeri possent. Si quis verò nihil prorsus possideret ejus capitis æstimatio erat minarum duarum. Hinc igitur tributum quod exigebatur à singulis integrum conferebatur.

6.

Antissæus, cum pecuniæ inopiâ premeretur civitas ipsius et morem haberent, ut Bacchanalia splendidè celebrarent (quibus magnos sumtus faciebant de totius anni apparatu cum in alia tum victimas pretiosas) quod festus ille dies tum instaret, persuasit eis ut votum nuncuparent, se proximo anno reddituros Libero duplicia, et quæ parata haberent ut universa simul venderent. Atque ita pecuniæ non exiguæ ad præsentem ipsis usum fuerunt collectæ.

7.

Lampsaceni, cum adventus expectaretur triremium multarum, et venirent polentæ sex modii denariis quatuor, jusserunt in foro versantes eos vendere sex denariis: et ad olei congium qui veniret denariis quatuor adjicere tres obolos, idemque fa-

cere de vino et cæteris. Privati igitur pretium accipiebant antiquum, quod superabat, id civitas retinens, copiam ita pecuniarum comparavit.

8.

Heracleotæ, cum naves ablegarent quadraginta adversus tyrannos in Bosporo, neque pecuniâ abundarent, coëmerunt â mercatoribus frumentum et oleum et vinum et res alias venales universas. Atque constituto tempore quo pretium persolveretur et oportunum erat negotiatoribus non ad heminam merces distrahi, sed venire simul universas, et ipsi cum persolverent per opportunitatem non stipendia devehebant, sed res venales in onerariis navibus et quæstorem unum singulis præficiebant. Cumque jam in terram hostium ventum esset, emebant ab his omnia milites, et argentum collectum fuit, stipendiumque solverunt ductores: et ita contigit, ut idem daretur argentum, donec domum redirent.

9.

Lacedæmonii, cum Samii ab ipsis peterent, ut pecunias sibi conferrent recuperaturis patriam, scitum fecerunt: uno die debere et dominos et familiam et jumenta jejunare, et quantum insumsisset, si non jejunaretur, quisque tantum tribuere Samiis.

10.

Carthaginienses cum militum apud ipsos externorum multitudo cresceret nec haberent unde stipendia eis persolverent, præconium factum est, si quis civium incolarumve jus haberet prehendendi vel civitatem vel privatum quempiam, sive vellet prehendere, ut profiteretur. Profitentibus autem permultis, navigia contendentia in Pontum diripiebant, probabilem aliquam causam prætendentes, tempore quidem præfinito, quo de his causam dicturos se esse affirmarent. Copia verò tunc magna pecuniæ cum extitisset et milites illos dimiserunt, et de comprehensione disceptarunt. Et quibus direptione esset facta injuria, iis de vectigalibus satisfaciebat civitas.

11.

Cyciceni, seditione apud ipsos orta et plebe superiore, oppressisque ac captis divitibus, cum deberetur militibus pecunia, scitum fecerunt, ne capti interficerentur, sed exactis pecuniis ut exularent.

12.

Chii, cum esset lex apud ipsos ut debita publicè perscriberentur: indigentes pecuniâ scitum fecerunt: ut debitores ipsi quidem mutuas pecunias numerarent civitati, civitas verò creditoribus, ut fœnus ex proventibus penderet, donec sors persolvendo æquaretur.

13.

Mausolus Cariæ Tyrannus, petente per legatos Rege Persarum, ut tributa penderet, convocatis in illa regione opulentissimis ostendit eis: Regem petere tributa, se autem nequaquam abundare pecuniâ. Ibi tum subornati quidam statim polliciti sunt, se esse collaturos, et summam indicarunt. Hoc facto opulentiores partim pudore, partim metu, et plura sunt polliciti et contribuerunt. Rursum egens pecunia Mylassensibus convocatis demonstravit oratione sua: eam civitatem principem regni ex qua ortus esset ipse, non esse mœnibus septam: Regem autem Persarum exercitum adversus illum adducere. Jussit igitur Mylassenses quantum quisque posset pecuniæ plurimum conferre, asserens iis quæ tunc contribuissent, ipsas cæteras suas facultates esse conservaturos. Collectis autem pecuniis multis, ipse eas quidem retinuit: mœnia verò extrui illo tempore Deum velle negavit.

14.

Condalus Mausoli præfectus, si quando iter per regionem facienti sibi afferret aliquis donum ovem, aut porcum aut vitulum, jussit perscripto nomine ejus, qui donasset, et die, domum deduci et ali donec reverteretur. Ac ubi tempus satis longum abiisse videbatur, repetiit quod ille aluerat juxtimque fructus quos donum pepererat. Arborum item cami-

nentium aut procidentium in regias vias vendebat fructus. Milites quoque si qui mortem obierant, copiam efferendi extra portam corpus denario vendebat. Aque hinc simul argentum accipiebat nec fallebant eum duces indicio temporis, quo aliquis ex militibus esset mortuus.

Lycios etiam cernens capillis gestandis delectari, literas esse dixit allatas regias, quibus capilli ad προκομια seu capitum ornamenta mitti juberentur: mandata igitur se habere à Mausolo ut illi tonderentur: juxtimque promisit si certam summam in capita contribuere vellent, ex Græcia capillos afferendos sese curaturum. At illi libenter præbuerunt quod postulabat, collectaque est de magna multitudine pecunia copiosa.

15.

Aristoteles Rhodius Phocææ principatum obtinens, cum cerneret in pecuniarum inopia duas esse Phocæorum factiones, verba uni illarum occultè fecit, indicans sibi dare alteram pecunias, ut rem ad ipsos inclinet, sese verò ab ipsis accipere malle, et administrationem civitatis eis tradere. Quibus auditis statim ipsi tantum pecuniæ dederunt, quantum jusserat. At hic alteri factioni rursum ostendit, quæ accepisset ab altera: hi verò dederunt ne ipsi quidem minus. Atque ita, accepta pecúnia ab utrisque, gratiam inter eos reconciliavit. Cum verò animadverteret multas inter cives esse controversias et magnas in iis propter bellum injurias, judicio constituto edixit: siqui lege non egissent intra tempus præscriptum non amplius de prioribus criminibus judicium iis datum iri. Tunc itaque complurium causarum atque litium collationem et provocationes mulctis propositis ad se referens, et ab utrisque per diversos aliquid accipiens, non parum pecuniæ contraxit.

16.

Clazomenii, in annonæ penuria, cum pecunia destituerentur, scitum fecerunt: ut qui oleum habe-

rent, commodarent id reipublicæ cum fœnore: existit autem hic fructus in regione illorum copiosus. Cum igitur ita commodaretur oleum conductis navigiis evehendum illud in ea loca curârunt, in quibus fora exercebantur, unde frumentum ipsis advenit pignore dato olei pretio. Militibus cum deberent stipendii nomine viginti talenta (quadringenta et octoginta sestertia) neque possent dissolvere, annis singulis fœnus pendebant ducibus quaterna talenta (sestertia nonaginta et sex.) Quia verò hoc pacto de sorte nihil decedebat, et sumtus facere frustra ipsi pergebant percusserunt numum ferreum ad viginti talentorum summam. Hanc deinde pecuniam dabant opulentissimis in civitate pro eo atque consentaneum erat cuique et tantundem ab eis recipiebant argenti. Habebant igitur privati quod iis quotidianos usus impenderent et debito liberata fuit civitas. Deinde ex proventibus et fœnus pendebant illis et dividendo semper pro parte sua cuique distribuebant, numosque ferreos recipiebant.

17.

Selybriani, in pecuniarum inopia cum lex esset, ne frumentum exportaretur, famis tempore, vetere illis frumento reliquo, scitum fecerunt: tradere privatos debere frumenta sua reipublicæ pretio constituto, sic ut quisque retineret sibi victum unius anni. Postea evehendi potestatem fecerunt volenti, constituto pretio, quod æquum videbatur.

18.

Abydeni, quod terra ipsorum per seditionem inculta esset, nec quicquam amplius impendentibus inquilinis, propterea quod etiam tum ipsis deberent, scitum fecerunt: qui pecuniam mutuam dedisset agricolis ut opus ruri facerent, eum percipere fructus natos primùm debere, et ceteros ea demum quæ reliqua fuissent.

19.

Ephesii, cum pecunia indigerent, tulerunt legem: Non licere ut mulieres aurum gestarent, quicquid

eo tempore auri haberent, ut commodata civitati. Constituta etiam argenti summa quæ numeraretur, permiserunt, ut in templi columnis nomen ejus qui argentum illud numerasset, tanquam ejus qui illud consecrasset, perscriberetur.

20.

Dionysius Syracusius cumulare pecunias volens, concione advocata, dixit: visam sibi Cererem esse jubentem mundum muliebrem in fanum suum deferri: ac se quidem hoc de suarum mulierum mundo fecisse, postulare igitur ab aliis quoque idem fieret, ne Dea irasceretur: qui non fecisset eum sacrilegii reum pronunciavit. Cumque omnes quæ habebant, attulissent, et propter Deam et propter illum, re divina, facta abstulit mundum illum, tanquam commodatum ab ipsa Dea. Ubi verò temporis aliquid præteriisset, et mulieres iterum ornatus ferrent, edixit: ut quæ aurum gestare vellet, ea in templo quod tanti esset dedicaret. Ædificaturus triremes sciebat pecunia sibi opus fore: concione igitur advocata, prodi quandam urbem dixit et ad eam rem pecunia sibi opus esse: postulavitque ut singuli cives conferrent aureos duos. Hanc pecuniam illi contulerunt. Spatio autem interposito dierum duorum triumve quasi frustrata res ipsum esset, collaudatis civibus, id restituit unicuique quod contulerat: quo facto voluntates illorum sibi conciliavit. Postea simili spe se esse recepturos, iterum contulerunt: Dionysius autem quod tunc acceperat, retinuit ad triremium ædificationem. Cum non abundaret argento numum percussit ex stanno; advocatâque concione, prolixa oratione numum eum commendavit. Syracusii verò quamvis inviti illum scito suo approbarunt, et unusquisque prætulit se habere argentum non stannum. Rursum in pecuniæ inopia postulavit â civibus ut contribuerent: quibus negantibus se habere, protulit utensilia et venalia, quasi per inopiam hoc faceret, proposuit. Hæc cum Syracusii emerent,

quid quisque emeret perscribebatur. Persoluto autem pretio referri ad se utensile jussit, quod emisset, unumquemque. Syracusii propter crebra tributa desierant pecudes alere. Ibi Dionysius satis sibi collatum esse affirmavit ad tantum usum, quique posthac parassent pecudes, eos fore immunes. Cum verò multi multas pecudes immunitatis spe parassent, nactus opportunitatem quid quisque haberet, æstimari jussit et pensionem imposuit. Ibi tum Syracusii ægrè ferentes se esse deceptos, pecudes jugulare et vendere. Cum autem adhæc Dionysius edicto definiisset jugulandarum indies pecudum numerum, illi mactantes sacrificare. Tunc Dionysius vetuit mactari pecudem fœminam. Rursum in pecuniæ inopia professione apud sese describi jussit pecunias familiarum quæcunque essent orbæ parentibus: quo facto ipse pecuniis illis abusus fuit, quoad illorum quisque ad legitimam pervenit ætatem. Rhegio occupato, advocata concione dixit: quod diripere urbem ipsorum jure posset, sed velle se si modo auferat impensas factas in id bellum et pro singulis capitibus tres minas eos missos facere. Tunc Rhegio quicquid occultaverant, protulerunt in conspectum: et cum egeni quoque pecuniam ab opulentioribus et externis sumsissent, ita illam summam persolverunt. At Dionysius hac accepta, nihilominus et omnes sub corona vendidit, et supellectilem, quam occultatam protulerant, abstulit universam.

Mutuò sumpserat pecuniam â civibus quam redderet, cumque illi repeterent jussit ad se afferri argentum quantum possideret unusquisque, proposita pœna mortis, nisi facerent. Allato autem argento percussit numum, ita ut denarius unus æstimaretur duobus, eoque quod debebatur, quodque attulerant ad se, persolvit. Cum navibus centum in Tyrrheniam navigasset abstulit ex fano Leucotheæ auri argentive plurimum et non parum ornamentorum cæterorum. Quod non fugeret autem ipsum, ha-

bere multa nautas quoque, præconium fieri jussit: ut dimidium eorum quæ quisque abstulisset, ad se referretur, alterum dimidium retinere posse eum qui abstulisset: qui non retulisset et mortis pœnam proposuit. Arbitrati autem nautæ, si dimidium retulissent tutò se retenturos esse reliqua, illud retulerunt. At Dionysius his acceptis rursùs dimidium eos afferre jussit.

21.

Mendæi fructibus, quos redderent portus et alia vectigalia, utebantur ad civitatis administrationem: sed quod ex solo et ædificiis perciperetur, id non exigebant atque nomina tantùm occupantium perscribebant: qui, quoties civitati pecunia opus erat, persolvebant quantum debebatur.

Iidem, in bello adversus Olynthios cum pecunia indigerent, et copia mancipiorum abundarent, scitum fecerunt: ut unusquisque duo tantùm retinerent, marem et fœminam, reliqua venderent universa, quò privatis esset pecunia quam civitati mutuò darent.

22.

Callistratus in Macedonia, quum portorium, si quando maximi venibat, vicenis aut amplius talentis veniret, effecit, ut ejus summæ duplum inveniretur. Animadvertens enim nullos unquam emere nisi opulentiores, propterea quod vicenum talentores sponsores dare oportebat maximi census viros, per præconem edixit, ut qui vellet emeret, sponsoresque tertiæ partis exhiberet, aut quanti quisque persuadere alteri posset.

23.

Timotheus Atheniensis, cum bellum adversus Olynthios gereret, argentoque indigeret, æs percussit distribuitque militibus. Indignantibus autem illis affirmavit et mercatores, et quicunque in foro venderent, eadem ratione vendituros, ipsis autem mercatoribus prædixit, quicunque æreum nummum accepisset, eodem ut rursus ea quæ regio ferret ve-

nalia, quæque producerentur ex præda, mercaretur, quibuscunque autem æreus ipsis relinqueretur nummus ii ut hunc ad se referrent, et pro ære, argenti tantundem acciperent.

Idem apud Corciiram bellum gerens laboransque inopia, militibus stipendium flagitantibus, nec jam ipsi fidem habentibus sed minitantibus se ad hostes transituros, concionem advocavit, dixitque argentum propter adversas tempestates ad se ferri nequivisse. Sed quod antea illis trium mensium stipendium dedisset, hoc se nunc illis impunè gratisque remittere, tantam sibi ejus copiam adesse. Itaque suspicati milites nunquam illum tantam pecuniæ summam tàm prodigè elargiturum, nisi revera in expectatione haberet quas dicebat pecunias, quievere posthac, nec efflagitanda mercede molestiores ei fuerunt, donec ille gessit quæ voluit. Post autem dum Samum obsidet, fructus omnes, omnemque ex agris proventum Samiis ipsis vendidit. Ita ad mercedem militibus solvendam pecuniis abundavit.

Idem quum rerum quæ ad vivendum necessariæ sunt, in castris penuriam cerneret, propter eos qui adveniebant, quicquid tritici venale habendum erat molere vetuit: nec idem dimensum vendere medimno minus: neque idem de liquoribus partem ullam ea mensura minorem, qua propriè metretæ vocatur. Ergo ipsorum ordinum duces, quique manipulis præerant, quæ acervatim congesta emerant, ea minutatim postea militibus distribuebant et qui venitabant, secum ferebant, quæ necessaria sibi putarent ad victum, qui deinde abeuntes vendebant, si quid residui ipsis foret: ex quo id evenit ut milites victu abundarent.

24.

Didales Persa, quum haberet milites, ea quidem quæ ad quotidianum victum necessaria erant, illis ex hostili terra suppeditabat, sed quum ab iisdem militibus numus flagitaretur, nec haberet unde dissolveret, jamque dissolvendi tempus adesset, tale

quiddam machinatus est: Cogit ad concionem milites aitque sibi quidem pecuniarum nunc copiàm non suppetere, verum eas adesse in quodam loco: et locum ipsum ubi essent, nominabat. Quin etiam propius accessit, progressus in illum, accepit ex iis, quæ in loco erant, fanis, quicquid vasorum argenteorum deprehendit. Deinde stratis jumentis tanquam argentum gestantibus taliaque præ se ferentibus, procedebat. Quod milites conspicati, ratique omne illud argentum esse, quoad imveheretur, animis quidem ipsi confirmati sunt, tanquam mercedem recepturi. At ille dixit oportere ad Amisum pervenire, ibique ipsos auctorari. Iter porro ad Amisum et multorum erat dierum, et hyberno tempore faciendum. Itaque toto hoc ipso tempore eodem exercitu facile est abusus: quippe qui illi ad victum necessaria tantummodo præberet. Ipse autem tum opifices, tum caupones, atque institores, apud quos quodpiam commutari posset, in suis castris habebat: alii vero nulli quicquam prorsus talium rerum facere licebat.

25.

Chabrias Atheniensis Taoni regi Ægyptiorum exercitum quidem habenti sed pecuniis indigenti hoc consilium dedit, ut sacerdotibus diceret oportere tum ex sacris nonnulla, tum etiam sacerdotum multitudinem propter sumptum amoveri. Quod cum audivissent sacerdotes, et vellent omnes suum penes se quisque sacrum manere, pecunias, tàm communes quàm privatas illi afferebant. Verùm ubi ab omnibus accepit tum jussit illis imperari decimam duntaxat partem ejus quod ante hac soliti essent, tàm in ipsum quàm in sacrum impendere: reliquas verò novem partes sibi fænerarentur, donec, quod adversus regem Persarum gerebatur, bellum finem sortiretur. Quicunque autem ædes aut domicilia haberent, ab iis omnibus conferri jussit, quantum ipse oportere constituisset. Singulis item corporibus eadem ratione tributum imposuit. Qui

verò frumentum aut vendebant aut emebant, hos ultra pretium ipsum obolum unum pendere in singulas mensuras jussit. Ad hæc in singula navigia singulasque officinas, aliaque item quodvis aliud opificii genus præferentia, decimam operis effecti partem tributi loco solvendam imperavit.

Idem, extra fines ducturus exercitum, jussit quidquid ab unoquoque non signati argenti aut auri possideretur, id â singulis ad illum allatum repræsentari. Quum autem quam plurimi attulissent, argento quidem ipse uti illum jussit, eos vero qui illud dedissent, commendari navium præfectis, ut his illi ex tributis satisfacerent.

26.

Iphicrares Atheniensis, quum Cotiis militiam coegisset, ei pecunias suppeditavit ad hunc modum. Jussit imperare hominibus qui sub imperio suo essent, uti tantum sibi terræ singuli sererent quantum terna medimna caperet. Quo facto, magna frumenti copia coacta est. Hoc ille ad loca ubi mercatus agerentur missum subvendidit. Itaque pecuniis abundavit.

27.

Cotiis Thrax cogendi exercitus causa mutuabatur â Perinthiis pecunias. Perinthii autem eas illi non dabant. Postulavit ergò ut é civibus suis saltem aliquos darent in quorundam locorum custodiam ut ipse interim iis quos tunc in præsidiis habebat, militibus, liberius uti posset. Tum verò Perinthii, se dominos locorum futuros rati ê vestigio quod jubebantur, fecere. At Cotiis eos qui missi fuerant, sub custodia asservatos retinuit. Jussitque ad se mitti mutuo pecuniam petitam, et ita recipere suos cives.

28.

Mentor, filius quum Hermiam comprehendisset, jamque ejus loca obtineret, curatores quoscunque Hermias ipse præfecerat, suis præesse in locis jussit. Ubi verò animo confirmati sunt omnes, et quod prius apud se habuerant, non amplius aut oc-

cultum, aut exportatum haberi oportere rati sunt, tum verò correptis, illis omnia pariter quæ illis erant, comprehendit.

29.

Memnon Rhodius Lampsacum imperio obtinens atque indigens pecuniarum, ditissimo cuique certam argenti summam conferendam adscripsit. His porro ab aliis civibus satisfactum iri affirmabat: Ubi vero alii cives contulere, tunc idem hanc quoque pecuniam sibi ad tempus jussit commodari: et lingua nuncupavit ad quod usque tempus illis esset redditurus.

Idem rursus, quum pecuniarum indigeret, postulavit ut illi afferrent: recepturos autem ex proventibus tantundem addebat. Itaque illi attulerunt sperantes ê vestigio satisfactionem futuram; quum vero jam percipiendorum proventuum tempus adesset, sibi his item pecuniis esse opus affirmavit, illis autem post redditurum cum fœnore.

Idem militantibus mercedem ac stipendia sex in anno dierum denegabat, illos dictitans per hosce dies, neque in custodia, neque in itinere ullo esse, neque sumptum facere consuevisse. Dicebat autem privatim libertati dicatos, atque ex intercalatione vacantes dies.

Idem militibus ante hac proximo à calendis die stipendia dare solitus, tres prioris mensis dies præteriit, sequentis quinque ad hunc modum progressus pervenit tandem ad tricesimum.

30.

Charidemus Orita Æolidos quædam obtinens loca, Artabazo exercitum contra ipsum ducente, pecuniarum, quibus militi satisfaceret, indigebat. Initio igitur proferebant. Postea se amplius non habere dixerunt. At verò Charidemus quem maximi proventûs locum esse censebat, hujus incolas sive nummorum quidpiam sive aliud suppellectilis genus pretiosius haberent, jubebat in alium locum transmittere, se illis transmittentibus præbiturum comi-

tatum ipseque princeps hoc ipsum palàm faciebat. Itaque quum hominibus persuasisset, eosque ad hunc modum ab urbe paululum abduxisset, scrutatus quæcunque ferebant, abstulit quantum sibi opus esse putavit, illosque in suum locum reduxit.

Idem quum per præconem edixisset ut quibus civitatibus ipse imperaret, in iis nemo ulla arma domi possideret. Quod si quis dicto audiens non fuisset, huic dependendum fore argentum pro multa, quod edixerat negligebat, nec ulli prorsus curæ sibi esse significabat: ut homines, quum existimarent illum temerè edixisse, quæ singuli fortè possidebant suis locis immota tenuere. Sed ille repente uniuscujusque suppellectilem scrutatus, apud quoscunque armorum ullum genus deprehendit, ab his mulctam, quam dixerat, exegit.

31.

Philoxenus quidam Rhodius, quum Cariæ provinciæ præesset, pecuniisque indigeret, dixit se Dionysia celebraturum qui choris sumptum suggerent homines conscripsit maximè omnium fructibus abundantes: quibus etiam quæ apparare opus esset, imperavit. Sed eos videns hanc rem ægrius ferentes, per certos homines quibus internunciis utebatur, rogitabat, quid tandem sponderent se daturos, quo illius administrationis molestiæ liberarentur: tum verò illi eo sumptu quem se facturos sperabant, multo amplius dare pollitici sunt, ut sic et eâ molestiâ carerent, neque â suis procul abessent; at ille et ab his quidquid datum est accepit, et alios loco illorum conscripsit, quoad et ab his ipsis accepit quod voluit et ab omnibus singulatim repræsentatum est aliquid.

32.

Eveses Syrus Ægyptii provinciæ præpositus, quum præfectos singularum terræ Ægypti partium a se defecturos sensisset, convocatos in aulam omnes suspendit. Familiaribus autem ac domesticis eorum jussit renunciari, â se illos haberi in custodia.

Ergò ex necessariis quisque pecunias comparabat, ut pecuniis redimeret comprehensos. Ille autem ubi spopondit se singulos redditurum, ac pro singulis quod quisque profitebatur accepit, tum vero unicuique suum mortuum reddidit.

33.

Cleomenes Alexandrinus Ægyptum provinciam imperio obtinens, fame in aliis quidem locis vehementi exorta, in Ægypto autem sanè tolerabili, frumentum exportari vetuit. Sed quum ii qui singuli Ægypti partibus præfecti erant, jactarent, nequaquam futurum ut tributa pendere possent, nisi frumentum exportari liceret, exportationem quidem illis concessit, sed ingens tributum frumento imposuit, ex quo evenit, ut ex frumenti exigua summa quæ exportaretur, ingens tributum acciperet, et præfecti excusatione destituerentur.

Idem dum navi per eam vehitur præfecturam, in qua pro Deo colitur Crocodilus, raptus est unus ex pueris ejus. Convocatis igitur sacerdotibus, dixit, quum ipse prior læsus esset, velle se Crocodilos ulcisci. Itaque venationem eorum imperavit. At sacerdotes, ne ipsorum Deus ludibrio haberetur, argenti summam quantamcunque cogere potuere, illi attulerunt. Itaque ille quievit.

Idem ab Alexandro rege jussus apud Pharum, urbem condere, et mercatorum conventum, qui prius apud Canobum agebatur ibi constituere, ad conobum nave pervenit: convocatisque sacerdotibus et iis qui possessiones habebant, dixit sed ea de causa venisse, ut eos migrare jubeat. Sacerdotes autem cæterique locum incolentes, ut mercatum ille apud se eodem loco relinqueret, pecuniam à se coactam attulerunt. Qua accepta tunc quidem ille abiit. At idem non ita multo post, ubi quæ condendæ urbi necessaria erant parata habuit, nave ad illos revectus immensam quandam ab iisdem et immodicam postulavit pecuniam, tantum dicens sua interesse apud se mercatum illum agi potius quàm

apud illos. Qui cum dicerent se non posse tantam summam præstare, tum verò ab eo nihilominus traducti sunt.

Idem quum quendam misisset, ut sibi venalia quædam emeret, sentiens illum quamquam ea nactum quæ parvo pretio venirent, ad se tamen ut magno empta relaturum allocutus est illius emptoris notos ac familiares, audivisse se illum immoderato pretio emisse haud tamen futurum ut ipse animum advertat, simulque stoliditatem illius cum quadam simulatione iræ insectabatur atque objurgabat. Illi autem quum hæc audivissent, responderunt, non oportere illum iis, qui adversus hunc aliquid dicant, credere, priusquam ipse redeat, rationemque illi reddat. Ita quum emptor rediisset renunciaverunt ei familiares sui, quæ à Cleomene audierant. Ille autem dum et illis et Cleomeni operam suam probare vult, quanti verè emerat judicavit.

Idem, quum frumentum in illa regione denis drachmis veniret, convocatos ad se cultores interrogavit quanti vellent sibi operam frumentariam locare. Qui tum responderunt, minoris quam soliti essent mercatoribus vendere. At ille jussit illos quidem sibi tantidem præbere, quanti aliis venderent, Ipse autem frumento binas et tricenas drachmas pretium constituens, tanti aliis vendebat.

Idem sacerdotibus convocatis dixit: et immoderatos et multos in sacra suæ ipsorum regionis fieri sumptus, oportere igitur et ex sacris nonnulla, et ex sacerdotibus quam plurimos dissolvi, Tum verò ipsi sacerdotes existimantes hoc illum verè facturum, et privatim quisque et communiter universi sacras præbuere pecunias, quum et quisque vellet suum apud se sacrum immobile servari, nec ipse sacerdos esse desinere.

34.

Antimenes Rhodius quum Alexandri itineribus ex dimidia parte præ esset, pecuniarum copiam hoc modo apud Babylonem invenit: vetus in terra Ba-

bylonia lex erat, ut earum rerum quæ importarentur decima solveretur pars, nec ea lege quisquam utebatur. Observavit ergò et Satrapas omnes qui in expectatione erant et milites, et legatos non paucos, item artifices aliundè arcessitos, qui secum alios adducerent, et qui privatim peregrinarentur, et dona complura quæ afferebantur: a quibus omnibus secundum priscam legem decimam exegit.

Idem rursus dum mancipia promit, quæ in castris erant, jussit cuicunque libitum esset, profiteri quanti vellet eundemque octonas drachmas annuas solvere. Quod si mancipium fugisset, pretium quod professus esset, reciperet. Compluribus ergò conscriptis mancipiis, non exigua summa argenti confecta est, si quod verè mancipium fugæ se dedisset, Satrapam jubebat eum, in cujus provincia castra posita essent illud præstare aut repræsentare ipsi Domino pretium.

35.

Ophelas Olynthius quum curatorem constituisset in eam præfecturam quæ Arthridites vocatur, et ad ipsum ejus præfecturæ principes accessissent, qui longe plura collaturos pollicerentur, si modo eum quem nunc curatorem constitueret amoveret; interrogavit illos, num ea præstare possent, quæ profitebantur? qui cum se posse dixissent illo nihilominus, et curatorem eodem loco reliquit, et ab illis tantum tributi exigi jussit quantum ipsi professi erant. Neque igitur quem constituerat ignominia afficere voluit neque tributi illis plus imponi, quàm quanti ipsi seipsos censuissent, ipse verò ex ea re multiplicem pecuniam comparavit.

36.

Pythocles Atheniensis Atheniensibus suasit ut plumbum quod à Tyriis subuehebatur, civitas à privatis quo pretio illi vendebant, binis videlicet drachmis caperet. Deinde constituto illi senarum drachmarum pretio ea ratione divenderet.

37.

Chabrias hominibus, in centum et viginti naves coactis, cum ipsi sexaginta duntaxat opus esset, imperasse dicitur iis, qui in alteris sexaginta erant, quæ videlicet remanebant, aut frumentum in duorum mensium stipendium præbere, aut ipsos navigare; at illi dum in suis rebus potius versari volunt, dederunt quæ ille imperaverat.

38.

Antimenes, Thesauros, hoc est, rerum magis necessariarum acervos, qui probè regias vias habebantur, à Satrapis secundum regionis legem compleri jussit, quum autem indigeret exercitus, aut alia multitudo sine rege, eo mittebat aliquem, et sic ex thesauris deprompta vendebat.

39.

Cleomenes Quum jam calendæ adessent, ac militibus stipendium dimetiri oporteret, navigavit de industria nescio quò. Ubi verò mensis abiit, tum navi revectus dissolvit stipendium: ac deinde altero mense ineunte ac progrediente intermisit solutionem usque ad proximas calendas: milites ergò propterea quod recens stipendium acceperant, quiescebant, ille autem uno totius anni mense intermisso, menstruam semper mercedem auferebat.

40.

Stabelbius Mysiæ præfectus, quum mercedem militibus deberet, convocatis ducibus, dixit privatis sibi nusquam esse opus militibus, quod si quando illis indigeret, tum se ductoribus singulis erogare solitum argentum, eosque ad cogendam militiam mittere: mercedem vero quam illis deberet, libentius ipsis ductoribus solvere: jussit ergo unumquemque quidquid descriptorum militum haberent, extra regionem emittere, ac duces rati sibi ipsis ex ea re quæstuosam pecuniam fore milites ipsos, quemadmodum ille jusserat, emiserunt, deinde interjecto tempore, ubi eosdem coegit, dixit videri

sibi neque sine choro tibicinem, neque sine privatis militibus duces utilitatis quicquam habere. Itaque illos migrare e provincia imperavit.

41.


Dionysius, Quum fana Deorum circumiret, sicubi boni dæmonis auream aut argenteam mensam appositam vidisset liberari illi Deo imperabat: ac deinde mensam auferri. Si quod vero simulachrum porrecta manu phialam sustineret, dicebat se accipere: et sic auferri jubebat.

Idem aurea amicula, et coronas simulacrorum tollebat, dicens se et leviora et odoratiora daturum, ita illis amiculum quidem linteum, coronas autem violaces circumdabat.

FINIS.

SYNOPSIS GENERALIS

OCTO LIBRORUM POLITICORUM ARISTOTELIS.



SYNOPSIS GENERALIS

LIBRORUM ŒCONOMICORUM.

In his libris de domesticæ administrationis agitur

- Materia *ut sunt*
  - homo, *ubi de hominis societate nuptiali et officio*
    - *mariti erga uxorem* lib. 1. cap. 4.
    - *uxoris erga maritum. In Camerarii supplem: quod Aretino* lib. 2.
  - possessio *ut sunt*
    - *Servi* lib. 1. cap. 5.
    - *et aliæ facultates quæ*
      - *acquirendæ* lib. 1. c. 6.
      - *defendendæ*
- Forma *quæ* — lib. 2. *Œconom.*
  - *βασιλικὴ regia.*
  - *Σατραπικὴ præfectoria.*
  - *πολιτικὴ civilis.*
  - *ἰδιωτικὴ privata.*
- adjuncto *quoad locupletationem quæ* 41. *exemplis varios acquirendi modos exhibentibus illuctratur.* — *In appendice* libr. 2.

Typis Munday et Slatter, Oxonii.